PRODROMVS CORPORIS GLOSSARIORVM LATINORVM

QVAESTIONES DE GLOSSARIORVM LATINORVM FONTIBVS ET VSV

SCRIPSIT

GVSTAVVS LOEWE

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXVI

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

FRIDERICO · RITSCHELIO

DISCIPVLI · VENERABVNDI

PIETAS

PRAEMONITA

Has quaestiones cur scribendas putaverim paucissimis verbis exponam. Namque cum glossaria latina edere mihi proposuissem, perdifficile illud opus aggressus, quod per trium saeculorum spatium a philologis desideratum et a non nullis praeparatum, usque ad hunc tamen diem ne inchoatum quidem est, post sat breve studium ipsi corpori prodromum praemittendum esse perspexi, ad tria maxime eum spectantem.

Atque primum quidem sparsim huc usque evulgatorum non dico plenam aestimationem et κρίϲιν severam, sed vel notitiam aliqua certe ex parte sufficientem frustra quaesiveram. Itaque cum ne eos quidem, quorum erat illi rei operam dare, praeter iam dudum tralaticia novisque erroribus aucta quidquam exhibere cognovissem, in me ipsum vidi indagandae, colligendae, recensendae materiae non leve onus integrum suscipiendum esse. Quod quidem negotium ut probe absolverem ad artis typographicae ut ita dicam infantiam redii atque in multiplicem et intricatam XVI maxime saeculi adversariorum, commentariorum, similium scriptionum copiam me insinuavi. Ita cum factum sit ut in non pauca casu potius quam ratiocinatione ductus inciderem, satis multa me fugisse non modo veri simile, sed adeo certum est: εἷϲ ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ.

Quo autem altius in haec studia incredibilem in modum neglecta penetrabam, eo planius mihi apparebat sine librorum manu scriptorum ope de glossariis latinis iudicari omnino non posse. Etenim quae edita habemus paene omnia non reddita fontium ratione excerpta et miserrime turbata sunt, editis vero nondum evulgata et a bonitate et ab uber-

tate dici nequit quanto praestent. Iam me non fugerat praecipuam codicum partem apud exteros asservari nec sine peregrinatione cognosci aut exhauriri posse. At ut tandem aliquando rei initium fieret atque ne difficultatibus ut eorum qui praecesserant sic meae quoque vires statim a principio obruerentur, laborem quasi dividendum et priore loco ea tantum colligenda esse duxi, ad quae intra patriae fines perveniri posset. Quae collectanea non nimis ieiuna evaserunt beneficio Useneri et Du Rieui, quorum ille quaecunque ad glossaria latina spectantia contulerat liberalissime mihi utenda transmisit, hic autem bibliothecae κατ' ἐξοχὴν glossematicae thesauros aperuit. Praeterea commemorandi sunt, qui et vario et salutari consilio et auxilio benevolentissime nos sublevarunt, Baehrensius Ienensis, Buechelerus Bonnensis, Deuerlingius Monacensis, Ecksteinius Lipsiensis, Hagenus Bernensis, Halmius Monacensis, Hartelius Vindobonensis, Krehlius Mendelssohnius Naumannus Lipsienses, Ruehlius Dorpatensis, Schmitzius Coloniensis, Schoellius Ienensis, Weissenbornus Erfurtensis, Woelfflinus Erlangensis, quibus omnibus gratias habemus maximas. Ceterum ad quae penetrare nequivimus, ea speramus fore ut mox nostris ipsi oculis perlustrare et 'novis quaestionibus' describere ac recensere possimus.

Editorum necdum editorum glossariorum perlustratio ut coniunctim proponeretur cum ipsius rei ratio suaderet, hanc materiam primo opusculi capite contineri voluimus. At videbatur praeterea aliud quid ei qui glossaria editurus esset non tantum ut opportunum commendari, sed ab eodem adeo ut necessarium efflagitari. Nempe cum perpauci his nostris temporibus glossaria latina noverint, aptis exemplis demonstrandum erat ob multiplicem insignemque utilitatem iniuria illa neglecta iacere et dignissima esse quae tandem aliquando e bibliothecarum situ eruerentur. Negari enim nequit editas γλωσσογραφίας latinae reliquias (de Festo et Nonio nunc non loquor) non magno huc usque usui fuisse [1]). Quoniam autem

[1]) Cf. Bernhardyum 'Grundriss der röm. Litt.' [2] p. 304: 'die bekannt gewordenen grösseren Glossare .., zerstreut und zum Theil selten, haben dem Sprachstudium geringen Nutzen gewährt'.

inprimis scriptorum κρίσις et linguae scientia non mediocre illinc emolumentum capiant, capitibus secundo et tertio 'de glossis Plautinis Lucilianisque' et 'de novis vocibus et formis e glossariis eruendis' agendum putavimus. —

Expositis libelli rationibus nihil video quod restet nisi ut ad eum revertar, cuius nomen prodromi fronti praefixi. Namque si quid in quaestionibus nostris non sine utilitate expositum esse visurum sit, eius rei laudem sciendum est redire ad horum studiorum auctorem et fautorem, FRIDERICVM RITSCHELIVM.

Scripsi Grimae m. Dec. a. CIƆIƆCCCLXXV.

* *
*

Verum esse illud 'dies diem docet' cum in aliis, tum maxime in his quaestionibus ad variam et neglectam materiam pertinentibus brevi post conscripta haec folia denuo cognovi. Etenim ad exteros profectus et Ambrosianae quae Mediolani est bibliothecae glossariis perlustratis paullo accuratius in codicem B 36 inf. inquisivi. Est autem haec membrana exemplum 'libri glossarum', cuius dum 'prodromum' scribo epitomas tantum et pauca ab aliis excerpta noveram. Hinc factum ut quarundam rerum quas antea ne potueram quidem scire notitiam nanciscerer. Adde quod dum plagulas corrigo quaedam et ego melius ut puto quam antea perspexi, et ab aliis comiter edoctus sum. Quae cum ita sint, additamenta non nulla subieci. Quod autem Mediolanensibus codicibus commodissime et sicut res exigebat uti licuit, hoc Antonii Ceriani, illustrissimi bibliothecae Ambrosianae praefecti, benevolentiae debetur.

P. 30 adn. Diu quaesivi fontem perbonae glossae Salmasianae[1]) *pristrix* : *bellua maris; Actius 'pristices' dixit*, cui soli fragmentum illud Accianum debetur. Fluxit ex libro glossarum, cuius in codice Ambrosiano B 36 inf. *degt* nota praefixa sic scripta est: *pistris* : *belua maris. lucius pistrices*

[1]) Cf. Ritschelium Opusculorum II p. 460 sq.

dix pluralit, unde ipsa glossa emendatur et suppletur, *pistrices* autem fragmentum Lucilianum esse discitur. Ceterum scholion ad Vergilium spectare conicio propterea quod praecedit:

uirgt Pistris : *belua marina*[1])

P. 49 adn. Donati illa glossa e libro glossarum petita est, ubi habes: *lenociniis* : *Donatus: 'pronuntiabat autem cum suavitate, cum lenociniis miris* [*miris* ex *maris* corr.]'.

P. 66. Novam glossam ad *bassus* adiectivum spectantem praebere videtur cod. Vindobonensis 2404, unde Endlicherus in catalogo (v. infra p. 138) *bassas* : *pingues aves* excerpsit. At non dubito quin ibi *bassus* : *pinguis, obesus* emendandum sit collata eiusdem glossae simili corruptela codicis Leidensis 67 F 1 f. 10^v b: *bassa* : *pingues obesus*.

P. 69. Adde Camberonensem apud Du Cangium glossam *gillo* : *vas fictile, id est baucalis*. Brevioris glossae novum testimonium ex Leidensi 67 D infra p. 117, 17 excitavimus.

P. 76 sq. Obscura glossa, cuius lemma *boeter* est, ex libro glossarum fluxit: *bootes* : *verum, veranum*.

P. 87 sqq. Hebraicas glossarii Hildebrandiani glossas collegit Hermannus Roenschius in Musei Rhenani t. XXX (a. 1875) p. 449—455. Ibi expositis non nulla nos addidimus ibidem p. 616—618.

P. 98 sqq. Quod de novo codice plenioris 'abavus' glossarum memoriae narrare possum, hoc Georgii Goetzii amicitiae debeo. Qui dum nuper Havniae versatur, qua est in haec mea studia propensa voluntate, in codicem bibliothecae academicae nunc 26, olim 144, membr. saec. fere X, 63 foliorum 2^0 accuratius inquisivit. Cuius libri quondam Fabriciani f. 1^r vacuum est, 1^v hunc titulum, cuius primum tantum vocabulum legi potest, exhibet: INCIPIUNT ////////////////.
Incipit autem f. 2^r: *abimo* : *deioco* *abinitio* : *aprincipio* *abitrosum* : *remotum, latens, absconsum* *abitus* : *locus quem*

1) Eadem glossa inter *pest-* sic inserta est: *pestrix* : *belua marina*.

avus possedit *abiugasse* : *abige alienasse*, explicit *lymbus* : *naves piratica* *lymfis* : *aqua, liquor* *lymfator* : *furiosus* *lutulentus* : *lutuosus*. Unde excerpta plane docent glossarium 'abavus' glossarum familiae, atque uberioris quidem recensionis esse. Ceterum non desunt aliunde petita eaque ex parte non malae notae. Ex hoc autem ipso codice Olaum Blochium glossam infra p. 164 propositam *amplustra* : *ornamenta vel armamenta navis* cum Francisco Oehlero communicasse facile demonstrari potest; prorsus enim eadem in codice Vossiano Fol. 82, 'abavus' glossarum pleniorum exemplo, exstat.

P. 104: cf. quae ad p. 234 sq. adiciemus.

P. 111 sqq. De hebraicis glossariorum Amplonianorum lemmatis explicatius egit Hermannus Roenschius in Musei Rhenani t. XXXI (a. 1876) p. 453—464. Duas autem glossas hebraicas esse falso sibi persuasit, quarum de altera (p. 271, 27 ed. Oehler.) *adasa* : *pro senectute sterelis* v. quae infra p. 100 adn. collegimus. Alteram autem p. 274, 218 *asisua* [in ipso codice potius *assisua*] : *foveo deceptionis animae* Roenschium fugit in fragmento Werthinensi sic traditam esse: *asisua*: *fovea deceptionis animantium*, eodemque videri spectare Placidum p. 10, 19: *asisua* [*assisua* cod. Corsii] : *petauro pernice.*

P. 139 sq. Vetustissimi codicis Sangallensis 912 glossae magna ex parte in Ambrosiano B 31 sup. membr. saec. fere IX (v. infra p. 179) exstant, quode alias plura.

P. 147 sq. Maximopere gaudeo quod memorabilis de favonio glossae novam memoriam in libro glossarum repperi hanc:

dgł Fabonius uentus. fabonius dicit̃ &iã solis radius qui nonnumquā uitro aut argento reꝑtus. su. suagi. ac tremuli fulgoris simul aclaritate resplend&

unde elegans forma evadit talis: *Favonius* : *ventus; favonius dicitur etiam solis radius, qui non numquam vitro aut argento repercussus vagi ac tremuli fulguris aemula claritate resplendet.*

P. 152 sq. 'Glossas quae Placido non adscribuntur nisi in libro glossarum' nuperrime Augustus Deuerlingius gym-

nasii Monacensis a. 1875/6 programmate edidit, quo de libello explicatius agemus cum scriptionem nostram 'Beiträge zu Placidus' continuabimus. Ceterum post ea quae infra p. 152 sqq. enumeravimus paucissima ad emendandum Placidum spectantia in lucem prodierunt. De non nullis certe locis scripsit Ottius (in 'Zeitschr. für die Oesterr. Gymn.' a. 1876 p. 171—173), de singulis autem Baehrensius (in Mus. Rhen. t. XXXI (a. 1876) p. 267 adn.), Deuerlingius (in programmate modo excitato p. 9), Zinkius (ibidem).

P. 154 sqq. 'Glossas in Iuvenalem' ex codice Parisino 7730 saec. X f. 69 et 70 edidit et enarravit Henricus Keilius indice lectionum in universitate Halensi per aestatem a. 1876 habendarum. Insunt autem praeter scholia ad Iuvenalem spectantia multa glossae non nullae aliunde haustae, quo in numero satis exquisitae, velut p. VI, 30; VIII, 9; IX, 39; XI, 24; al. Ceterum quod Keilius glossae p. IX, 42 *taba*: *munimentum in proelio virorum fortium* lemma collato Iuvenalis V, 143 versu dubitanter in *thoraca* mutandum proponit, in hoc cum eo propterea non fecerim, quod in 'libro glossarum' Placido adscribitur hoc scholion: zaba: *munimentum in proelio virorum fortium*, unde pendent glossae Arabicae p. 710, 53 *zaba*: *lorica*.

P. 163 sq.: vide supra ad p. 98 sqq. adnotata.

P. 169, ubi de apographis Burmannianis agebam, partem quam habes in vol. I, 3 p. 329—391 Hamburgi ex schedis Ioh. Alb. Fabricii descriptam Ruhnkenium cum Burmanno communicasse dixi. Quas quidem schedas in academiae Havniensis bibliothecam integras pervenisse Georgii Goetzii beneficio scio. Confecit enim hic accuratum Fabriciani cuiusdam operis ibi asservati indicem, unde rei rationem facile perspexi. Non autem sine utilitate quae illis collectaneis contineantur me indicaturum spero. Sunt autem haec: 'liber glossarum Isidori iunioris ex ms. Iosephi Scaligeri' 'quaedam ex ms. Isidoro Abrahami Oertelii petita' 'excerpta Pythoeana ex vett. glossis omissis quae Isidori sunt' 'glossae Placidi ex ms. glossario Bonav. Vulcanii' 'excerpta ex glossis Petri Danielis Aureliani ex ms. Frid. Lindenbrogii' 'glossae anonymi' 'excerpta

differentiarum ex ms. Iac. Bongarsii' 'explicatio vocum in legibus XII tabularum' 'legum apud veteres scriptores crebrius commemoratarum magisque necessariarum explicatio' 'glossarium Terentianum' 'excerpta ex Moschopulo in Agapetum' 'glossarium Gellianum' 'lexicon Terentianum'.

P. 177—180. De non nullis bibliothecae Ambrosianae glossariis aliter atque feci iudicandum esse intellexi, postquam ipse ea examinavi: quode alibi plura.

P. 191 sq. Aliquam Philoxeni glossarum partem olim mere latinam fuisse docent etiam exempla infra p. 299 adn. 3 (*gulluca* : καρυοτόμια) et 303 (*muttonium* : προβασκάνιον) allata, quibus adde glossam *neries* : ἐξουςία θαλάςςης (p. 143, 42 ed. Vulc.) ex *Nereis* : *numen maris* male translatam. Similiter eiusdem glossarii p. 14, 20 glossam infra p. 327 excitatam *altilium* : ςιτευτῶν explicaverim. Videtur enim qui *fartorum* interpretamentum in graecum convertit, illud a *fartor* nominativo derivasse.

P. 192. Hic illic Leidensis 67 D memoria mere latina 'Philoxeni' scripturis praeferenda esse videtur: cf. lemmata 'gnarorem', 'grumare' (*degrumabis* apud Lucilium habes), 'grun*d*iunt'.

P. 210 sqq. Baehrensii comitati debeo apographon glossarum graecolatinarum in cod. Leidensi bibl. publ. lat. 67 [1]) saec. IX f. 8ʳ scriptarum, quae inde a ΠΕΡΙΤΡΩΠΟΝ *de modis uel conuersionibus* usque ad ΜΕΤΑΘΕCIC *transpositio uel translatio* pertinent. Sunt autem terminorum qui vocantur grammaticorum et rhetoricorum satis ieiuna interpretamenta.

P. 222 sqq. Codicem Ambrosianum B 36 inf. membr. s. XI 'libri glossarum' exemplum esse breviter dixi p. 179. Nempe non epitome est, sed integra memoria, fontium indiculos aliqua ex parte fideliter servans. Hic illic in principio quaternionum folia non nulla interciderunt. Turbatus est glossarum ordo in *c* et *m* litteris [2]). Accuratius in scripturarum indolem inquirens repperi librum quasi fratrem gemellum esse

---

[1]) De hoc codice v. M. Hertzium in Prisciani praefatione p. XIII.

[2]) Velut in *m* littera hunc habes: *mis- mul- mun-, mod- — mox-, muc- — mul-, mis- — mix-, mn- moa-, mun- — mut-, mu.*

Palatini 1773 (cf. p. 226 sqq.). Fontis nota quam p. 222 e Bernensi protulimus 'Ylari ex bbi de litteris' emendanda est 'Hilarii ex libro de litteris' Ambrosiano duce, ubi velut hae glossae exstant:

hilarii ex libro de litt	Certus sine fraude fidelis
hilarii ex libro d litt	Chreston suaue

Praeter alias autem has fontium notulas nondum commemoravimus: 'iunilli' (v. *thypus*, *prouerbialis species*, al.), Hieronymi 'ex lib q;stionū ebraicorum' (v. *sarai*), 'audacis denscausi ex palladi libris inscripta' (*uox est aer hictus* ... *aut patiens*), 'ex regula foce grama' (*·z· uel genuis* ... *ranas rauire ut coaxare*), 'ex regula prisciani grammatici' (*uocis differentię*... *sicut dux a ducendo*), 'exł officiorum' (*uespertinum*), Augustini 'ex lib genesi ad litterā' (*sapientia*), Isidori 'ex lib artium' (*sarchofagus*), 'Eusebi' (*semnion*), Gregorii 'ex lib moralib;' (*sardinicus*).

P. 234 sq. 'Libri glossarum' exemplo Ambrosiano accuratius cognito perspexi 'glossarium Salomonis' magis etiam quam antea putaveram glossis ab illo alienis interpolatum esse. Velut 'abavus' glossarum uberior memoria postea demum adiecta ab integro corpore abest, ut p. 104 v. 6 pro 'in librum glossarum' substituendum sit 'in glossarium Salomonis'.

P. 241 sq. Baehrensius me monuit in A. Czernyi libro 'die Handschriften der Stiftsbibliothek St. Florian' Linziae a. 1871 edito p. 196 de codice membr. XI. 581 saec. XIII haec scripta esse:

"Bl. 1ª—52ᵇ. Vocabularium Latinum Anonymi. In der Aufschrift auf dem Rücken des Codex wird es dem Huguccio zugeschrieben; allein es trifft mit dem bei Bandini Bibl. Med. vol. IV p. 197 sqq. beschriebenen nicht zusammen; ebenso wenig mit dem Catholicon des Iohannes de Ianua und dem Lexicon des Papias, welches Bandini daselbst aufführt. Der Prolog beginnt: 'Cum in nocte hiemali' und schliesst: 'uerba dictabat'. Das Werk beginnt mit 'Amo' und schliesst mit 'Zabulus'. Darauf folgt eine Zusammenstellung der lateinischen Ausdrücke für die

verschiedenen Gattungen von Schiffen und Schiffsgeräthschaften, sowie der Naturlaute verschiedener Thiere."

Novus Panormiae Osbernianae codex est.

P. 263 et 391. Sero animadverti glossas *ralla* : *vestis est, quae vulgo rasilis dicitur* et *luscos coclites dixerunt antiqui, unde et Cyclopas coclites legimus dictos, quod unum oculum habuisse perhibentur* ex Isidori Originibus fluxisse.

P. 266. *Hirco* vocabuli novum exemplum pete e 'libri glossarum' glossula hac: *lenones* : *inpudici, yrcones.*

P. 278. Eis quae de *concipulare* et *capulare* verbis scripsimus Georgius Goetzius haec addit: "*concipulassent* : *minutatim concidissent* geht wohl auf Apuleius Metam. IX, 156, 11 Eyssenh.: *nec dubio me lanceis illis vel venabulis, immo vero et bipennibus, quae facile famuli subministraverant, membratim concipulassent.* Die Herausgeber schreiben mit den Hdss. *compilassent*, was Hildebrand I p. 595 in höchst verkehrter Weise vertheidigt. Dieselbe Corruptel findet sich Met. VII, 128, 7 Eyssenh.: *totum me compilabat*, wo gleichfalls (wie bereits Lipsius Epist. quaest. II, 22 sah) *concipulabat* geschrieben werden muss. Die obige Glosse ist auch für de mag. p. 624 Hildebr. zu verwerthen, wo anstatt *concipilare* nur die schlechten Handschriften *compilare* haben". E Plauto, Apuleio, glossariis iam comprobata *concipulare* verbi significatione quae est *concidere* non nego aliquamdiu mihi suspectum fuisse Naevii fragmentum XXV p. 30 ed. Ribb. com.[2] *concipilavisti*, apud Paulum p. 62, 6 *corripuisti, involasti* explicatum. Quam suspitionem removent inexhausti glossariorum thesauri, ubi antiqui cuiusdam scriptoris novum exemplum servatum est hoc: *conciplet* : *corripiat* ('liber glossarum' inter *concipere* et *concita*). Hariolaretur qui *concipulet* vel *concipilet* corrigendum coniceret.

P. 288. Glossa *tarmus* : *vermis in carne* ex uno fonte adhuc nota etiam in 'librum glossarum' inter *tu-* recepta est: *turmus* : *uermis in carne.*

P. 307. Du Cangii emendationi facile quispiam obiecerit, καταφαγάς vocem exquisitam a glossographi sermone vulgari alienam videri. Quae quidem opinio a vero aberrat; cf. glos-

sas 'Philoxeni' p. 42, 21 et 43, 45: *comestor* : καταφαγάς; eiusdem p. 105, 28: *gulatores* : λάγνοι, μάκται, καταφαγάδες; 'Cyrilli' p. 510, 1: καταφαγάς: *nepos, comisator, vorax, comesor.*

P. 331. Glossam dicebam a Philippo Iaffé in libro infra p. 165 commemorato evulgatam hanc: *delfin* : *selo*, quam scribe *delfin* : *semo*.

P. 345 adn. adde *robus* : *senicem inmanem* (liber glossarum post *robus*-).

P. 374 adn. 2. De *mesopicatus* forma consultus Hermannus Roenschius comiter haec mecum communicavit: "Ein Compositum von μεсо- mit einem lateinischen Particip, dem *mesopicatum* genau entsprechend, ist mir nicht bekannt, wohl aber Composita mit μονο-, θελο-, ὁλο- und Adjectiven: z. B. *monoloris* (*diloris*, *penteloris*) Vopisc. Aurel. 46; *thelodives, thelohumilis, thelosapiens* Augustin. Ep. 59 (s. meine 'Itala und Vulgata' p. 229); *holoverus* Edict. Dioclet. IX, 13 und 16. Durchaus analog gebildet ist *holosericatus* Augustin. in psalm. 85, 3: *et holosericatis et pannosis* (cf. 'Paucker Spicil. add. lex. lat.' Mitaviae a. 1875 p. 68)".

P. 374 sqq. Non paucas ex eis glossis, quibus 'OBSCVRA' titulum esse voluimus, explicare nunc possumus idque partim novis fontibus usi, partim ratiocinatione vel potius divinatione ducti. Velut monstrum illud *harinulcaes* : *repertores aquarum* ita perdomari posse puto, ut pro HARINULCES scribatur AQUILICES: cf. glossam *aquilici* : *scrutatores aquarum* infra p. 379 adn. allatam.

Persimiles inter se glossae *caplosus* : *inlisus* et *adlositum* : *adlisum* persimili modo sanandae sunt. Atque prior quidem integra fuit *conplosus* : *inlisus* teste cod. Ambrosiano B 31 sup. f. 136^{v}: *complusus* : *inlisus*. Hinc profecti alteram emendamus *adplosum* : *adlisum*, quam scripturam suadet infra excitatum Mai VI p. 504a testimonium.

Illam autem, quam sic fere tradunt libri: *apissimo* : *otio largissimo*, scribendam esse *altissimo otio* : *longissima quiete*[1]) 'liber glossarum'[2]) docet haec exhibens: *altissimo otio* : *longissima quiete*.

Glossam *desitiscere* : *contemnere* si me sequeris simpliciter in *despicere* : *contemnere* mutabis.

Hareolus : *iocundus* utrum in *hariolus* : *diuinus* an in *hariolus* : *incantor* corrigendum sit dubito: cf. 'libri glossarum' *harioli* : *incantores siue diuini*, non autem dubito quin reicienda sit Deuerlingii in scriptione p. IX sq. excitata coniectura *hariolus* : *iocabundus*.

P. 376: *enocilis* non sum nescius etiam merae pro *enchelys* corruptelae deberi posse.

P. 387 sqq. De cognominibus a pedibus cruribusque derivatis praeter ceteros conferendus erat Plinii Naturalis historiae XI, 253 sq. hic locus: *pedes homini maxumi, feminis tenuiores in omni genere . . ., vola homini tantum, exceptis quibusdam. namque et hinc cognomina inventa: Planci, Plauti, Pansae, Scauri, sicut a cruribus Vari, Vatiae, Vatinii, quae vitia et in quadrupedibus . .'*

P. 390. Philoxeni p. 94, 24 glossam *falcones* : δάκτυλοι ποδῶν ἔcω βλέποντεc sic emendandam esse censeo: *falcones* : δακτύλουc ποδῶν ἔcω βλέπ[ονταc ἔχ]οντεc.

P. 394 sqq. Addenda sunt quae in 'libro glossarum' de Vopisco referuntur haec: *vopiscus nominatur uno aborto filio alter qui legitime natus fuerit* (*vobiscus nominatus u. adorto*), quae videntur e Solino fluxisse.

Scripsi Mediolani m. Sept. a. CIƆIƆCCCLXXVI.

---

[1]) Cf. glossam *alto odio* : *longa ira.*

[2]) Idem truncatae corruptaeque glossae tria testimonia recepit: *apissima* : *otio largissima, apissimo* : *diu largissime, apissimo* : *otio largissimo.*

pag.
Praemonita . . . . v—xv
Caput I: de editis necdum editis glossariis latinis . . . . . . 1—253
§ 1: de glossariis latinis generatim agitur 1
§ 2: de 'Isidori' glossis 23
§ 3: de 'abavus' glossariis 87
§ 4: de 'affatim' glossario 106
§ 5: de glossariis Amplonianis 111
1. de glossario Amploniano primo 113
2. de glossario Amploniano secundo 123
3. de glossario Amploniano tertio 126
4. glossarum Amplonianarum emendatiunculae . . . 134
§ 6: de glossario quodam optimo, unde pendent codd. Vindobonensis 2404, Vaticanus 3320, Sangallensis 912, alii 137
§ 7: de glossariis codicum Vaticani 3321 et Leidensis 67 E . 143
§ 8: de Placidi glossis 151
§ 9: de minoribus non nullis glossariis aliorumque fragmentis 154
§ 10: appendix 168
§ 11: de glossariis latinograecis 180
1. de 'Philoxeni' glossario 180
2. de Vulcanii 'Onomastico vocum latinograecarum' 194
3. de minoribus non nullis glossariis latinograecis aliorumque fragmentis 200
§ 12: de glossariis graecolatinis 210
§ 13: de 'libro glossarum' eiusque epitomis et de posterioris medii aevi non nullis lexicis 222
Caput II: de glossis Plautinis Lucilianisque . . . . 254—338
§ 1: de glossis Plautinis 254
§ 2: de Placidi aliorumque glossariorum glossis Lucilianis . 293
Caput III: de novis vocibus et formis e glossariis eruendis per saturam agitur . . . . 339—432
Indices . . . . 433—450

CAPUT I.

De editis necdum editis glossariis latinis.

§ 1.

De glossariis latinis generatim agitur.

De glossariis latinis generatim non nulla prolaturi totum caput quod est de Romanorum γλωσσογραφίᾳ, velut de Aelii Stilonis, Aurelii Opillii, aliorum exemplis scriptis reliquiis, pertractare nunc in animo non habemus: neque magis in absolvendis quaestiunculis minoribus diu morari, quarum una spectat ad *glossa* et *glosa* scripturas. Cum enim *glossa* forma viris doctis probari soleat, Luciano Muellero[1]) *glosa* admodum placet: nobis non item. Nam quamquam verum est per medium quod vocatur aevum multo saepius *glosa* quam *glossa* scribi[2]), tamen neque desunt *glossa* scripturae exempla minime spernenda[3]), et obstare videtur voci per

[1]) Cf. Fleckeiseni Annal. t. 97 (a. 1868) p. 68; commentarii in Lucilium p. 229. 238. 240. 244. al.

[2]) Cf. haec ipsorum glossariorum testimonia, quorum copiam augere noluimus: cod. Sangallensis 912 s. VII—VIII p. 119 *glosa: congregatio sermonum*; cod. Leidensis 67 F s. VIII—IX f. 54^{r}b *expt glosæ,* f. 119^{r}a *incipiunt glosae propietatum,* f. 142^r *incipiunt glosas agelli et marcelli,* f. 148^{r}d *incipiunt glose iure,* f. 149^{r}d *incipiunt glosae spiritalis iuxta eucherium*; cod. Amplonianus s. IX f. 14^{v}a *incipit . . . conscriptio glosarũ* (ubi *glosarii* Oehlerus p. 256 legere sibi visus est); cod. Vaticanus 3320 s. IX *liber ethymologiarum id est de proprietate sermonum uel glosa*; cod. Leidensis 67 E s. IX f. 61^{v}a *incipiunt glose noni cum ciceronis*; cod. Leidensis 67 D s. X f. 2^{r}a *incipiunt glosae litterarum*; cet.

[3]) Velut codicis Vaticani 3321 s. VII, qui vetustior est glossis omnibus modo excitatis, f. 1^r: *in nomine dei incipiunt glossulas diuersarum rerum* . . . et Quintiliani I, 8, 15, ubi omnes Halmii codices *ss* exhibent.

unam *s* scribendae haud improbabilis nisi fallor ratiocinatio. Etenim ut *caussa quaesso* aliae scripturae proximis post Christum saeculis evanuerant, ita etiam *glossa* ad eandem similitudinem accommodata magis magisque *glosa* scripturae cessisse videtur, ut Aurelium Opillium, Varronem, Ciceronem *glossa* forma a Graecis accepta usos esse non sit veri dissimile. Quae autem in ipsis glossariis de *glossa glossula glossema* vocibus traduntur, non abs re visum est statim subicere. Sunt autem haec interpretamenta satis ieiuna:

Glosema: *interpretatio sermonum*

cod. Amplonian.[1] p. 335, 77 (*glosima interpraetatio*); cod. Bernensis 224 f. 212ᵛb (*giossema interpraetatio*); Mai VI p. 525b (*glossema*).

Glosa: *interpretatio sermonum siue lingua graece dicitur*

cod. Leidensis 67E f. 29ʳb (*grece*).

Glosa: *congregatio sermonum*

cod. Sangallensis 912 p. 119; cf. gloss. Salomonis: *glosa congregatio sermonum vel interpretatio* [*sive de arbore*], cuius glossae ex duabus compositae quae verba uncinis circumclusimus, ea aliunde invecta sunt.

Λέξις: *glossula*

glossae 'Cyrilli' p. 527, 7 ed. Vulcan.

Haec de scriptura et ipsorum glossariorum interpretamentis. Quod autem ad *glossa* et *glossarium* vocabulorum usum attinet, hoc unum monendum videtur, rariorum vocum earumque interpretamentorum corpus in ipsis codicibus non *glossarium* appellari solere, sed fere semper inscribi vel subscribi *incipiunt glosae, incipit conscriptio glosarum, expliciunt glosae*, id genus similia: quamquam etiam alia vocabula usu veniunt, velut in fine glossarum codicis Sangallensis 912 pervetusti p. 320 subicitur: EXPL. ERMENEUMATA.

Transimus ad glossas ipsas. Glossae partes duae sunt: lemma altera, altera interpretamentum, quarum illam quotquot ego novi glossariorum codices omnes[1]) in sinistra, hanc

---

[1]) Non obstat vetustissimum glossarii latinograeci exemplum papyri Parisiensis a. 1865 editae et nuperrime a Buechelero in Fleckeiseni Annal. t. 111 (a. 1875) p. 309 sqq. egregie enarratae, quippe cuius glossarioli ratio prorsus singularis sit.

in dextra parte positam exhibent hunc in modum: *uorticum:* *maris gurgitũ undarum* (cod. Leidensis 67 E f. 60va). Qui quidem usus non minus constans est quam discriminis quod inter lemma et interpretamentum intercedit significatio varia. Aut enim nihil interponitur nisi vacuum spatiolum (velut *Excido decido* cod. Leidensis 67 E f. 24ra), aut puncta, apices, id genus similia inseruntur (*Abactus · ab acto remotus* cod. Leidens. 67 F f. 62rd; *Excutit: extendit* cod. Leidens. 67 E f. 24ra, quo in codice : vel : nota librarii plerumque usi sunt, non aliter atque in codice Vat.-Palatino 1773, ubi etiam · et ·; et ; usu veniunt; in codice Amploniano non solum spatiolis sed etiam · et , notis discrimen significatur; in codice Sangallensi 912 habes · et : ; codex Leidensis 67 F f. 60rb *Quirites ·: populus* exhibet; sim.), aut nulla omnino discriminis nota exstat[1]) (velut *Muńiceps ciues idẽmunicipat* cod. Leidensis 67 E f. 40vb), unde non mirum quod non raro lemmatum partes interpretamentis adhaeserunt, interpretamentorum lemmatis[2]). Ad externam glossarum speciem etiam illud spectat, quod glossarum lemmatis hic illic notulae quaedam praemittuntur. Sic, ubi idem lemma bis ponitur diversis tamen interpretamentis, ei quae sequitur glossae praemitti solet *it̃* hoc est *item*; velut in codice Leidensi 67 F f. 59vc:

priuilegium: excusatio a lege concessa
it̃ priuilegium: preiudicium

vel in codice Bernensi 224 f. 211rb:

fatescunt: feriendo dissipant[3])
it̃ fatescunt: deficiunt aut dissoluuntur dissipantur.

---

[1]) Qui glossas latinas ediderunt adhuc omnes, ut lemmata et interpretamenta disiungerent commatis usi sunt, quem usum continuare noluimus, cum hac nota in interpretamentis quoque ipsis frequenter opus sit. Itaque ne perspicuitas turbaretur, aliud quid requirentes diu multumque dubitavimus utrum] an : nota praeferenda videretur, quarum hanc praestare nunc persuasum habemus.

[2]) Velut in glossa Amploniana² p. 286, 49 ed. Oehler.: *Cerula: collavaria, distincta,* hoc est *Caerula colla: varia, distincta,* quae ad Vergilii Aeneid. II, 381 *attollentem iras et caerula colla tumentem* spectat.

[3]) Quamquam *dissipantur* facile quispiam correxerit, tamen *dissi-*

'Libri illius glossarum' variae particulae unde haustae sint praemissis notis[1]) indicatur hunc in modum:

degts Famegerulus fama nuntians sic enĩ dicim̃ et rumigerulus cod. Palatin. 1773 f. 129ᵛ
placidi Colum.ſ colatorium ·; ibidem f. 79ᵛ.

In codicis Leidensis 67 E priore glossario inde ab *anathema: maranatha, perdicio in aduentum domini* f. 7ʳa glossa usque ad *dis: diues* f. 19ʳa litterulae praefixae sunt, quibus nomenne sit an verbum an adverbium glossae lemma significatur: sicut f. 13ʳa:

ñ callidissimus: uersutissimus, astutissimus[2])
ñ cancros: cancellos
ū capissere: accusare
itu cauillare: non simpliciter ridere
ad̃[3]) *cassabunde: sepius emendande*
ñ cassicolum: reticolum

Haec fere lemmatis glossarum hic illic praefiguntur: non desunt quae post interpretamenta addantur. Sic eorum qui legerant additamenta ut verba corrupta emendarentur adscripta, simul cum corruptelis propagantur. Velut in codice Amploniano[2] — quam rem Oehlerus p. 270, 324 prorsus perturbavit — haec glossae traditae sunt:

---

pant scripturam, quam etiam alii huius glossae fontes, velut gloss. Parisinum Hildebrandi p. 139, 71 (cf. ibidem *fatescit: . . . aperitur uel aperit*) et cod. Leidensis 67 F¹ f. 25ᵛa exhibent, quominus in dubium vocemus impedit certa quaedam ratio de linguae vulgaris usu derivata, quode infra suo loco plura.

[1]) Pluribus de hac quoque re infra agetur.

[2]) Codex *calidissimus . . . artutissimus* exhibet.

[3]) Vide quam perverse librarius *ad̃*, hoc est *adverbium,* addiderit, inductus ille gravi glossae corruptela, quam sic emenda: *cassabundae: saepius cadentes* coll. cod. Bernensi 258 f. 178ᵛc (*cassabunde sepius cadendo*), Mai VI p. 514b (*casabundae s. cadendae*); 'saepius cadentes' haud aliter atque Pauli Festus p. 48, 4 *cassabundus* 'crebro cadens' interpretatur. Ceterum glossae nostrae omnes *cassabundus* scripturam exhibent, velut hae: *cassabundus: uacillans, instabilis* (sive mavis *c.: instabilis, uacillans*); *cassabunda: titubans*; *cassabundo: titubanti, dubitanti*; *cassabundum: dubitantem, titubantem*; *cassabundus: dubitans, timens.*

Arietat: ad modum arietis aliquid *inpendit*
Arrabonem: arram *pingit*
Artepta: genus est uasis quasi pigella *in*

ubi facile ipse videbis corruptae *inpendit* vocis emendationem quae est *inpingit* duabus quae subsecuntur glossis adiectam esse. Neque aliter eiusdem in codicis glossa[1]) p. 347, 64 ed. Oehl. *lirantes: errantes arantes, arantes* illud natum quod in corruptae *errantes* scripturae locum substituendum est.

In fine glossarum etiam variae scripturae addi solent. Cf. glossam codicis Leidensis 67E f. 30^ra: *gradũ grandis alibi graderis*; f. 59^va *ui granti ligant uituperant et alibi repperi uit^{i}ligant idẽ hoc ẽẽ* (reppererat ille nescio quis duas glossas hasce: *uigrantiligant: uituperant* et *uit^{i}ligant: uituperant,* quarum lemmata *uitiligant*[2]) esse debebant). Item in cod. Bernensi 224 f. 205^rb *catox: caudus coxa consentaneus*[3]) *in alio catax.*

---

[1]) Hac de glossa vide Act. soc. phil. Lips. t. IV p. 360.

[2]) Ad Catonem referenda videtur glossa, cuius memoria haec est:

Uitiligant: uituperant

gloss. Turnebi Adv. XXVIII, 6; cod. Leidensis $67F^1$ f. 53^rd (*uitilegant*); cod. Bernensis 224 f. 226^rb (*uitilegant*); cod. Vossianus Fol. 26 (*uitilegant*); gloss. Salomonis.

Cf. Catonem p. 80 ed. Iord.: *scio ego quae scripta sunt si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent, sed ii potissimum qui verae laudis expertes sunt. eorum ego orationes sivi praeterfluere,* ubi Plinii codices *vitii litigent, ut eligant, ut eligat, ita reprobent ut eligant* et *sibi* exhibent. Mirum illud *sivi* Iordani coniecturae debetur: alii *sino* vel *ibi* scripserunt; num forte *sine* futuri forma Catoniana? Ad eundem Catonem revocanda haec glossa:

Natinare: negotiari

'Isidori' gloss. p. 687, 48 (ubi *negotiare* Scaligeri glossae); cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Salomonis f. 138^va (*negotiare*); gloss. Hildebrandi p. 216, 15 (ubi *negociare* Parisinus, *negotiare* Leidensis).

Cf. Festum p. 166: 'nati[natio dicebatur negoti]atio: et natinatores [ex eo seditiosa negotia] gerentes. M. Cato in [. . . . .]*multu Macedoniae, Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse.*'

[3]) De hac glossa, ubi ad glossas Lucilianas perventum erit, agetur.

Haec fere adduntur: multo plura quae olim integra exstiterant postea interciderunt. Sic glossarum interpretamentorum persaepe nec vola exstat nec vestigium: ut in cod. Leidensi 67E f. 57ᵛb *uibia uaram*[1]):   , ubi olim scriptum fuisse *uaram uibia*: *perticae duae sunt inter se colligatae, quae asserem sustinent; unde prouerbium 'uibia uaram sequitur'* collata 'Isidori' glossa[2]) p. 698, 19 ed. Vulc. paene certum est. Similiter codicis Amploniani² p. 270, 289 glossa *anfibulum*:   hiat; neque illius glossarioli, quod in codice Leidensi 67F secundum locum tenet, glossa f. 60ᵛd *sine fabulari* non truncata esse potest. Non semper autem librarii lacunam inter glossas integras male hiantem patienter tulerunt; velut in cod. Vaticano 3321 f. 52ᵛ qui *erga id*: *uacuum* scripsit, glossam interpretamento carere videtur indicare voluisse. Sic cum totum non raro intercidere interpretamentum constet, non mirum est quod partes interpretamenti dissolvuntur, ut undique conquisitis demum scripturis plena atque integra glossae alicuius forma evadat. Itaque ne quid delitescat, consentaneum est nunquam non diligentissime circumspiciendum esse. Omnino enim — id quod, quicunque glossis emendandis operam navarunt, fere omnes neglexerunt, sive codicum glossas continentium penuria laborantes sive uberrimas librorum manu scriptorum copias imprudenter spernentes — bona pars glossarum, quippe permultis saepe codicibus servatarum, facillime et suppleri possunt et emendari, dummodo testimonia quoad fieri possit omnia colligantur. Velut glossa codicis Leidensis 67E f. 18ᵛb *discerniculum*: *ornamentum* plenior exstat in Hildebrandi glossario Parisino[3]) p. 108, 280 *discerniculum*: *ornamentum capitis*, plenior etiam apud Maium VI p. 521a et

[1]) Inter glossas quae a *ua*- incipiunt: ut *uaram uibia* potius in lemmate fuisse consentaneum sit.

[2]) Scaligeri excerpta *uarum uib. ianam p dice* exhibere videntur, Vulcanius *varam tibiam janam, perticae* edidit; ego glossam supra dedi qualem Scaliger scripsit Ausoniarum lectionum I, 18 (Heidelbergae a. 1588 ed. p. 73), ubi proverbium illud 'primum e situ eruit.' A Scaligero totus pendet Bon. Vulcanius 'notarum' p. 104, 7.

[3]) Item nimirum in codice Leidensi 67F³.

ut Placidi[1]) ibidem p. 560a *discerniculum*: *ornamentum capitis virginalis*, plenissima autem et ut videtur integra in codd. Vossianis Fol. 24[2]) et Fol. 82, Amploniano[2] p. 296, 73, glossario Salomonis[3]), apud Papiam: *discerniculum*: *ornamentum capitis virginalis ex auro*. In supplendis hac ratione glossis non mirum est quod vetustissimorum codicum, velut Sangallensis 912 et Vaticani 3321, glossaria[4]) e ceterorum grege eminent. Qua de re quoniam infra, ubi ad singulos codices accurate describendos perventum erit, singillatim agetur, nunc unum ex sexcentis exemplis proposuisse satis habemus. Glossa enim haec:

Candes: *vasa fictilia*

cod. Sangallensis 912 p. 45; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[1] p. 280, 43 (*caudes*) et p. 285, 365 (*uictilia*); cod. Amplonianus[2] p. 286, 29; gloss. Hildebrandi p. 43, 28; gloss. Salomonis; Papias; Osbernus p. 138b coll. p. 87; gloss. 'Isidori' p. 673, 17 et 675, 34.

insigni additamento uno codicis Vaticani 3321 f. 17v testimonio augetur: *cardens*: *uasa frestiua saliorum*[5]), unde evadens *candes*: *vasa fictilia Saliorum* scriptura quam bonae frugis sit neminem fugit.

Truncari glossas iam vidimus: easdem interpolari alienisque additamentis ampliari non desunt quae ostendant. Glossarum enim multiplex et in minutas particulas discreta materia ita comparata est, ut eum qui legat ad interpolandum

---

1) Hausit Angelus Mai ex cod. Palatino 1773, cuius in folio 102v *Placidi Discerniculum ornamentum kapitis uirginis* scriptum esse Usenerus auctor est. Quae glossa utrum re vera Placidi sit an errore adscriptus fontis indiculus nescio, cum reliquorum 'libri glossarum' codicum testimonia penes me non sint.

2) Ibi *discernaculum* scriptum est.

3) Nisi quod ibi *virginis* habes.

4) Addendum prae ceteris codicis Amploniani glossarium alterum, quod quamvis multo post illa scriptum sit, sat saepe tamen proprias suas hac in re virtutes habet.

5) Hinc hausit A. Maius VI p. 514a, qui tamen *fretiva* edidit: *frestiua* nostrum Ludovicus Mendelssohn excerpsit. Ceterum *vasa festiua* a Maio parum feliciter propositum esse testimonia supra collecta docent.

quasi invitet: qualia tamen additamenta plerumque hau difficile a reliquarum glossarum integritate seiungi possunt. Aut enim ipso codice diligentius examinato aliena eicere licet, ubi aliam manum litterarum et atramenti discrepantia notabilem talia inseruisse apparuerit. Velut in codice Leidensi 67E f. 19^{r}a, ubi haec scripta sunt:

ñ dios grece iouis[1]) *est*
ñ dis diues dissociare disiungere
disserenat[2]) *in diuersum serenat*

neque litterarum ordo neque ipsius glossae natura suspitionis quidquam movet[3]): at ipsum codicem inspicientem fugere non potest *dissociare*: *disiungere* interpolatori deberi. Alibi autem codicis ope supersedebimus, cum litterarum ordo laesus eius qui sua inseruit conatum planissime ostendat. Velut glossarum in eodem codice non procul ab initio f. 1^{r}a scriptarum

abstrusum: *latens, occultum*
absclatata: *nauis piratica*[4])

---

[1]) *Iovis* nominativum apud antiquos, in lingua vulgari, apud scriptores non satis elegantis orationis velut Hyginum, Ampelium, alios frequentari nemo nescit.

[2]) Elegans idque satis rarum *disserenandi* verbum facit ut huius glossae memoriam cum lectoribus communicandam putemus:

Disserenat: *in diversum serenat*
cod. Vossianus Fol. 24 (*diuerso*); cod. Bernensis 224 f. 209^{r}a (*diuerso*); cod. Amplonianus² ined. p. 296, 84/85 *dissererat i. d.*
re
rerat); Mai VI p. 521a; gloss. Salomonis.

Neque hinc aliena glossa *disserenus*: *serenus* codicis Voss. Oct. 24².

[3]) Non magis offendit, quod duae glossae uno versu continentur; nihil enim saepius usu venit.

[4]) Reliqui fontes *Abstlatata*: *nauis piratica*, exhibent, veluti cod. Leidensis 67 F¹ f. 1^{v}c (*abslatata*); cod. Vossianus Fol. 26; cod. Ber-
i
nensis 258 f. 48^{r}b (*piratica*); cod. Bernensis 224 f. 199^{r}a (*naues*). Notum est *stlata* vocabulum (cf. Paulum p. 312, 6 *stlata*: *genus navigii latum magis quam altum* . . . ; Philoxenum p. 203, 11 *stlatta*: πειρατικοῦ cκάφουc εἶδοc; 'Caper de orthographia' p. 2246 P. *stlataris*: *sine c litera scribendum est a stlata rate piratica*), quocum quin aliquo vinculo *abstlatata* cohaereat dubium non est, quamquam incertum

abrogans: *humilis*
arrogans: *superbus*
abiectus: *inquinatus*

ordinem turbatum esse invecta *arrogans*: *superbus* glossa, qua opus esse putabat sciolus nescio quis ad explendam eam quae praecedit glossam, qui non caecutiat facile viderit. Difficilius etiam cod. Sangallensis 912 p. 48 additamentum lateat, ubi inter medias *c* litterae glossas haec legentis oculos offendit: *amicum*: *tonfilon* hoc est *amicum*: τὸν φίλον. Non raro autem ad turbatum litterarum ordinem illud indicium accedit, quod eiusdem glossarii novus codex suspitiosas glossas omittit, id quod cum in alia tum in Hildebrandi 'glossarium Parisinum antiquissimum' cadere infra demonstrabimus.

Praeter glossas interpolatas etiam prorsus aliena immiscentur atque iterum iterumque descripta propagantur. Cuius rei luculentius exemplum nullum novi hoc. Vulcanius enim inter 'Isidori' glossas p. 682, 27 permiram glossam hanc edidit: *Heti folia quatuor fuere de exemplari.* At haec non glossa est, qua abstrusum aliquod vocabulum explicetur, sed notula nescio cuius lacunam exempli indicantis; eadem enim glossa in codice Leidensi 67 F[1] f. 29[r] talis exstat: *hieti folia quattuor quae excisa fuerunt de exemplax* et in glossario Salomonis inter *hesperius* et *heth*: *hestus folia a quatuor que excisa fuerint de exemplaria,* ubi de 'quattuor foliis de exemplari excisis' agi apparet, neque tamen quid pro lemmate glossae — *hieti, hestus, heti* — scribendum sit statim in oculos incurrit. Itaque multa velut *hic desunt* tentanti neque tamen multum proficienti succurrit mihi quae in codice Leidensi l. s. s. excerptae praecedit glossa non minus mira: *hic habet minus int̄*, quam etiam glossarium Salomonis, ubi *inter* scriptum est, exhibet. Compositis his duabus glossis

---

quonam. Coniecerit fortasse quispiam collata Salomonis glossa 'stlattaria genus est nauis latronibus aptum et ab illis possessa, in qua properant diuersas p̄clari (*scr.* praedari) gentes uel regiones', *ab stlataria* nescio ubi scriptum maleque intellectum esse; si quis autem eiecta tertia *a* littera *ab stlatta* scribere maluerit, non habeo quod contra moneam.

hic habet minus inter et *hieti folia quattuor* . . . vix dubium est quin integrum additamentum[1]) sic restituatur: 'hic habet minus inter *h* et *i* folia quattuor, quae excisa fuerunt de exemplari.'

A toto hoc capite quod est de interpolatione ne illud quidem alienum est, quod glossae suis locis depulsae aliorsum non raro invehuntur. Qua tamen in re vix possumus satis cauti esse. In emendandis enim glossis illud quoque saepenumero neglectum est quod, nisi omnes corrigendi viae quasi clausae sunt, non licet initiali glossae littera mutata emendationem periclitari. Quam legem, quamvis tam manifesta esse videatur ut demonstratione non egeat, permulti tamen — quo ex numero ne Scaliger quidem eximendus est — eo violarunt, quod glossas ad alias litteras deferri posse nimis facile sibi persuaserunt. Nam quamvis illud factum esse omnino negari non possit — scriptorum enim loci, unde glossae depromebantur, sat saepe iam corrupti erant —, attamen larga glossarum quae huc pertinere videantur copia ob certas rationes (imprimis dico vetustas et linguae vulgaris formas) aliter comparata est. Velut Iosephus Klein ('Zu den Glossen des Philoxenus' in Musei Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 289 sqq.), ubi Philoxeni glossam Livianam p. 23, 4 ed. Vulc. '*a*roscit: πλανᾶται' in '*e*rrascit: π.' mutandam proponit, non debebat ad eiusdem glossarii p. 152, 38 *pariolus*: προφήτης, θυοσκόπος provocare; *pariolus* enim nihil est nisi *phariolus* hoc est *fariolus*[2]). Sic glossae codicis Leidensis 67E f. 30^{v}b *heligus genus ē metri conaxa metro et penta metrico*, cuius interpretamentum *genus est metri conpositi ex hexametro et pentametro* scribendum, et f. 61^{r}b *yperbolice*: *elate*

---

[1]) Hinc quid ad indolem glossarii existimandam concludi possit infra exponemus.

[2]) Cf. *fariolus*: *uates* glossam codicum Vaticani 3321 f. 61^{v}; Sangallensis 912 p. 105 (*uatis*); Amploniani[1] p. 331, 119 (*uatus*); Amploniani[2] p. 333, 108 (*furiolus fatis*) et permiras duas hasce: *fariolus*: *uatis, qui ariolus: unde hyfa uocant* (cod. Leidens. 67E f. 25^{r}a) et *fariolus*: *ariolus, uates, quod galli humerum* (*Homerum?*) *dicunt* (gloss. Salomonis, ubi vox paenultima sic scripta exstat *humerū*, singulari *h* litterae forma).

ob vulgaris sermonis *h* modo addentis modo dementis consuetudinem non suis locis exstant. Similiter iudicandum est de his glossis: *Ubdo: obduco vel subpono* (gloss. Hildebrandi p. 289, 49: *obdo*); *Bispillum: mortuos portans* (ibidem p. 32, 44: *vespillo*); *Conisma: picta imago* (cod. Amplonianus^{1} p. 280, 1: *conisma* = *iconisma* = εἰκόνισμα); *Pistilia: capitella* (idem p. 361, 174: *pistilia* = *epistilia* = ἐπιστύλια); *Pimelia: gr. cura* (idem p. 362, 251: ἐπιμέλεια); *Haus: dimersum eabruptum infernum uel tenebre exteriores* (cod. Leidensis 67E f. 30^{v}a: *haus* = *Chaos*); aliis. Quamquam sane — ut iam diximus — negari non potest, hic illic nullam eius modi rationem subesse, velut codicis Leidensis 67E f. 9^{v}b glossa *ñ bacti: conpulsi* inter *b* litteram recepta est *Coacti* lemmate in *bacti* corrupto. Similiter eiusdem codicis f. 8^{r}b *a* litterae glossa *ñ aruas: demonas*, quam etiam codices Vaticanus 3321, Sangallensis 912, Leidensis 67F, Bernensis 224, alii exhibent, nisi *laruas* lemma scripseris intellegi nequit.

Ab his, quae ad universa glossaria spectantia praemonenda putavimus, ne illa quidem quaestio gravissimi ad recte aestimandam glossarum latinarum indolem utilitatemque ponderis aliena est, quodnam inter ceteras glossas et Pauli epitomam sive Festum sive Verrium Flaccum necessitudinis vinculum intercedat. Si enim vera esset, quae tralaticia est de glossis latinis opinio, hausta nimirum haec omnia ex Pauli epitoma sive Festo: si diutius in colligendis disquirendis emendandis his reliquiis versaremur, non sine aliquo iure oleum et operam perdidisse diceremur. Quae quidem quaestio quamquam generatim absolvi nequit — singula enim glossaria diligenter in examen vocanda sunt vocabunturque infra[1]) —, tamen hoc vel nunc contendere licet, glossas mere latinas quae proprie sic vocantur non ex Paulo — Festo — Verrio Flacco sumptas esse, sed, quamvis ad unum eundemque fontem, scriptorum dico locos certos, saepissime redeuntes non raro simillimae sint, fere semper tamen ex prorsus aliis atque ex Festo rivulis fluxisse. Quae ratio ut unicuique in oculos

[1]) Velut Philoxeni, Placidi, Salomonis, alia glossaria.

incurrat, exempla cumulanda neque chartae parcendum esse duximus.

Romuli vetustum *altellus* cognomen ex solo Paulo p. 7, 10[1]) adhuc notum est: 'altellus Romulus dicebatur, quasi altus in tellure vel quod tellurem suam aleret, sive quod aleretur telis[2]); vel quod . . . alternis vicibus audierit locutusque fuerit.' Vide, quae copia glossarum ex Festo non derivatarum huc spectet:

I. *Altellus*: *terrae nutritus*[3])

Mai VI p. 506a; cod. Vossianus Oct. 24²; cod. Sangallensis 912 p. 20.

II. *Altellus*: *alte edocatus*

Fragmentum Vindobonense 2404 (*acitella*); cod. Sangallensis 912 p. 20 (*alcitellus*: *alte evocatus*).

III. *Altellus*: *altus diminutive*

cod. Amplonianus³ p. 273, 107 (*diminũ*); fragmentum Deycksii.

IV. *Altellum*: *hoc est terrenum*

Mai VI p. 506a (*terranum*).

Sic confer quae subieci:

Pauli Festus:	Glossae:
p. 9, 14: Adrumavit: rumorem fecit sive commurmuratus est, quod verbum quidam a rumine id est parte gutturis, putant deduci.	Adrumavit: rumorem adtulit Mai VI p. 504a; cod. Vossianus Oct. 24 (*adruminavit r. attulit*); gloss. Crameri 'Hauschronik' p. 202 (*obtulit*); Mai VI p. 504a = cod. Vatican. 3321 f. 6ʳ (*adruminavit r. adtollit*); gloss. Hildebrandi p. 4, 47 (*adtullit* L); cod. Bernensis 16 f. 11ʳb (*attulit*: ut ex Vergilio!); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus¹ p. 263, 361 (*obtulit*); cod. Amplonianus² p. 267, 119 (*adromavit*); gloss. Isidori p. 669, 46 (*adrummavit rumores*); gloss. Salomonis (*attulit*).

1) 'Romuli cognomen hoc solo teste notum, a Naevio puto vel Ennio memoratum': O. Muellerus in adnotatione.

2) Num forte *tellis*?

3) *terrae* locativus est.

p. 16, 6: Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quae ad sacra publica capite portabantur.

Arcolonus[1]): circulus, quem in capite habent qui exgerunt uasa

Mai VI p. 509 a; cod. Vossianus Oct. 24^{2} (*arcolomus*: *qui — vasa* verbis omissis).

Arculus: circulus, quod ubique arceat

cod. Vossianus Fol. 24 (*qđ*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Leidensis 67 F^{2} f. 54^{v}d (*qđ usique*).

p. 11, 14: Arferia aqua quae inferis libabatur, dicta a ferendo; sive vas vini, quod sacris adhibebatur.

Arferia: vas vinarium, quo vinum ad aras ferebant[2])

Mai VI p. 509 a (*arseria*); cod. Leidensis Bibl. Pub. 191^{3} (*arseria*: *v. v.*; reliqua desunt); cod. Vossianus Oct. 24^{2} (*vasa quod . . . ara fert*); cod. Sangallensis 912 p. 25 (*arceria . . . cum quo . . . ferebat*).

p. 56, 13: Clingere: cingere, a graeco κυκλοῦν dici manifestum est.

Clingit: clūdit[3])

gloss. Hildebrandi p. 55, 109 (L et P); cod. Vossianus Fol. 82 (cf. ibidem *clangit*: *clingit cludit,* quod natum ex *clangit*: [*personat*]; *clingit*: *cludit*); gloss. Isidori p. 673, 42 (*eludit* male Vulcanius: *cludit* Scaligeri excerpta); cf. etiam Papiae glossam: *clingo*: *excludo.*

---

1) Quid haec vocabuli forma sibi velit nescio; neque tamen corrigere ausus sum.

2) *Arferia* glossographo ex *ara* et *ferre* natum videtur: at *ar* potius *ad* praepositionem esse nemo non videt.

3) Verum permira glossa, quae aut *clinsit*: *decurtavit* (cod. Sangermanensis teste Hildebrando p. 55 b) aut *clinsit*: *degustavit* (Mai VII p. 555 b) aut *clinsit*: *decortavit* (gloss. post Salomonis gloss.) aut *clinxit*: *decurtavit* (Papias) scribitur, ad *clingere* verbum non pertinere videtur. Quo autem modo emendanda sit, incertus haereo; num forte CLINSIT ex GLUVSIT (*gluvsit* = *glubsit*) natum et pro *decortavit* (sic glossarium post Salom. adiectum) *decoriavit* scribendum? Cf. *glubit*: *excoriat* (*glumit* gl. Salomonis et cod. Bernensis 357 f. 14^{r}a; *gluuit* cod. Leidensis 67 E f. 29^{v}a et cod. Palatinus 1773 f. 141^{v}; *glumit exoritur* Papias).

p. 47, 8: Carinantes: probra obiectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis; sic illi sortis infimae.	Carinantes: inludentes, inridentes Mai VI p. 530b (*karinantes*); Mai VII p. 565b (*karinantes inludentes vel invidentes*); gloss. Salomonis (*karinantes illudentes vel irridentes*); gloss. Arabic. p. 702, 45 (*carino: illudo, irrideo*); gloss. Vincentii Bellovacensis (*karinantes illudentes*), apud quem *inridentes* omissum est, sicut etiam in eis quae nunc secuntur testimoniis: cod. Sangallensis 912 p. 46; gloss. Hildebrandi p. 46, 44 (*carinentes* PL); cod. Amplonianus[1] p. 282, 162; cod. Amplonianus[1] p. 285, 360; cod. Amplonianus[2] p. 286, 44; cod. Vossianus Fol. 24 (*carinentes*); cod. Vossianus Fol. 82 (*carinentes*); gloss. Salomonis (*carinentes illudentes*); Papias (*carientes illudentes*); gloss. 'Isidori' p. 673, 24. Carinantes: argutantes[1]) cod. Vossianus Oct. 24; cod. Sangermanensis Du Rieuo teste.
p. 42, 1: Coniuoli[2]): oculi sunt in angustum coacti coniventibus palpebris.	Coniuoli: concordes, coniuncti Mai VI p. 517b; cod. Sangall. 912 p. 66 (*conuoli c.*, om. *coniuncti*

[1]) Vides Ennii Annalium versuum 181 sq. 'contra carinantes verba [atra] atque obscena profatus' *carinantes* vocabulum diversos glossographos interpretatos esse *probra obiectantes*; *inludentes, inridentes*; *argutantes*. (De ipsa forma v. Ritschelium disputantem de epigramm. Sorano in Monum. epigr. tr. p. 17).

[2]) Non suo iure hoc loco O. Muellerus Lindemannum secutus est, librorum scripturam quae est *contuoli* male defendentem: debebat potius Scaligerum, qui *coniventibus* vocabulo duce *conivoli* ingeniose proposuit, quae emendatio egregie confirmatur glossa illa *conivolis: frequenter nictantibus*. Ad translatum eiusdem vocabuli usum spectat etiam alia glossa: *coniuoli: concordes, coniuncti* et Paulus p. 61, 8 *conivola: occulta*. Ceterum quod *coniventibus* scripsi, non nititur haec scriptura unice vera Muelleri codicibus (*conniventibus* Monacensis, *continentibus* Gudianus exhibent), sed excerptis ex Pauli epitoma in glossarium Salo-

voce); cod. Leidensis 67F f. 17^{v}d (*coniboli*); cod. Bernensis 224 f. 207^{v}a (*coneboli*); gloss. Hildebrandi p. 68, 276 (*conibuli*); cod. Vossianus Fol. 24 (*conibili*); cod. Vossianus Fol. 82 (*conibuli*); cod. Vaticanus 3321 f. 27^{v} (*coniboli*); cod. Amplonianus² p. 289, 233 (*conibo c. coniunctio*); gloss. Isidori p. 672, 58 (*iuncti*); gloss. Isidori p. 676, 5 (*cohibuli*); cod. Sangermanensis (*conibuli*); Mai VII p. 556b (*coniboli*); Papias (*conniuoli*).

Coniuolis: frequenter nictantibus

cod. Sangermanensis apud Hildebrandum ad Glossarium Parisinum p. 69a: *cohibulis* codex, attamen inter *con-* glossas; *nutantibus* idem, quod emendavi.

p. 74, 9: Diabathra: genus solearum Graecanicarum.

Diabatra: genus calcei muliebris[1])

cod. Amplonianus² p. 296, 96 (*diabratro*).

---

monis glossis subiectum derivatis, ubi *conitentibus* scriptum est. Paulum et Festum non raro glossariorum ope et emendari et illustrari posse luculenter demonstravit Scaliger, post quem novi quidquam vix prodierit, quamquam permulta eius studiis addi possunt. Velut vide num ad illustrandum Pauli locum p. 26, 8 *aestimias*: *aestimationes,* ubi *aestimias* vocabulum ut Muellerus ait 'alias incognitum' in *aestimia* mutare volebat I. Lipsius, defendebat O. Muellerus, glossarum memoria adhiberi possit. Aperte enim ad eandem vocem codicis Sangallensis 912 p. 15 glossa *aefunnę*: *aestimationis* spectat, cum pro *aefuuuę* scribendum sit *aefτιmię* hoc est *aestimiae.* Ceterum ne *aestimium* quidem vox a glossariis aliena est: cf. *aestimium*: *aestimatio* apud Maium VI p. 505a; *aestimium aestimationem puto dici* (cod. Sangerman.; cod. Bernensis 16 f. 16^{v}a, qui *aestinum* erasa *n* littera et *mi* supra *-in-* scripto exhibet; Mai VII p. 551a).

[1]) Naeviana glossa, ut videtur, ad versum *Díabathra in pedibús habebat, érat amictus épicroco* (v. 57 p. 13 trag. Ribb.²) spectans.

Festus p. 177a 16: **Nictit** canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens, ut Ennius in l. X (ann. v. 344 sqq. p. 51 sq. ed. Vahl.): 'sicut si quando vinclis venatica velox | apta solet canis forte feram sei nare sagaci | sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute'; unde ipsa gannitio.	**Nictit canis, cum acute gannit** cod. Sangallensis 912 p. 178 (*agute*); cod. Leidensis 67E f. 42ʳb; cod. Amplonianus¹ p. 354, 64 (*nectit*); cod. Amplonianus² inedit. p. 355, 19/20 (*accute*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Leidensis 67F f. 37ʳd (*canes . . . gignit*); cod. Bernensis 224 f. 217ʳc (*canes*); gloss. post Salomon. f. 273ʳb; Mai VII p. 570a (*necne canis dum gannit*); Papias (*nictim*); gloss. Hildebrandi p. 218, 76 (*acutae* L: *cannit* L et P); gloss. Isidori p. 688, 3. **Nictit canis, cum leviter gannit** cod. Leidensis 67E f. 42ᵛa (*niet . . . garrit*). **Nictit canis, cum excitatur** cod. Vossianus Oct. 24² (*excitetur*). **Nicto: latro** cod. Leidensis 67E f. 42ʳb; cod. Amplonianus¹ p. 354, 45; cod. Vossianus Fol. 82 (*nioto*).
Festus p. 205a 2: **Offendices** ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur. At Veranius coriola existimat, quae sint in loris apicis, quibus apex retineatur et remittatur, quae ab offendendo dicantur. nam quom ad mentum perventum sit, offendit mentum.	**Offendix: nodus proprie, quo apex flaminum retinetur et premitur** Mai VI p. 537a (*offendis*); cod. Bernensis 258 f. 181ᵛ (*offendix: nodus*, reliquis omissis).¹)

Haec omnia cum ex Paulo sive Festo hausta esse non possint, quaeritur unde tandem glossae tam exquisita doctrina

¹) 'Isidori' glossa p. 689, 13: *Offendices: nodi quibus libri signantur,* utpote ex Osberni Panormia hausta (cf. Mai Class. Auct. t. VIII p. 398: . . . *offendices, cum .i. nodi quibus libri signantur,* et p. 401a *offendices: nodi quibus libri signantur*) admodum suspecta est.

conspicuae fluxerint. Quae quaestio satis intricata, cum codicum glossas continentium praecipua pars etiamnum in bibliothecis abscondita lateat, absolvi nondum potest, attingi autem et ex parte tractari potest. Atque ut multae glossae ex codicibus glossatis, ut hoc vocabulum fingere liceat, aperte sumptae sunt, quarum exempla infra quaere, ita equidem non dubito quin bona pars doctissimarum glossarum ad vetustissimos glossographos — Aurelios Opillios dico, Aelios Stilones, Servios Sulpicios, alios — redeant, quo ex fonte quae hausta erant per multos rivulos ducta postremo in glossaria nostra pervenerunt. Exstant enim glossae quae non sine aliqua probabilitate ad tam locupletes auctores revocari posse videantur.

Apud Festum p. 173a 21 de *nuscitiosus* voce haec exponuntur: 'Nuscitiosum Ateius Philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum vitium parum videret. at Opillius Aurelius nuscitiones esse caecitudines nocturnas. Aelius Stilo, qui plus videret vesperi, quam meridie, nec cognosceret nisi quod usque ad oculos admouisset.' Non improbabile esse duco, ex Aelii Stilonis largis copiis derivatam esse hanc pusillam glossam:

Nusciosus: *qui plus vespere videt*[1])

cod. Vaticanus 3321 f. 105^{r}; cod. Sangallensis 912 p. 181 (*vepere*); cod. Vossianus Fol. 82; Mai VI p. 535b; gloss. Hildebrandi p. 221, 143; gloss. Salomonis f. 143^{r}b; cod. Amplonianus[2] inedit. p. 355, 38/39; cod. Amplonianus[1] p. 354, 50 (*nasciosus q. vespere plus vidit*); codd. Leidensis 67F f. 37^{v}d et Bernensis 224 f. 217^{v}a (*nuscios plus vespere videt* uterque codex); gloss. Vincentii et Papias (*vespere plus,* ut cod. Amplon.[1]).

Truncatam enim hanc glossam esse, aperte demonstrat comparativus ille *plus*, qui vix habet quo apte explicetur

---

[1]) Non deest alia persimilis glossa ad eandem vocem spectans, quae sic currit:

Nosciosus: *qui melius vespere videt*
cod. Palatinus 1773 f. 210^{r}; Papias (*noctiosus*).

De gemella forma quae est *lusci*[*ti*]*osus* infra e glossis non nulla proferentur. Cf. etiam F. Ritschelium 'de Varr. discipl. libris' p. 17.

sine *quam meridie* vel similibus verbis. Idem Festus p. 330b 33 hanc memoriam alibi non redeuntem servavit: '*spirillum* vocari ait Opillius Aurelius *caprae barbam.*' En glossas nostras:

Stirillum: *caprae barba*
cod. Amplonianus[1] p. 374, 55.

Sterillum: *barba de capra*[1])
Mai VI p. 545b; gloss. Salomonis; Papias.

Sic etiam Sulpicii Rufi interpretamentum ad legem XII tabularum spectans in glossis nostris exstare infra demonstrabitur. Vides quam pretiosas antiquae doctrinae reliquias glossae usque ad hunc diem iniuria spretae contineant.

Iam unum restat ad fontes indagandos item pertinens: quae tamen res prorsus certa aut perspicua non est, sed quodam modo ad sensum redit. Namque vel eas quas supra exscripsimus testimoniisque satis suffulsimus glossas

---

[1]) *spirillum* Festus, *stirillum* sive *sterillum* glossae: utra forma vera? Si ἐτυμολογεῖν licet, cur *sterillum* forma displiceat non video. Cogitari enim potest rigidiusculam caprae barbam *ster-illum* vocatam esse eodem modo quo homini 'duribuccio' barba *sterilis* tribuebatur. Qui usus *sterilis* vocabuli — cuius etymon ad στερεός στερρός στέριφος, scrt. *sthiras,* germ. *star* pertinet: vide G. Curtium 'Grundzüge'[3] p. 201 — adhuc non notus re vera exstitit. Confer enim sis hanc glossam:

Barba sterili: *duribuccius*
cod. Leidensis 67 F^2 f. 55^rb (*stereli*); cod. Vossianus Fol. 82 (*dumbuccius*); cod. Vossianus Fol. 24 (*stereli duri buccius*); cod. Sangermanensis (*stereli duribucius*); cod. Bernensis 16 f. 52^vb (*duribucius*); cod. Vossianus Oct. 24 (*ducibucius*); Mai VII p. 552b (*duri butius*); gloss. Isidori p. 670, 34 (*barbastereli*); eaedem p. 672, 9 (*barbasterili*).

Pro *duribuccius* poterat etiam *oridurius* interpretari glossographus: cf. Cyrilli p. 609, 38 glossam Σκληρόστομος: *oridurius.* Ceterum ad aliam rem spectat Petronii c. 43 (p. 47, 10 B. ed. mai.) *durae buccae fuit.* Utut autem etymon vocabuli rarissimi se habet, hoc certo scio neminem meae praelaturum esse Ioannis Meursii coniecturam, qui in Exercitationibus criticis Lugduni Batavorum a. 1599 editis II p. 108 sq. haec nugatur: 'nemo . . . nescit *spiras* dictas funes nauticos — quamvis proprie convolutos tantum — omnes abusive. Hinc *spirilium,* quod spirae nimirum inde fierent.'

perlustrantem vix te fugerit, glossarum exquisita vetusta pretiosa ut ita dicam vocabula exhibentium sat saepe in glossariis paria esse tradita; velut memineris glossas illas: *arcolonus*: *circulus, quem in capite habent qui exgerunt vasa* et *arculus*: *circulus, quod ubique arceat*; *carinantes*: *inludentes, invidentes* et *carinantes*: *argutantes*; *nusciosus*: *qui plus vespere videt* et *nosciosus*: *qui melius vespere videt*; *stirillum*: *caprae barba* et *sterillum*: *barba de capra.* Neque aliter comparata est satis magna optimae notae glossarum pars, velut etiam hae, quarum testimonia infra suis locis proferentur: *adasia*: *ovis maior natu* et *adasia*: *ovis maior quae peperit*; *agrippa*: *qui in pedes nascitur* et *agrippa*: *qui in pedibus nascitur*; *noneolae*: *tubercula, quae sub mento caprae sunt* et *noneolae*: *pubes caprarum*; *vagurrit*: *per otium vagatur* et *vagurrit*: *otio deperit, vagat.* Non opus est plura exempla addere: unum tamen sat memorabile praetermittere nolo.

I. *Ninnarus*: *morio, cuius uxor moechatur: ipse scit et tacet.*[1])

Reconcinnavi glossam ex hisce frustulis:

Ninnarus: *morior* cod. Amplonianus² p. 355, 26.

Ninnarus: *morio, cuius uxor moechatur et tacet*: cod. Vaticanus 3321 f. 103ᵛ = Mai VI p. 535a (*ninnarius . . . necatur*); cod. Palatinus 1773 f. 207ᵛ = Mai VII p. 570b (*murro . . . mecatur*); gloss. Salomonis f. 140ʳb (*murio . . . mechatur*); Papias (*nimnarus murio*); gloss. Isidori p. 688, 26 (*ninnarius*); cod. Leidensis 67F f. 37ʳc (*murio . . . mechatur*); cod. Bernensis 224 f. 217ʳc (*murio*).

Ninnarus: *cuius uxor mechatur; scit et tacet*: cod. Amplonianus¹ p. 354, 70; cod. Amplonianus² p. 355, 24 (*nimnarus*: *et tacet* verbis omissis).

Ninnarus: *mirio, cuius uxor moechatur; ipse tacet*: gloss. Arabic. p. 707, 53.

II. *Ninnarus*: *morio, cuius uxor adulterat, et ipse tacet.* cod. Sangallensis 912 p. 178 (*murio*).

Prorsus idem autem, quod totam glossariorum copiam perscrutanti non potest non evidens esse, etiam in singula quaedam glossaria cadit, cum non nulla, sicut *affatim* glossae et

[1]) Vide Ottonem Iahn Musei Rhenani t. VI (a. 1848) p. 477.

codicis Leidensis 67E s. IX permemorabile glossarium, ex duobus fontibus fluxisse videantur, cui rei comprobandae cum hic locus non sit, has duas glossas ex codice illo Leidensi f. 49^{v}a exscripsisse nunc satis habeo:

Quisquilias: *purgamenta de summitatibus corticibusque pomorum*

quisquirias . . . *sumitatibus* . . . *pommorum* codex.

Quisquilias: *surculos minutos vel paleas cuiuscunque leguminis*

surculus minutus . . . *liguminis* codex.

His iam expositis non video quid restet nisi ut glossariorum copiae, quae perlustrantis animum paene perturbat, quoad fieri possit in ordinem redigendae periculum faciamus. Quo in genere qui universam materiam in certas partes discernere velit, eum inutilem laborem frustra sibi impositurum puto, quoniam glossarum multiplex et intricatus conexus fieri non potest quin eius modi conatu divellatur. Nihilo tamen setius non nulla constitui possunt, quae non sine aliqua utilitate memineris. Etenim si quid video, 'glossaria latina' duo imprimis corporum genera appellari solent. Alterum genus illud est, quod usu inde ab antiquitatis temporibus vigente simplices comprehendit glossas, hoc est vocabula rariora et propterea explicatione egentia cum interpretamentis coniuncta, cuius modi est velut codicis Leidensis 67E f. 43^{v}b glossa *obquiniscebant*: *inclinabant se.* Praeterea autem *glossarium* vocabulo paulo plus tribuentes 'glossaria latina' etiam ampla illa corpora appellamus, in quae praeter multos locos ex certis scriptoribus excerptos etiam 'glossae' receptae sunt: cuius quidem generis luculentissimum exemplum est 'liber ille glossarum', ex quo Papiae, 'Salomonis', aliorum glossaria derivata sunt, ubi praeter Placidi, Eutychis, anonymorum glossas etiam multa insunt neque ea parvi ambitus ex Augustino, Ambrosio, Isidoro, aliis, ut notulae marginales indicant, excerpta. Neque tamen omnia huius generis glossaria tam capacia sunt, cum etiam glossas Petronii quae vocantur similiaque excerpta suo iure quispiam huc rettulerit. Hoc genus, ubi glossaria latina perlustrabuntur, altero loco

tractabitur, altero glossae quae proprie sic appellantur. Iam quaeritur, quas in partes haec ipsae discribendae videantur. Ac duo potissimum dividendi modi sunt, quorum alter ad *linguam* spectat, ad *materiam* sive *ordinem* alter. Etenim non omnes glossae quas latinas appellamus mere latinae sunt. Itaque quod ad lemma et interpretamentum glossae attinet:

aut utrumque latinum est: glossaria *mere latina*[1]), velut quae sub Isidori nomine feruntur, Placidi glossae, sim.;

aut lemma latinum est, interpretamentum graecum: glossaria *latinograeca*, cuius generis prae ceteris eminent egregiae illae glossae, quae Philoxeno falso inscribuntur;

aut lemma graecum est, latinum autem interpretamentum: glossaria *graecolatina*, velut Cyrilli quod vocatur glossarium, fragmentum Coloniense, sim.

Huc pertinent etiam latinogermanica, latinogallica, latinoitalica, multa id genus glossaria, quorum tamen non ita saepe rationem habebimus. Etenim maximam eorum partem haud difficile demonstrari potest ex glossis mere latinis factas esse latinogermanicas, latinogallicas, al., interpretamentis in Germanorum, Francogallorum, Italorum al. sermonem conversis. Iam cum ipsae illae glossae, unde novae translatae sunt, fere semper exstent, nihil fere habent ad studia nostra utilitatis. Accedit quod glossarum maxime latinogermanicarum larga copia non e glossariis, sed e codicibus glossatis deprompta est, quae non ad nostrum munus, sed ad illorum scriptorum κρίσιν et ἐξήγησιν spectant. Neque tamen negleximus hanc glossariorum partem, de qua quoniam pluribus agere nolumus, pauca huc spectantia nunc proferimus. Si quis autem germanica glossaria et studia ad ea pertinentia uno quasi obtutu perlustrare voluerit, ei commendamus quae I. Zacherus in Erschii et Gruberi Encyclopaediae primae sectionis parte septuagesima Lipsiae a. 1860 edita sub lemmate 'Glossen (althochdeutsche' u. s. w.) p. 213—218 collegit, quibus sane addenda, quae postea in diurnis philologicis

---

1) Glossaria 'latinolatina' novare non audeo.

et alibi edita sunt. Nos praeter vetustiora — velut 'glossaria duo[1]) Carolo Magno inscripta Latino-Francica' in Marci Zuerii Boxhornii Historia Universali (Francofurti et Lipsiae ed. a. 1675), D. Iohannis Diecmanni 'Specimen Glossarii MSCti Latino-Theotisci, quod Rabano Mauro ... inscribitur ... Opus posthumum' Bremae ed. a. 1721 4°, 'Aelfrici' glossarium anglosaxonicum, glossarium latino-italicum Du Cangii, Graffii 'Althochdeutscher Sprachschatz' — hic illic ad usum nostrum non sine utilitate adscivimus Laurentii Diefenbach 'Glossarium Latino-Germanicum mediae et infimae aetatis' ex codicibus manu scriptis et libris impressis concinnatum et Francofurti ad Moenum a. 1857 editum, eiusdemque 'Novum Glossarium Latinogermanicum mediae et infimae aetatis' ibidem a. 1867 evulgatum. Neque nos fugit K. I. Schröerii 'Lateinisch-deutsches Vocabular von MCCCCXX' Pressburgi a. 1859 proditum, Scheleri 'Lexicographie latine du XII[e]. et du XIII[e]. siècle. Trois traités de Jean de Garlande, Neckam et Adam du Petit Pont' Lipsiae a. 1867 seorsum typis descripta, id genus alia.

Alter dividendi modus ad materiam spectat. Aliae enim glossae compositae sunt ordinis qui dicitur alphabetici aut diligentissime aut laxius aut omnino non ratione habita[2]), significatione autem glossarum prorsus neglecta, quae est multo maior pars: velut 'Isidori', Placidi, anonymae sescentae; aliarum contra ordo is est, ut glossarum ad eandem materiam, velut ad caelum deos animalia supellectilem ferramenta, alia spectantium tota capita conectantur, cuius generis sunt Stephani 'Vocabula in certa capita veluti in communes locos digesta.' Hic quoque aliarum atque latinae et graecae linguarum usus similia protulit, quorum unum commemoro

[1]) In priore glossae ad Iuvencum spectantes insunt.

[2]) Qui glossaria non multa novit, non facile putaverit vel glossarum ad alphabeti ordinem digerendarum pervarias esse posse species. Modo enim respicitur ad litteras ab initio vocum primas hunc in modum: *ab- ac- ad- ae-* vel *aba- abb- abc- abd-* . . . *aca- acb- acc-* . . ., modo ad vocales ita, ut talis ordo evadat: alv*u*s *au*guste abi*u*rat ad *u*lciscendum amb*u*rit amb*u*stum . . ., modo lemmatum extremarum litterarum ratio habetur, sim.

'Vocabularium Optimum' a Guilelmo Wackernagel Basileae a. 1847 editum. —

Primum igitur ad glossaria mere latina nos convertimus, quo ex numero ut 'Isidori' quae vocantur glossas primo loco tractandas eligamus, ipsa earum singularis natura facit.

§ 2.

De 'Isidori' glossis.

'Isidori' glossas, quarum apud priorum saeculorum philologos multiplex fuit, quamvis non semper sanus usus, primus edidit Bonaventura Vulcanius in libro Lugduni Batavorum a. 1600 impresso qui inscribitur 'Thesaurus utriusque linguae . . .' inde a p. 667 '*Applare, cochlear Amasco, amare cupio Abrogans, humilis*' usque ad p. 698 '*Zanga, pellis. Acro, Nigris medium impediit crus*', hoc titulo praefixo: 'Liber Glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus.' Simillimae indolis sunt quae p. 699 sq. edidit sexaginta tria 'vocabula rariora collecta e glossis veteribus.' Ad utrumque glossarium pertinent quae p. 91—106 adiectae sunt 'Bon. Vulcanii Brug. castigationes et notae in glossas Isidori', quibus percorruptae illae glossae feliciter sane non semper, plerumque tamen ingeniose tractantur[1]), quae quidem ingeniosa sagacitas et singularis doctrina unde fluxerit mox apparebit.

Exiguo temporis post Vulcanium intervallo iteratae sunt 'Isidori' glossae ad calcem Dionysii Gothofredi I. C. 'Auctorum latinae linguae in unum redactorum corpus', quod editum est S. Gervasii a. 1602. Cum autem glossae Vulcanianae intra singularum litterarum ambitum sine ullo ordine coacervatae essent, sat utiliter apud Gothofredum ad severum alphabeti ordinem redactae sunt, ut inde a p. 1: '*Ab se, spontaneus Abaja, infama domus Abadir, lapis Abartenum, inhonestum . . .*' usque ad p. 34 '*Utensilia, viatici sumptus Vul-*

---

[1]) Velut glossam p. 676, 22 *cumerus*: *urbanus* notarum p. 95, 13 *camerus*: *curbatus* scribendam proponit, ad p. 682, 49 *incippat*: *illudit* p. 97, 25 adnotat: καταστηλιτεύει, ad p. 675, 1 *castipulum*: *mensa quadrata* p. 94, 51 'alias (sic!) *cartibulum*', sim.

tuosus, tristis Zanga, pellis . . . pellibus' pertineant, eodem quo Vulcanius usus erat titulo praescripto. Neque tamen feliciter haec nova ordinatio cessit, cum Vulcaniana non integra manserint. Inserta enim sunt inter 'Isidori' glossas 63 illa 'vocabula rariora', quorum mentionem modo fecimus; velut quae p. 17 apud Gothofredum exstant *hebira*: *lorica* et *hilo*: *aquilo*, eas inter 'Isidori' glossas quaerere noli, cum ex 'vocabulis rarioribus' p. 700, 13 et 14 sumptae sint. Praeterea autem non ea qua par erat diligentia quae Vulcanius ediderat repetita sunt; conferantur

Vulcanii glossae	Gothofredi glossae
p. 696, 28 Tironatum, rudimen	p. 31 Tironatum, rudinem
p. 696, 29 Togillatim, singillatim	p. 32 Togillatim,. sigillatim
p. 696, 49 Tongillatim, sigillatim	p. 32 Tongillatim, singillatim
p. 696, 34 Tuspollen, manna, vel genus pigmenti	p. 32 Tuspollem, manna, vel genus pigmenti
p. 696, 36 Teloneum, quasi omnium . . .	p. 31 Telonem, quasi omnium . . .
p. 697, 9 Tongilliatim loqui, pravis verbis . . .	p. 32 Tongillatim loqui, pravis verbis . . .
p. 697, 20 Trimitat post urna	p. 32 Trimitat, posturna

Haec ad solam *t* litteram spectantia si forte levioris momenti esse videantur — quamquam eius modi mutationes paene semper merae corruptelae sunt —, idem in illud cadere non potest, quod integrae Vulcanii glossae apud Gothofredum omissae sunt: velut frustra apud hunc quaesiveris Vulcanii glossas p. 697, 19 *tragispicum*; p. 672, 9 *barbasterili, duribuccius*[1]); p. 693, 6 *rinas, naves*; p. 693, 47 *scriba aedilitius, qui ex aedile est*, alias. Neque vero haec omnia vel verbo commemorassem, nisi scirem, qui postea 'Isidori' glossas ediderunt

[1]) Repetiit hanc tantum Vulcanii p. 670, 34 glossam: *barbastereli*: *duribuccius*; etenim ubi easdem glossas sive leviter mutatas sive integras bis vel adeo ter Vulcanius exhibet, singulas iteravit Gothofredus, unde ad κρίϲιν factitandam ex huius editione minus etiam subsidii peti potest quam ex Vulcaniana.

omnes Gothofredi vestigia anxie pressisse, laborem glossarii iterum concinnandi vel certe ad normam Vulcanianae editionis emendandi fugientes. — Adiecta sunt apud Gothofredum 'Excerpta Pythoeana ex veteribus glossis', 'Isidori' glossarum tamquam lacte lactis similia, inde a p. 33 '*Auctoratio, venditio: nam sub auctorationem sunt gladiatores qui se vendunt*; *Acieres, genus securis*; *Adtibernalis, vicinus* . . .' usque ad p. 80[1]) '*Vascillum vas parvum Macrobius 'soluens radiis in aqua subiectum vascilli' Glos. vascillium*; *Vetulia, paruae fabae*; *Viria, viriale brachiale*'. Diligentius autem inquirenti, quod necessitudinis vinculum inter Vulcanii glossas et haec 'excerpta' intercederet, collatis inter se singulis apud utrumque glossis mihi apparuit:

1) longe maiorem glossarum Pithoeanarum partem mutato ordine, additis multis eisque saepe corruptis coniecturis et notis[2]), ipsam miserum in modum corruptam, ex

---

[1]) Ne cui mirum videatur, cur glossae e Vulcanio repetitae 33 paginis vel potius 'columnis' contineantur, 'Excerpta Pythoeana' quae pauciores glossas exhibeant 44, commemorandum videtur post p. 34 statim numerari 51. 52. 53. . .

[2]) Haec res parum perspecta multis fraudi fuit, velut Francisco Oehlero, qui in Novorum Annalium t. suppl. XIII (a. 1847) p. 232 ad 'Isidori' glossam p. 667, 59 ed. Vulc. haec adnotat: 'für *annet, fulget* ist entweder *annidet, fulget* mit den Excerpt. Pith. oder *albet, fulget* aus andern Glossen zu lesen.' Pithoei 'excerpta' p. 51 *annet, fulget, annitet* exhibent, ubi *annitet* meram coniecturam esse pro eo quod est *annet* Oehlerum, qui ea ut varia scriptura usus est, fugit. In eundem errorem aliquotiens Graevius incidit, quem in notis ad 'Isidori' glossarium scriptis 'correctiones Pithoei pro lectionis varietate habere et adducere solere' iam Semlerus loco quem statim indicabimus p. 718 suo iure monuit. Neque facere possum cum Luciano Muellero commentarii Luciliani p. 275, qui bonae notae glossam in his excerptis indagasse sibi visus est: 'in excerptis Pithoei quod tribuitur p. 70 verbum *officiperdi* Catullo, id aut ad mimographum Catullum referendum aut potius ad Catonem, qui disticha moralia scripsit.' At ne quis Catulli mimographi fragmentum in glossa quae apud Gothofredum sic iterata est: *Officiperdi, qui sui laboris non habent remunerationem Catull.* latere putet, Vulcanii p. 689, 7 glossam: *officiperdi, qui sui laboris non habeat remunerationem. Catoni quoque dicuntur officiperdi* conferat, quae ex Osberni Panormia in Mai Class.

Vulcanii editione ita videri translatam, ut multas Pithoeus omnino non reciperet, quacum ratione 'Excerpta Pythoeana' titulus optime congruit;

2) hic illic codicum manu scriptorum opem videri adhibitam;

3) novas glossas perpaucas comparere.

Haec quidem ratio nihil nisi Vulcanii et Pithoei editiones adhibenti mihi apparuit: non autem falsa[1]) me conclusisse postea cognovi, cum novorum subsidiorum ope quae horum excerptorum indoles esset indagarem. Sed priusquam eo perveniamus, ceterorum virorum doctorum editiones et studia in permiris his 'quisquiliis' collocata perlustremus necesse est.

Vulcanium Batavum et Gothofredum Pithoeosque Francogallos sequitur Hispanus Io. Ludovicus de la Cerda 'e societate Iesu', qui 'Adversariorum Sacrorum'[2]) a. 1626 Lugduni editorum capita CXLI et CXLII (p. 317a – 339b) Isidori glossis destinavit, ita ut priore capite paene[3]) integram Vulcanii editionem repeteret, altero omnes illas quas transcripsit glossas — sunt autem 527 — emendaret et enarraret. Propterea autem glossas illas in adversaria sacra recipere suum putavit quod, quin Isidori viri sanctissimi essent non dubitans, in huius óperum editionibus eas non

---

Auct. VIII p. 401a hausta est: 'officiperdi, nomen indeclinabile .i. officium perdens, qui scilicet pro suo labore non habet remunerationem. Cato: *quae dicunt officiperdi.*' Est sane Cato personatus IV, 42 p. 316 ed. Arntz.: *gratior officiis, quo sis mage carior, esto: ne nomen subeas quod dicitur 'officiperdi'*. Non magis anonymum quendam, qui in praefatione Stichi a F. Ritschelio editae p. XXXb ad Bacchidum v. 889 *confóssiorem sóricina nénia* ut novum testimonium protulit hoc excerptorum Pithoeanorum p. 67 additamentum: 'murrire: clamare, soricum naenia Plauto', collata glossae apud Vulcanium p. 686, 42 forma *murrire, clamare, proprie murium* sequor.

[1]) Quamquam non ex Vulcanio Pithoeana hausta sunt.

[2]) Libri titulus est: 'Adversaria Sacra, opus varium ac veluti fax ad lucem quam multorum locorum utriusque Instrumenti, Patrumque et Scriptorum quorumcunque: Christianae antiquitatis et sacrorum rituum pancarpia; politioris denique literaturae thesaurus multiplex.'

[3]) Velut *b* litterae glossas repetiit omnes praeter lacunosam illam Vulcanii p. 671, 29 *Brj. . . . . . de tesseris*; glossae p. 671, 22 *Basilides palatinus homo,* ἀνὴρ τῆς βασιλίδος *.i. de aula regia* verba graeca omisit.

exstare aegre ferebat.[1] In emendandis et illustrandis glossis cum Turnebi Scaligeri Salmasii Vulcanii[2] Rutgersii Gebhardi aliorum, tum suis studiis nisus non nulla haud male tractavit. Atque in eo potissimum eius notarum quaedam virtus posita est, quod medii quod vocatur aevi scriptorum eorumque latinitatis singulari scientia instructus erat, id quod cum ex notis ad 'Isidori' glossas scriptis tum ex toto adversariorum sacrorum corpore perspicuum fit: ut hodieque, qui mediae et infimae aetati linguae latinae operam navet, non sine rei detrimento hunc librum neglecturus sit. Unum exemplum sufficiet. Ad glossam p. 689, 31 ed. Vulc. '*prandeum, genus zonarum*' haec adnotat p. 326a: 'prandeum est ... lorum, fascia, cingulum. Landulphus Sagax in Iustiniano de Auaribus: *habebant enim retrorsum comas prolixas valde atque perplexas, vinctas prandeis.* Mutant *p* litteram in *b*. Monachus Sangallensis de Carolo Magno lib. II: . . . *tenuissimas illas pelliculas vel tenuiores brandeas extrahere coepissent.* Sigebertus in Chronico: *et sic brandeum altaris, quo consecratum corpus Domini involverant, particulatim dividebat*', quibus locis adde quae idem profert cap. CXXI, 34 p. 239b: ' . . . Constantinus Porphyrogenitus lib. de administrando imperio cap. 6: κατὰ τὸ ἀνῆκον τῆϲ δουλείαϲ καὶ τοῦ κόπου αὐτῶν, οἷον βλαττία, πράνδια, χαρέρια, ϲήμεντα . . .' et cap. XXI, 14 p. 14b: ' . . . Hincmarus in vita Remigii: . . . *corpus . . . brandeo rubro involutum*; Floriardus libro I historiae Remensis cap. 20: . . . *corpus eiusdem rubro constat brandeo involutum*; cap. 21: *integrumque illud cum brandeo quo prius repertum fuerat involutum, . . . transposuit*; Gregorius Magnus lib. 3 Regist. epist. 30: . . . *in pyxide bran-*

---

[1] P. 317a: ' . . . Isidorus cum sanctissimus sit suo iure cadit in haec adversaria; et glossarium istud, quod Isidori nomine circumfertur, in libris eius non invenitur'; p. 325a ' . . . profunda eruditio Isidori viri sanctissimi in eo [glossario] elucescit, qui non solum divina sed humana litteratura impense praestitit'; p. 336a 'videtur patrum voces in hanc congeriem voluisse Isidorus constipare insolentiores, sive novitate sive etiam antiquitate detortas.'

[2] Vulcanii et aliorum notarum totas series simpliciter transcripsit: velut quae apud Vulcanium p. 93 sq. exstant, eas omnes de la Cerda p. 325 sq. suas fecit.

deum mittitur atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur; et infra: *praedictus pontifex hoc ipsum* ***brandeum*** *allatis forcipibus incidit.*' Etiam codices manu scriptos adhibuit, velut 'glossarium Isidori manuscriptum, quod fuit Petri et Francisci Pithoei' (p. 20b; 65b; 324a; cet.); glossarium aliquod 'Camberonense manuscriptum' (p. 15a; 30b; 62a; 336b bis; 337a ter; alibi), bonae notae ut videtur, quo alios quoque ut G. I. Vossium et Rosveydum usos esse video; 'glossarium Steuuechii MS.' (p. 359b). Haec eius subsidia: quamquam vel his nisus omnia corruptelarum monstra perdomare sive noluit sive non potuit; his enim verbis finem facit p. 339b: 'haec placuit annotare in glossis Isidori, si possim efficere, ut illae habeant auctoritatem: reliqua quae deformata sunt, nihil curo: existimo enim ab insciis esse additamenta, quae nemo doctus probet. Quis enim probabit *coso* pro *insuo*; *cordiscosio* pro *agnosco*; *equoro* pro *nauigo*; *gignarus* pro *ignarus*; *matrasta* pro *nouerca*; *tius* pro *avunculo*; *torno* pro *redeo* et similia, quae vere sunt fatua quaeque nihil ad gloriam Isidori faciunt?'

Sequitur nostratium unus, Io. Georgius Graevius, qui postquam consilium novarum glossarum e codicibus manu scriptis edendarum dudum abiecit[1]), 'Isidori glossarium et Excerpta Petri Pithoei cum notis et animadversionibus' ad calcem 'Lexici Philologici et Cadmi Graeco-Phoenicis Matthiae Martinii' Traiecti ad Rhenum a. 1698 edidit. Qua in re ad Vulcanium redire debebat: sed quod commodius erat id potius amplexus, glossarium Gothofredi prius ad ordinem litterarum

[1]) Vide quae ipse narrat in 'dedicatione' Isidori glossis praemissa atque in libro 'Io. Georgii Graevii praefationes et epistolae XX. Hamburgi a. 1707' inscripto p. 193 repetita: 'urgebant nostri, ut quoniam ex aliis intellexissent, Isidori glossarium esse corruptissimum et nullius usus nisi emendetur, cum iis communicarem, quae ad marginem mei glossarii me adscripsisse viderant. Non difficilem me iis praebui, cum pauca observassem ante viginti quinque annos, cum editionem molirer glossariorum meorum manu scriptorum, quae nunquam divulgata sunt, cum fasciculo veterum aliorum scriptorum ἀνεκδότων utriusque linguae studiis inservientium. Sed cum alia tum in primis Tullii editio cum meum hoc institutum interpellasset, omnem illorum curam dudum abieceram.'

redactum simul cum additamentis omnibus itemque mendis transcripsit. In adnotandis autem glossis quamquam novis subsidiis ex codicibus petitis usus non est — licet sine his medela glossis corruptissimis afferri vix possit —, tamen aliquid praestitit, neque id levis momenti: ad emendandas enim illustrandasque glossas non raro Salomonem 'episcopum Constantiensem' et Papiam adhibuit[1]), atque eorum, quae ab aliis ad 'Isidori' glossas emendandas in medium prolata erant, nonnulla collegit. Dici enim nequit, quam saepe illius et eius quod praecedit saeculi philologi cum in scriptorum commentariis tum in multiplici coniectaneorum, adversariorum, variarum lectionum copia de glossis latinis coniecturas proposuerint et novas hic illic ex ipsorum codicibus ediderint. Sic persaepe Claudius Salmasius[2]) in Plinianis Exerci-

---

[1]) Sic permiram 'Isidori' p. 672, 26 glossam *catamontem*: *caeli aspectum*, cuius memoriam hanc novi: *catamontem*: *caeli aspectum* cod. Vossianus Fol. 24 (*caelia spectum*); cod. Leidensis 67F f. 12^{v}b (*cata m̃tē*); cod. Bernensis 258 f. 205^{r}a; cod. Amplonianus^{1} p. 285, 361; cod. Amplonianus^{2} p. 286, 16, Sopingius ad Hesychium p. 849 *catopsin*: *caeli prospectum*, M. Martinius, cui assentitur Arevalus, in Lexico philologico κατὰ *montem* collato psalmistae 'aspiciendo montes', Semlerus *catamitum*: *coleis absectum*, Oehlerus l. s. s. p. 236 *catamitum*: *caelo affectum* sive *in caelum avectum* scripserunt, Graevius contra collata pleniore glossae forma quae apud 'Constantiensem' exstat *cata montem*: *iuxta celi aspectum* lemma *cata mane* scribendum et ad vulgatum interpretem Ezechielis 46, 15 *faciet sacrificium super eo cata mane, mane holocaustum sempiternum* referendum vidit. Conferri possunt etiam hae glossae: *cata mane*: *de mane* apud Vincentium Bellovacensem; *cata*: *iuxta*, *secundum* gloss. Salomonis, cod. Bernensis 258 f. 9^{r}b (*vel secundum*); *cata*: *docta vel secundum* cod. Leidensis 67E f. 13^{r}a (hoc est *cata*: *docta* et *cata*: *secundum*); denique Diefenbachii 'Glossarium' p. 106a, ubi *catamane* vel *cathamane* in nostrum sermonem 'allmorgen' 'frue' 'vortags' 'gar vro' convertitur. Cf. etiam I. N. Ottium in Fleckeiseni Ann. a. 1874 p. 857.

[2]) Salmasius cum probe intellexisset, quam bonae frugis glossographorum reliquiae essent, in eis indagandis colligendis emendandis omnem curam atque operam posuerat, ita ut non sine aliqua ostentatione in notis ad Fl. Vopiscum scriptis (Historiae Augustae scriptores ed. C. S. Parisiis a. 1620) p. 436F haec proferre auderet: 'nihil est ferme glossarum veterum, sive illae editae sunt sive nondum editae, quod ego non viderim.' Sane paene mirum est, quot glossariis undi-

tationibus, ad scriptores historiae Augustae, alibi; Iosephus Iustus Scaliger[1]) in appendice Coniectaneorum ad Varronem, in Ausonianis Lectionibus, imprimis autem ad Festum; Io. Savaro[2]) ad Apollinarem Sidonium Parisiis a. 1609 editum; Marquardus Gudius[3]) ad Phaedri fabulas; Petrus Danielis[4]) ad Querolum et Petronium; Matthias Martinius in Lexico philologico; Gerh. Io. Vossius in Etymologico; Du Cangius in Glossario mediae et infimae latinitatis; alii permulti. Horum omnium coniecturas et additamenta satis

---

que collatis usus sit: velut glossis manu scriptis quas ipse possidebat perbonis (unde frequenter in commentariis hausit: ad Florum in bibliopolio Commeliniano a. 1609 ed. p. 78 *pristrix*: *bellua maris. Actius 'pristices' dixit*; p. 68 *semiruta*: *leviter emendata*; ad Script. H. A. p. 234F: *coniuga*: *conibulus, comparticeps,* p. 181 B *salambo*: *genus monstri est*: quae num forte eaedem sunt quas alibi, velut Plin. Ex. p. 70b et 187a B, 'veteres glossas Palatinas' appellat, item optimae notae?); item 'vetustissimo glossarum codice clarissimorum Puteanorum' (cf. Scr. H. A. p. 369E, Plin. Exerc. p. 162b, alibi); porro 'vetustissimis glossis manu exaratis, quarum copiam ei fecerat doctissimus Iuretus' (Scr. H. A. p. 518A); praeterea 'glossis quas habebat ab eruditissimo Labbaeo' (p. 268F); aliis.

1) De Scaligeri studiis glossographicis infra agendum erit.

2) Non ita paucas glossas 'Isidori' Vulcanianis Savaro addidit, codice usus ex bibliotheca Petri et Francisci Pithoeorum deprompto. Quibus glossis magnam laudem Iohannes Diecmannus l. s. s. in 'προθύρῳ notarum' tribuit: 'plane aliae et auctore quem praeferunt digniores [quam Isidori glossae Vulcanianae] sunt Isidori glossae mss., quibus Savaro . . . usus est'; immerito, cum glossae illae circiter sexaginta eiusdem, nisi forte minoris, quam Vulcanianae bonitatis sint. Ceterum cf. quae de Ianssonii ab Almeloveen 'auctario' infra dicentur.

3) Affert 'glossas Divionenses' (Phaedri a P. Burmanno Lugd. Bat. a. 1778 editi p. 11. 36. 40. 49. 50. 56) et 'vetustissimum glossarium Longobardicis literis exaratum et a clar. Iacobo Mentelio medico Parisiensi secum communicatum' p. 36.

4) Cf. Hermanni Hageni libelli 'der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orleans' inscripti (Bernae a. 1873 ed.) p. 12 et 14. Petrus Danielis, qui omnium facile largissimas glossarum copias possidebat, liberalissime sua cum Turnebo, Scaligero, Bongarsio, Vineto, aliis communicabat, ut Ianus Douza loco apud Hagenum l. s. s. p. 18 n. 77 excitato suo iure scripserit: ' . . . argumento est nobis veteris glossarii fiducia, quod apud litteratissimum antiquae fidei custodem Petrum Danielem nostrum in publicos potius quam privatos usus adservari intelligo.'

disiecta esse consentaneum est; alii autem adversariorum integra capita eidem materiae destinaverunt, sicut Ioannes Meursius[1]) Exercitationum criticarum (Lugduni Batavorum a. 1599 ed.) partis secundae libri primi capita 10—12; Ianus Gebhardus 'Crepundiorum seu iuvenilium curarum' librorum trium (Hanoviae a. 1615 ed.) II, 12 p. 87—89 et III, 16 p. 144—147; Eusthatius Svvartius in 'Analectorum'[2]) librorum trium (ed. Lugduni Batavorum a. 1616) I, 8 p. 33 sq. et II, 12 p. 96; Ianus Rutgersius 'Variarum Lectionum' (ibidem a. 1618 ed.) p. 424 et 425; Thomas Reinesius[3]) 'Variarum Lectionum' librorum trium (Altenburgi a. 1640 ed.) I, 8 et II, 14; fortasse etiam alii.

Non alienum videtur hoc loco statim subicere quae longo post horum studia intervallo saeculo XVIII ad emendandas Isidori glossas spectantia scripta sunt. 'Miscellaneorum Lipsiensium novorum' volumini VII Lipsiae a. 1749 edito insertum est p. 717—730 'M. Io. Salom. Semleri specimen emendationum glossarii Isidoriani.' Est autem Semlerus, qui 'Isidori' glossarum edendarum consilium[4]) ratum non fecit, praeter miras coniecturas quas protulit

---

[1]) Qui factum sit, ut iam a. 1599 Meursius glossas Isidori a Vulcanio nondum editas — cum huius editio a. 1600 demum prodierit — tractare posset, non difficile est ad explicandum: utrumque enim cum litterarum commune vinculum tum studiorum similitudo coniungebat. Meursii exquisitioris latinitatis scientia maximam partem cum Arnobio et Festo tum Scaligeri scriptis nititur, idque fundamentum ubi relinquitur, incredibilia multa nascuntur: id quod item in haud paucos egregiae ac paene mirae illius vetusti sermonis latini scientiae asseclas, vel ut Scaliger ipse dicebat, simias cadit.

[2]) 'Analectorum libri III, in quibus innumera auctorum, qua graecorum qua latinorum, loca emendantur dilucidantur illustrantur notantur. Ad virum illustrem Iacobum van Diick, consiliarium et legatum regium.'

[3]) Vir non mediocriter doctus iure suo Casparis Barthii hariolalationes saepe impugnavit refutavitque, prolatas illas maximam partem in 'Adversariorum commentariorum libris LX' Francofurti a. 1624 editis. Velut 'Isidori' glossae p. 693, 41 *sancenissat*: *laetatur*, *triumphat* lemma Barthius sic emendare posse sibi visus est *saracenissat*; in glossa p. 667, 21 *Alliger*: *Gallus* nostrae linguae vocabulum 'Gallier' indagavit; similia multa somniavit.

[4]) Semlerus l. s. s. p. 717 sq.: 'stat enim adhuc sententia, si Lu-

haud paucas non numquam acri et felici iudicio usus. Sic obscuram illam glossam p. 679, 17 ed. Vulc. *exenim*: *valde*, ubi Graevius p. 25a *enim* simpliciter delebat, Almeloveenus p. 7b *enim* ex *e. i.*, quod *id est* significare potuisse sibi persuaserat, factum putabat, Isidori Originum loco X, 83 (t. III p. 469 ed. Areval.) collato 'exornatus: valde ornatus; *ex* enim pro *valde* ponitur: sicut *excelsus* quasi *valde celsus*'[1]) ingeniose expedivit. Multo leviora Semlerianis ea sunt quae in 'Actorum Societatis Latinae Ienensis' volumine III Ienae a. 1754 edito p. 252—266 prolata sunt ab Io. Ern. Imm. Walchio, societatis illius 'directore', hac inscriptione: 'notae et emendationes ad Isidori glossas ex Manuscriptis Barthii Schurzfleischii et Daumii collectae.' Edidit haec Walchius ex thesauri Vulcaniani exemplo[2]) de 'instructissima Serenissimi Ducis Vinariensis bibliotheca' deprompto, cui adscriptae erant illorum adnotationes: atque Daumii quidem perpaucae, pleraeque Casparis Barthii, non paucae C. S.

---

cina benigna faveat, hoc Isidori glossarium aliis subinde secuturis Latinis, Graecolatinis et Latinograecis praemittere, quod istae glossae rariores non solum iamiam sunt parumque obviae, sed et obscuritate multa mendisque plurimis adhuc laborant, mihique ad eas iuvandas nonnihil collegisse videor'; p. 730: '... forte propediem Glossarium integrum emittere licet'. Haec scripserat a. 1749; neque tamen 'Lucinam deam invenire in Germaniae terris licuit' (vide libri quem statim indicabimus p. 479). Itaque a. 1752 mense Martio adnotationes suas Marchioni Scipioni Maffeio edendas misit, qui eas cum Francisco Antonio Zaccaria Isidori editionem tum parante communicabat. Zaccaria autem ante edita Isidori opera mortuo Semleriana in Arevali manus pervenerunt, qui eis in emendandis 'Isidori' glossis usus est et 'Semleri praefationem in notas mss. glossarii Isidoriani' in Isidorianorum parte II, 58 p. 470—480 tomi I Romae a. 1797 ed. imprimendam curavit.

[1]) Cf. ibidem 83: *expertus* ... *ex enim hic pro valde ponitur*; 89: *exiguus* ... *ex enim pro valde ponitur*; 92: *exustus* ... *ex enim pro valde ponitur.* Ex quonam glossario haec re vera Isidori glossa fluxerit, nondum indagavi.

[2]) Exemplum illud olim Caspar Barthius possederat, quo mortuo C. F. Franckensteinius Professor Lipsiensis Daumiana adscripsit. Post Franckensteinium nactus est Conr. Sam. Schurtzfleischius, cuius frater Henricus Leonhardus in Bibliothecam Vinariensem detulit, ubi num hodieque exstet nescio, neque scire cupio.

Schurtzfleischii, cuius e coniecturis paucae non improbabiles sunt, id quod in nullam fere Barthianam cadit. Nimirum Barthiana merae hariolationes sunt vel potius perversi alucinantisque hominis insana conamina. Studium enim illud germanica vocabula in Isidori glossis indagandi iam ex 'adversariis commentariis' perspicuum ad amentiam usque his in coniecturis procedit. Qui error sicut a prioris saeculi philologis non prorsus afuit, ita cum Barthio etiam Schurtzfleischio communis est: quode nihil addo nisi exempla perpauca haec. Ad *angrae*: *intervalla arborum vel convalles* p. 667, 44 ed. Vulc. Barthius p. 257 adnotat '*anger* dicitur Germanis'; in *arcites* (*arcites*: *sagittarii* p. 669, 35 Vulc.) p. 258 latere putat *archischytes* = '*Erzschuetze*'; *arreptitius* (*arreptitius*: *ariolus*, *furiosus* p. 669, 3) ibidem *erraticius* scribit 'a germanico *errathen*.' Gratias maximas 'societatis latinae Ienensis directori', quod partem tantum coniecturarum edidit neque ratum fecit quod promiserat p. 253, se 'plura in posterum daturum, si consilium suum harum litterarum amatoribus haud displicuisse cognovisset.'

Inter eos quos adhuc enumeravimus viros doctos nondum comparuit Theodorus Ianssonius ab Almeloveen, qui propterea singularem obtinet locum, quod non solum suas aliorumque coniecturas collegit, sed etiam haud paucas novas glossas edidit. In nova enim M. Martinii Lexici philologici cum 'Cadmo' illo et glossario Graeviano coniuncti editione, quae Amstelodami a. 1701 prodiit, Ianssonii ab Almeloveen 'auctarium glossarum Isidori' adiectum est inde ab *abstemius*: *parcus*; *abstenus*: *sobrius* . . . usque ad *vola*: *palma, manuum cavitas quae in media manu est, unde inuolare*; *vulnus*: *dolus vel animi dolor* pertinens. Quas 96 fere Almeloveeni glossas ex Th. Mommseni adnotatione ad quaestionem epigraphicam de *flamonio* et *flaminio* scriptam in Ephemeridis epigraphicae t. I p. 222 rescivi Hauptio videri in codice Leidensi Originum Isidori — est autem Vossianus Latinus Fol. 82, quode vide catalogi Lugdunensis a. 1716 editi p. 374a — scriptas exstare, quo codice sine dubio Almeloveenus usus sit. At ex eo certe glossario, quod in catalogo l. s. s. appellatur 'glossae ex novo et veteri Testamento seu ex ethimolo-

giarum spiritaliter compositae' deprompta e esse non possunt. Etenim quamquam insunt sane in hoc glossario non nullae glossae quae etiam apud Almeloveenum exstant, tamen cum multo maior pars ibi deest, tum vel propterea Almeloveeniana glossas etiam *p q r s* litterarum continentia inde fluxisse non possunt, quod Vossiani illius glossarii *p* et *s* litterae truncatae sunt, *q* autem et *r* prorsus interciderunt, id quod Lucianus Muellerus in Nov. ann. phil. t. 93 (a. 1866) p. 397 commemoravit et ego ipse ex Burmanni apographo sciebam. Itaque alium fontem fuisse certum est. Iam non nullas Almeloveeni glossas etiam in codice Vossiano 82 et in secundo codicis Amploniani glossario[1]) habes: attamen ex neutro illae glossario petitae sunt, sed potius ex 'Isidori glossis manu scriptis Petri et Francisci Pithoeorum', de quo nemo dubitabit, qui glossas a Savarone ad Sidonium Apollinarem inde editas (vide supra p. 30) cum Almeloveenianis comparaverit:

Almeloveenus:	Savaro:
p. 1a Boceta: pascua	p. 121[1] Boceta: pascua
Bucer: pecus bubulum	Bucer: pecus bubulum

[1]) Velut duas glossas, quae ad certos Terentii versus spectant. Earum plena memoria, quam quidem ego nunc noverim, haec est:

Conpotrix: *conbibola*, *coebriosa*

Ians. ab Almeloveen auctarii p. 1a (*compotrix convivola*); cod. Vossianus Fol. 24 (*compotrix convibola ł ebriosa*); cod. Vossianus Fol. 82 (*convivula vel aebriosa*); cod. Amplonianus[2] p. 289, 253 (*convivola vel coelebriosa*); gloss. Salomonis (*compotrix est convivola vel ebriosa*); cod. Amplonianus[2] ined. p. 289, 253/4 (nihil nisi *conpocris*: *convivolus*).

Glossa ad Terentianum Andriae versum 232 (I, 4, 5) *quía compotrix éius est* spectat; ad eundem codicis Sangallensis 912 p. 60 *compotrix*: *sotia ad bibendum.*

Convasassem: *furassem*

cod. Vossianus Fol. 24 (*iurassem*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[2] p. 290, 274 (*convassassem* scriptura notabili et alibi quoque non rara); gloss. Salomonis (*convassem*).

Pleniorem edidit Ianssonius ab Almeloveen auct. p. 1a *convasassem*: *furassem; figuratum a colligendis vasis.* Referenda est ad Phormionis versum 190 (I, 4, 13) *áliquid convasássem atque hínc me cónicerem protinam ín pedes,* ubi Donatus *convasassem*: *figuratum est a colligendis vasis. Furare* vulgaris sermonis est.

	Buceria: armenta pecuaria		Buceria: armenta pecuaria
	Bucita: pascua		Bucita: pascua
p. 1b	Pellaciae: seductiones	p. 121²	Pellaciae: seductiones
	Pellaces: seductores		Pellaces: seductores
	Pellax: fallax		Pellax: fallax
	Pellexor: persuasor		Pelexor: persuasor
p. 1a	Indolentia: ingeniositas	p. 145²	Indolentia: ingeniositas
p. 1b	Inextricabilis error: labyrinthus	p. 129²	Inextricabilis error: labyrinthus
	Iura dabunt: imperabunt	p. 18²	Iura dabunt: imperabunt
	Latiae: munditiae (*leg.* lautiae)	p. 547	Latiae: munditiae (*forte* lautiae)

Sic ex 96 Almeloveeni glossis 46 fere apud Savaronem reperies nihil mutatas. Ex utroque fonte, adscitis etiam eis quae de la Cerda ex Pithoeorum glossis protulit, illius glossarii indoles cognosci potest. — Ceterum 'Auctarium' secuntur p. 2—13 'Variorum | Theodori Ianssonii ab Almeloveen | in | Isidori Glossarium | Collectanea', sedule ea sed sine consilio congesta.

Restat, ut de eis quae nostro demum saeculo de Isidori glossis scripta sunt pauca addamus. Novissima omnium editionum — nisi quid me fugit apud exteras gentes editum — Faustini Arevali est, qui Isidori operum tomo VII Romae a. 1803 edito ut appendicem XXIV p. 443—493 'librum glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectum' subiecit et de 'Isidori' glossis Isidorianorum tomo primo insertorum capitibus 57—59 = p. 466—482 egit. Arevalus ceteroqui Semleri et aliorum adnotationibus nisus ipse non nulla bene expedivit, quamquam in universum laude dignus non est, quia eius editio glossarum formam inde a Gothofredo tralaticiam exhibens infirmo fundamento nititur. Emendandis autem et illustrandis 'Isidori' glossis duo viri operam navarunt, qui de studiis glossographicis bene meriti sunt, Franciscum Oehlerum et G. F. Hildebrandum dico. Ille enim Novorum annalium tomo supplementario XIII (anni 1847) dissertationem 'Zur Litteratur der Glossen' inscriptam p. 230—297 et 325—387 inseruit, cuius prima parte (p. 230—250) scripturae ex 'codice Isidori glossarum Vossiano' depromptae et Oehleri coniecturae ad *a* — *g* litteras spectantes sat multae continentur. In bibliotheca enim Lipsiensi senatoria Thesauri Vulcaniani exem-

plum[1]) exstat, olim ab ipso Vulcanio Danieli Heinsio donatum[2]), ubi ad 'Isidori' glossas notulae adscriptae sunt cum Salmasii Nansii Casauboni Vulcanii aliorum coniecturas, tum scripturas ex 'codice' quodam depromptas exhibentes. Ac de harum quidem origine — sunt autem melioris saepe notae quam Vulcanianae — in primae 'Isidori' glossarum paginae margine superiore scriptum est: 'Haec ex codice Isidori Manū Nansy descripto sunt, qui in Vossia|na extat Bibliotheca.'[3]) Has discrepantes scripturas Oehlerus l. s. s. neglegentissime ut solet[4]) edidit; velut p. 245 dicit in codice Vossiano post *ieiunus* addi *flagitat jejunus refici*: at haec potius nota adscripta est: 'Immorsus, ieiunus. Flagitat immorsus refici V.'[5]); 381 numerum in libro bis scriptum modo 369 modo 351 p. 249 legit; eiusque modi in errores sescentos incidit.

Ordinem claudat G. F. Hildebrandus, qui cum ad Apuleium tum maxime in glossarii Parisini Gottingae a. 1854 editi commentario[6]) glossas 'Isidori' permultas emendare et illustrare studuit, successu quidem admodum diverso.

Perlustratis quae ad dispellendas 'Isidori' glossarum tenebras et solvendos nodos intricatissimos a viris doctis

---

[1]) Signatur LXXXVIII [Rep. I fol. 33]: vide catalogi Naumanniani p. 26b.

[2]) Scriptum est enim in tituli margine inferiore: 'DANIELI HEYNSIO | Musarum delicio | BON. VvLCANIVS Br. | φίλιον.' Paullulum dextroversum F. B. Carpzovius addidit: 'Ex Bibliotheca Heinsiana | Lugduni Batau. CIƆIƆCLXXXIII | vendita | sibi comparauit | Fridericus Bened. Carpzovius.'

[3]) Sic satis mire verba scripta sunt, quae neque Naumannus neque Oehlerus recte legerunt. Quae qui scripsit, tale archetypum 'haec ex codice Isidori manu Nansii descripta sunt, qui in Vossiana extat Bibliotheca' non satis intellexisse videtur.

[4]) Vide quae infra de codice Amploniano ab Oehlero edito dicentur; nunc unum diligentiae Oehlerianae exemplum addo p. 244: 'Iousson im Quetar. ad Gloss. Isid.', ubi ne cui novus glossarum fons latere videatur, moneo Oehlerum dicere Ianssonium ab Almeloveen in Auctario ad Glossas Isidori.

[5]) 'V.' nota 'codicis' Vossiani scripturae significantur.

[6]) Vide indicem locorum p. 304.

adhuc fere scripta sunt — neque ea, ut libere profitear quod sentio, certa de causa ullo modo sufficiunt — prae ceteris video de harum glossarum auctore agendum esse. Atque ut quod verum est statim dicam: non Isidorus episcopus Hispalensis auctor est, sed Iosephus Iustus Scaliger, qui eas ex variis glossariis, quae etiamnum ex parte indagari possunt, haustas composuit. Excerptas tantum, non continuas unius corporis glossas esse neminem qui probe in eas inquisiverit et glossarum codicum manu scriptorum rationem habuerit fugere poterit. Mirum enim in 'Isidori' glossis illud est, quod vulgares glossae rarissimae sunt, cuius tamen generis in nullo fere glossario codicibus manu scriptis tradito desunt. Neque minus mirum, quod eaedem glossae saepissime bis vel adeo ter exstant: atque ne illud quidem — ut alia nunc mittam — offendere non potest, quod non raro discrepantes scripturae indicantur, velut p. 672, 53 'alibi igitur' (id est 'alibi legitur'); p. 694, 37 'alias'; p. 696, 44 'in aliis'. Atque re vera collectanea esse ex variis glossariis excerpta cum ex Vulcanii verbis 'notarum' p. 91: 'praeter libros Originum, quos olim scripsit Isidorus Hispalensis Episcopus, circumferuntur etiam Glossae, tum ipsius, tum aliorum, quibus tamen authoris sui nomen non est adscriptum. Eas omnes quotquot nancisci potui collegi, et non paucas ex exemplari cuius mihi copiam fecit Ill. Vir Josephus Scaliger emendavi; in multis coniectura mea usus' coll. p. 103 sqq.[1]), tum ex Scaligeri in 'Scaligeranis' Groningae a. 1669 editis II p. 125: 'Isidori glossae in Vulcanii editione sic vocatae, quia ex multis glossariis cum sint collectae pleraque pars sit Isidori'[2]) dudum intellectum esset, si hi loci minus neglecti iacuissent. Non neglexit tamen Hermannus

---

[1]) Ibi haec scripsit: 'habes, benevole Lector, varias quae Isidori nomine circumferuntur glossas in unum veluti fascem collectas, cum emendationibus et variantibus lectionibus, quas partim ad Codicis illius cujus mihi copiam fecit Vir Illustris Josephus Scaliger, partim aliorum quos mihi videre contigit oras adnotatas reperi, quas meis in illas conjecturis et notis inserui.'

[2]) Nimium Scaliger dixit, cum glossae ex Isidoro derivatae pauca sint.

Usenerus, qui cum glossarum manu scriptarum bonam partem probe nosset, ipsius 'Isidori' glossarii indole et Vulcanii p. 91 verbis ductus excerptum esse e pluribus facile intellexit: v. Musei Rhenani t. XXIII (a. 1868) p. 491. At quibus argumentis nisus — quaerentes audio — Scaligero haec collectanea tribuis? Quid fiet excerptis Pithoeanis et Oehleri codici Vossiano?

Exstant etiamnum Scaligeri e glossariis latinis excerpta in bibliothecae Leidensis codice Scaligerano 61 [1]), quo praeter alia continentur: '... C. Petronii Arbitri Afranii Satyrici liber. Sequuntur carmina. Liber glossarum ex variis glossariis collectus. Glossarum iuridicarum explanatio ... Glossarius Latino-Graecus S. Germani .... Glossarium Latino-Arabicum et Graeco-Latinum, sed posterioris Graeciae cet.' Libri illius glossarum ex variis glossariis collecti apographon confecit Petrus Burmannus Secundus [2]) ('MS. Burmann Quarto N 5 I, 5' p. 425—483), quo usus sum. Iam accuratissime Vulcanianas 'Isidori' glossas et Scaligeri 'librum glossarum' comparanti mihi apparuit, praeter *a* litterae glossas apud Vulcanium inde ab '*anger spatharius*: *qui angit, i. stringit spatham*' p. 667, 24 usque ad '*armilaus*: *scapulare monachorum*' p. 667, 55 pertinentes Vulcanii editionem integram pendere a Scaligeri collectaneis. Etenim quae exstant perlevis momenti discrepantiae, eas omnes patet aut errore sive describentis sive imprimentis, aut eo natas esse, quod non nullae glossae (imprimis eas dico quae non semel apud Scaligerum exstant) omittebantur. Discrepantias autem dico velut hasce. Vulcanius p. 693, 38 *sarcitator*: *qui tecta resarcit*, Scaliger *sar-*

---

[1]) Vide Catalogi p. 342 sq. Eundem librum N. Heinsius in mente habet, cum ad Munkerum (cf. Sylloges Burmannianae t. V p. 370) haec scribit: 'Isidori quae sub nomine circumferuntur Glossae manu Scaligeri descriptae exstant in Leidensi Bibliotheca, si memini non nihil a vulgatis discrepantes.'

[2]) Burmannum Scaligeri 'librum glossarum' ante kalendas Maias a. 1754 descripsisse certum est. Arntzenus enim ad Catonis dist. IV, 42 p. 319 adnotat, Burmannum sibi de glossa *officiperdi* (v. supra p. 25) scripsisse: '... ita edidit Graevius et ante eum Vulcanius aliique. Sed rectius in Glossario Iosephi Scaligeri MS., quo describendo nunc occupor, ipse Catonis versus citatur ..' Arntzeni autem praefationi subscriptus est dies ille kal. Mai. a. 1754.

citector exhibet. Sequitur apud Vulcanium *sabarium*: *atrium templi Chal.*: Scaliger contra glossae *sabarium*: *atrium templi* 'Chal.' ut adnotationem adscripserat, qua chaldaicam vocem esse indicaret. P. 694, 37, ubi Vulcanius edidit: *sarge, idoneus quaeliber ars. alias Sarga, non idoneus cujuslibet artis profeffor*, Scaligeri collectanea exhibent *sarge*, *idoneus quaelibet ars* addita 'in als *Sarga*, *non idoneus cujuslibet artis professor*' Scaligeri adnotatione. P. 672, 27 Vulcanius miram glossam hanc protulit: *curagulus*, *i. curiosus*, *curaculus*, *curiosus*, cuius ratio plana erit, ubi resciveris Scaligerum glossae *curagulus i. curios.* ut suam emendationem adscripsisse *curaculus .i. curiosus.* Sed non in edendis solum verum etiam in adnotandis his glossis Vulcanius Scaligeri exemplum expressit. Quod ut ostendamus, Vulcanii adnotationes ad *r* litteram spectantes integras perlustremus. Habes

	apud Vulcanium:	adscripserat Scaliger:
p. 101, 37:	*Ructum vel frumen* etc.) al. *crustum*	*cractum*
38:	*Revidare*, *reverti* etc.) lege *revitere*	*revitere* | *rebitere*
40:	*Rinas*, *naves*) lege *carinas*	*carinas*
41:	*Ratiscunt*, *adaestimaverunt*) lege *rati sunt*	*rati sunt*
43:	*Remillo*, *pronullo*) lege *pronulo*	*pronulo*
44:	*Retica ligna*, *quibus ligna sublimantur*) leg. *q. tigna s.*	*tigna*

Quam autem male Vulcanius adnotationibus Scaligeranis usus sit inde apparet, quod eas ut admodum sane breves ita ingenio et doctrina plenas, sat saepe ne intellexit quidem: emendationes enim discrepantes scripturas esse putavit. Sic glossam *eda*: *basterna* p. 678, 26 ed. Vulc. Scaliger *exedra*: *basterna* scribendam adnotaverat: apud Vulcanium 'notarum' p. 95, 49 inde factum est '*eda*, *basterna*) alias *exedra*'. P. 686, 50 *malce*: *popino*, *qui amat in popinas ire* habes, ubi Scaliger versus Luciliani XXVII, 38 p. 94 ed. Mueller. *ínsanum vocánt*, *quem maltam ac féminam dicí vident* memor *malta* coniecerat, id quod sic interpretatur Vulcanius p. 99, 2: 'alias *malta*'. Plura exempla cumulare nolo, cum editio Vulcaniana Scaligeri collectaneorum tam similis sit quam lacte lactis. Iam memineris velim locos e Vulcanii 'notis' supra excitatos, qui-

bus omnis dubitatio tollitur, cum exemplar Isidori glossarum a Scaligero se nactum esse[1]) Vulcanius ipse dicat: quamquam nemo adhuc divinare poterat, quam late horum verborum vis pateret. Neque neglegendus est Scaligeranorum ille locus, unde in Vulcanii editione Isidori glossas sic appellatas esse comperimus, id quod ad titulos utrobique praefixos — quod enim Scaliger inscripserat: 'liber Glossarum ex variis glossariis collectus', hoc Vulcanius sic interpolavit: 'liber glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus' — optime quadrare vides. Ceterum talem, qualem modo indicavimus glossarum 'Isidori' rationem esse iam dudum perspici poterat ex Scaligeri ad scriptores ab ipso editos adnotationibus, ubi haud paucae afferuntur glossae a Vulcanio annis sat multis post demum (i. e. a. 1600) evulgatae. Sic iam a. 1573 ad Varronem de Re rustica p. 224 Scaliger scripserat: '... praeterea in glossariis veteribus, quae penes me sunt ita legitur *galgulus*: *baca* πυρήν'[2]), quibuscum cf. Vulcanianas 'Isidori' glossas p. 681, 24 *galgulus, baca* πυρήν. Praeterea v., ne multi simus, appendicis Coniectaneorum p. 198; 198 sq.; ad Varronem de Re rustica p. 244; ad Festum p. 5, 12; 6, 32; 8, 39; 20, 28; al. Quando autem Scaliger glossariis operam navaverit inde fortasse quispiam coniecerit, quod in Coniectaneis a. 1565 editis nisi oculi me fefellerunt nusquam glossae proferuntur, multae autem in Coniectaneorum appendice et in adnotationibus ad Varronis de Re rustica librum a. 1573 editis, ut inter annos 1565—1572 Scaligeri studia glossematica cadere videantur. Qua de re quin certiora etiam indagari possint non dubito.

Secuntur 'Excerpta Pythoeana', quae item a Scaligero

---

[1]) Mirum est, quantum Scaliger Vulcanium libros edentem adiuverit: v. Scaligeri Bernaysiani p. 289.

[2]) P. Burmannus Sec. hanc glossam Philoxeni glossarii esse propter additam vocem graecam ratus, ibi se indagare non potuisse confitetur apographorum p. 450. Hausta est potius ex *abavus* glossarii pleniore memoria. Namque ex Hildebrandi glossario Parisino p. 153: *gellicidia*: *gelu*, *gulgulus*: *vaca* (ubi praestat cod. Leidensis 67 F³: *galgulus*: *vacca*, *gellicidiam*: *gelu*) Scaligeri glossa non fluxit, sed ex tali corpore, quale codex Vossianus Fol. 82 exhibet. Ibi habes: *galculus*: *uaca* ΠΙΡΗΝ.

pendere luculentissime demonstrari potest. Ex Scaligeri enim collectaneis — non ex Vulcanii editione — neglegentissime hausta sunt, cum permulta falso lecta sint et innumerabilia menda a typographo adiecta. Cum ipsis autem glossis conglutinatae sunt Scaligeri adnotationes item corruptissimae, unde chaos corruptelarum natum esse non iniuria dixeris. Velut Vulcanius p. 693, 6 sicut apud Scaligerum legerat *rinas*: *naves* edidit, in excerptis autem Pithoeanis p. 74 hoc monstrum exstat: *riuos*: *navis carinas.* Sciendum est enim ad *rinas*: *naves* Scaligerum ut lemma emendaret *carinas*[1]) adscripsisse. P. 76[2]) habes: *Scispadum, in patrum Lycospodum lapatum*: glossam nempe quae est *scispadum*: *iupatum* (p. 695, 30 Vulc.) Scaliger *lycospadum*: *lupatum* emendari posse putaverat.[3]) Vulcanii p. 698, 16 glossam *virginal*: *membra virginis in quo habitat,* quae in 'excerptis' p. 78 sic edita est *virginal*: *membra cadavera virginis in quo habitat,* additamento hinc alienissimo auctam vides. Risum teneatis —! Pro *membra* enim Scaliger *camera* scribendum proposuerat, unde *cadavera* corruptum. Has Scaligeri coniecturas etiam Vulcanius in 'notis'

---

[1]) Neque Scaliger glossam emendavit, neque M. Martinius Graeviusve. Scaligeri [*ca*]*rinas*, quamvis ingeniose excogitatum, legem tamen supra p. 10 propositam violat, ut audacius videatur quam veri similius. Martinii autem Graeviique ῥῖνας: *nares* ferri non potest, cum alia glossa exstet eodem aperte spectans (p. 693, 29 ed. Vulc.): *rinas*: *naves vel massa.* Nam si lemma ῥῖνας scripseris, quid tum fiet *vel massa* additamento? Proficiscendum est a pleniore hac memoria, quae fluxit e codice Leidensis 67 E simillimo, cum in hoc f. 52ʳa habeas *rinas*: *naues ū massa.* Iam cum saepius usu veniat, ut in hoc glossario praeter corruptas glossas eaedem etiam integrae exstent, num forte alia Leidensis 67 E glossa simile quid servarit quaeritur. Ac re vera f. 50ʳb scriptum est *ratis*: *naues ū massa lignorum*, ut ipsum hoc *ratis*: *navis vel massa lignorum* glossographus olim dedisse censendus sit.

[2]) 73 et 74 paginae bis numerantur, sed ita ut post 74 iterum positum sequatur 77 numerus.

[3]) Nondum emendata est haec glossa. Scaliger et Reinesius *lycospadum*: *lupatum* scribendum putarunt: *scissiaticum*: *impetratum*, *scissiatum*: *instratum*, *crispatum*: *iubatum* alii. Scaligeri fons fuit — ut breviter loquar — cod. Leidensis 67E f. 53ᵛb, ubi habes: *scis padum*: *intra padum.* Itaque scribe *Cis Padum*: *intra Padum*: nam *s* illa soli errori tribuenda esse videtur.

protulit. Unde ne quis putet Pithoeanarum glossarum excerptorem hausisse, meminerit 'excerpta' hic illic integras scripturas exhibere, Vulcanium corruptas (velut p. 78 *valgis*: *foras versum tumentibus*, ubi Vulcanius p. 698, 17 falso *valgis*: *foras versi tumentibus*, qui error dici vix potest quot coniecturas procreaverit); multas deinde Scaligeri notulas agglutinatas esse, quarum apud Vulcanium nihil exstat (p. 74 *stlatariata*[1]) *vestis piratica iuuenalis* 'Excerpta': adscripserat enim Scaliger glossae p. 695, 35 ed. Vulc. *stlataris*: *vestis piratica* 'Iuven.'[2]), quam notam Vulcanius suam non fecit); denique glossas in Pithoeanis inesse, quas Vulcanius omnino omisit (velut *usia*: *vermes porci*).

Restat iam Oehleri 'codex' ille bibliothecae Leidensis Vossianus, a quo facili negotio demonstrabimus Scaligeri manum non magis alienam esse quam a Pithoeanis. P. 693, 4 Vulcanius edidit: 'revidare, reverti, redire. repedare'; 'codicem' Vossianum in exemplo Lipsiensi[3]) adscriptum est exhibere:

Revidare, reverti, redire. reped.
Revitere, rebitere.

Nimirum Scaliger glossae *revidare, reverti, redire. reped.* ut coniecturam *revitere* | *rebitere* adpinxit. Non aliter comparata haec sunt:

	Vulcanius	'codex Vossianus'[4])	Scaligeri liber
p. 693, 11	*Recidua, ex ruinis renascentia*	*recidiva e. r. r.*	*recidiva e. r. r.*
20	*Rectitas, iustitia aequitas et veritas*	*r. i. aequitas veritas*	*r. i. aequitas veritas*
32	*Ravit, ravie loquitur*	*r. rauce loquitur*	*r. rauce loquitur*
p. 687, 54	*Nabita, nancta*	'*nactax*. in duobus invenit' in margine	*Navita, nancta*; adscripsit Scaliger:

[1]) Corruptelarum horribilis copia et singularis ratio facit ut omnes hae paginae quibus 'Excerpta' continentur prelo semel submissae correctoris manum nunquam passae esse videantur.

[2]) In animo habebat Iuvenalis VII, 134 versum: 'spondet enim Tyrio stlattaria purpura filo.'

[3]) Vide Oehlerum p. 248.

[4]) Vide Oehlerum p. 248.

	exempli Lipsiensis; *navita, nauta* sine auctoris nota ibidem [1])	'*nauta.* in duobus inveni'
p. 689, 47 *Patago, genus mortui*	*Patago, genus mortui Patagus, genus morbi*	*Patago, genus mortui.* Scaliger adscripsit: '*patagus g. morbi Theophr.*'
p. 692, 56 *Remasculata, virili virtute resumpta*	*R. v. v. r.* in alio *remascellata*	*R. v. v. r.*, ubi Scaliger addidit: 'in alio *remascellata*'

Haec exempla, quae augere nihil iuvat, 'codicem' illum Vossianum docent nihil esse nisi Scaligeri glossarum apographon, modo accuratius modo neglegentius quam Vulcanianum confectum. Scaligeri coniecturae saepe pro novis glossis insertae sunt, id quod item apud Vulcanium, multo frequentius etiam in excerptis Pithoeanis factum esse supra vidimus.

Postquam 'Isidori' glossas Scaligeri excerpta esse demonstravimus, quonam modo Scaligeri glossarum κρίcιc exercenda esse videatur iam quaeritur. Proficiscendum est sane a Scaligeri exemplo [2]), quo fundamento si nitimur, non pauci Vulcanii aliorumque errores statim ab initio excluduntur. Sed longius etiam progrediendum. Quamquam enim ingeniosae sunt Scaligeri adnotatiunculae et docta plerumque, hic illic adeo felicia virorum doctorum studia supra indicata, facilis tamen atque ut ita dicam certa harum glossarum emendatio evadere non potest, nisi fontes unde Scaliger hauserit antea investigaverimus. Id quod ut fieri possit satis subsidii nobis praesto est, quamquam nondum omnia Scaligeri glossaria nos rep-

[1]) Oehlerum cave sequaris, qui omnia perturbavit.

[2]) Huius notitiam apographo Burmanniano satis diligenter ut videtur confecto debeo. Mirum sane est, quod ibi *a* litterae p. 667, 24—55 glossae desunt. Burmanni describentis errorem esse cum suspicarer N. W. du Rieuum consului, qui easdem in Scaligeri libro desiderari qua est in studia mea propensa voluntate me certiorem fecit. Nihilo tamen setius inter Scaligeranas olim exstitisse etiam has glossas putaverim, cum ipse Scaliger ad Festum a. 1576 ed. p. 20, 28 adnotet: 'glossae veteres latinae: *antigerio* : *valde, antigerium* : *quemadmodum, imprimis*', quae duae glossae (apud Vulcanium p. 667, 50 et 47) earum sunt quae in Scaligeri excerptis nunc desunt. Ceterum etiam 'codex' ille Vossianus has glossas exhibebat: cf. Oehlerum p. 232.

perisse fatemur. Indicatis hisce fontibus, Scaligerum glossas fere nusquam sine ratione coacervasse, sed totas glossarum series eodem quo in codicibus scriptas legerat ordine transtulisse apparebit. Glossariorum autem quae nunc afferemus descriptionem et ampliorem notitiam infra proponemus.

Affatim glossas permultis codicibus memoriae proditas Scaligerum excerpsisse non difficile est ad demonstrandum. *D* litterae glossarum particulam exscribam, quae prorsus eaedem prorsus eodem ordine in *affatim* glossario exstant.

Scaligeri excerpta p. 677, 13 sqq. ed. Vulc.:	cod. Leidensis 67 F[1]:
Draquiti : manus invidi [1])	f. 18ᵛa: Draquili : manus inuidi
Depalata [2]) : manifestata	f. 19ᵛc: Depalata : manifestata, deuolata
Devoto [3]) : accuso	Deuoto : accuso
Denundinat [4]) : omnibus notum facit	f. 20ʳb: Denundinat : hominibus nocte facit
Discipulati : edocti	f. 20ᵛb: Discipulati : edoctis
Dilargus : multum donans	f. 20ᵛc: Dilargus : multum donans
Diribitorium : locus contubernii	f. 21ʳa: Diriuiturium : locus contubernii
Disturio [5]) : occupatio	f. 21ʳc: Disturio : occupatio
Diaria : cibus unius diei	f. 21ʳd: Diaria : acibo se(e *ex* o)d unius diei
Doctitat : frequenter docet	f. 21ᵛa: Doctitat : frequenter docet
Duellio : rebellis	f. 21ᵛb: Duuellio : rebellis

Scaligeri librum statim apparet multo minus corruptum fuisse quam codicem Leidensem s. VIII—IX scriptum, qui librorum quos nunc novi omnium facile corruptissimus est [6]).

Illud quoque glossariolum, quod in eodem codice 'affa-

---

[1]) Scribe *di aquili* : *manes invidi* et cf. Placidum III p. 451: *di aquili* : *inferi; aquilos antiqui nigros dicebant.*

[2]) *Depălare* verbum Fulgentianum est.

[3]) Cave lemma glossae mutandum esse opineris.

[4]) Animadverte vocabula non adeo vulgaria *denundinat*; *discipulati*; *dilargus* (cf. *dilargiri*; *disdonare* verbum in glossis exstat); *doctitat* (cf. *actitare* et sim.); *duellio* (*duellio* a *duellum* sicut *libellio* a *libellus*, ut *duellis* non necessarium sit).

[5]) Scribe *distractio.*

[6]) Aliorum codicum nihil mihi praesto est nisi excerpta, ut Leidensi 67 F utendum sit.

tim' glossas sequitur, ex parte etiam in Bernensi quodam codice traditum, inter Scaligeri fontes fuit.

	Scaligeri excerpta:		cod. Leidensis 67 F²:
p. 685,42 sqq.:	Levisata : tunica militaris	f. 57ᵛd:	Leuisata : detonica dicit militarum
	Licerceris : centurio	f. 58ʳa:	Licerceris : centurio
	Libitina : unde mortui tolluntur		Leuitana : unde mortui tolluntur
	Locar : locus apud urbem Romam		Locar : locus apud urbem romam
	Lubricum : lutum cum labina		Lubricum : lutum cum lauina
p. 691, 12 sqq.:	Pantopole : simplasiarius	f. 59ʳa:	Pantapole : semplassaris [1])
	Patravit : patrem fecit	f. 59ʳb:	Patrauit : partem fecit
	Paludatis : mantuatis		Paludatus : mantuatus
	Palla : latubres		Palla : latembres
	Patibulum : res patens	f. 59ʳc:	Patibulum : res patens
	Pestincius : violentius		Pestintius : uiolentius
	Penita : aula regia	f. 59ʳd:	Paenita : aula regia
	Pelops : qui habet uxorem cum amica		Pelops : qui habet uxorem et amicam
	Proxeneta : homo praecurrens quodcumque negotium	f. 60ʳa-b:	Proxenita : homo praecurans quodcũque negocium

Etiam perbonae notae codicis Leidensis 67 E saec. IX glossarium penes Scaligerum fuit eique largam glossarum copiam praestitit.

	Scaligeri excerpta:		cod. Leidensis 67 E:
p. 674,40 sqq.:	Calones : galearii militum	f. 11ʳb:	Callones : galearii militum
	Calabris : ventis siccis	f. 11ᵛa:	*Calabris : uentis siccis

[1]) Sine certa ratione et currenti stilo Scaliger singulares glossas et quas sibi ipsi utiles fore putabat excerpsisse videtur, unde quod saepiuscule non malas glossas praetermisit non miramur. Velut inter eas quas inter *pantapole* et *patrauit* non curavit quinque glossas etiam haec exstat: *parret* : *consecrat, manifestum est*, quam sic scripserim: *parret* : *constat*, *manifestum est*. Eandem *parret* vocem idem glossariolum praeterea bis exhibet: f. 59ʳc *paret* : *apparet*, *obtemperat* et f. 61ʳa *si parat* : *si constat*, ubi scribe *si parret*. Cf. Festum p. 233 a 25: '*parret* quod est in formulis debuit et producta priore syllaba pronuntiari et non gemino *r* scribi, ut fieret *paret*, quod et inveniatur in *comparet*, *apparet*.'

	Catomain : ergastulum [1]		Catomain : ergastulum
	Cartilagini : lardo bradone		Cartilagmi : lardobra
	Caducarius : ad quem pertinent quae cadunt defuncto aliquo; cui non est qui succedat	f. 11^{v}b:	Caducarius : ad quem pertinent que cadunt defuncto aliquo cui nom̃ ẽ qui succedat
	Cataplus : adventus navis		Cataplum : aduentus nauis
	Cancer : forceps	f. 12^{r}a:	Cancer : forep͠s
	Callorus : malitiosus	f. 12^{v}a:	Callosus : malitiosus
	Caletra : ubi vespae nutriuntur [2]		Caletra : ubi uespe nutriuntur
p. 674, 55 sqq.:	Catax : claudus, coxus		Catax : claudus, coxus
	Cautos : sacerdos	f. 12^{v}b:	Cautus : sacerdus
	Calutor : minister sacrorum		Calutur : minist͠ sacrorum
	Castorinum : vebrinum		Castorinum : ueprinum
	Castipulum : mensa quadrata [3]	f. 13^{r}a:	Cartipulum : mensa quadrata
	Casorum : vetustum	f. 13^{r}b:	Carsosum : uetustum [4]
	Ciccum : cortex mali granati	f. 13^{r}a:	Cecum : cortex mali granati

[1]) Ingeniose Scaliger — non Nansius — *catomium* emendavit, memor haud dubie Laberii apud Gellium XVI, 7, 4 versus (v. 87 ed. Ribb.) *tóllat bona fidé uos Orcus núdas in catónium*, ubi Ribbeckius, vir in his quoque studiis plerumque spretis bene versatus, 'Isidori' glossam non neglexit. Ceterum *catomain* corruptela magis favet *catonium* quam *catomium* scripturae: *catomain* enim est *catonıcın* = *catonium*.

[2]) Adscripsit Scaliger 'post *celetra*; κοιλήθρα', quibus tribus verbis indicaret eandem glossam paululum mutatam infra redire — ac re vera in cod. Leidensi 67 E f. 13^{v}a repperi *celetra* : *ubi vespe nutriuntur* — et lemma a voce graeca quae esset κοιλήθρα deducendum videri.

[3]) Scaliger *cartibulum* emendabat, quod Leidensis ex parte servavit, qui eiusdem pro *callorus* proponentis *callosus* emendationem confirmat. Quam glossam duce Mai VI p. 514 b memoria sic supplendam *cartibulum* : *mensa quadrata, quae in atriis ponitur*, excerpens non dubito quin Scaliger memor fuerit Varronis de l. l. V, 125: 'altera vasaria mensa erat lapidea quadrata oblonga, una columella: vocabatur cartibulum. haec in aedibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur et in ea et cum ea aenea vasa. A gerendo cartibum, unde cartibulum post dictum.'

[4]) Scribendum est: *cariosum* : *vetustum*. Ceterum glossas quas proferre solemus omnes emendare nunc nolumus.

Etiam *abavus* glossario[1]) Scaliger usus est, id quod adhibita vel una illa quam supra iam excitavimus glossa (*galgulus*: *baca* πυρήν dico) huius glossarii propria demonstrari potest, demonstrabimus autem luculentius composita hac glossarum serie:

Excerpta Scaligeri:		Cod. Vossianus Fol. 82:	
p. 681, 24:	Galgulus: baca πυρήν		Galculus: uaca ΠΙΡΗΝ
	Gellonem: baucalem		Gellonem: baucalem
	Gesum: asta iaculum βολίϲ		Gessum: hasta vel iaculum gallice ΒΟΛΙC
	Gnabat: natus generatus filius creatus vel enixus lingua Gallica		{ Gnabat: fortiter exsequitur Gnatus: natus generatus filius creatus vel enixus lingua gallica
	Gremia: siccamina lignorum		Gremia: siccamina lignorum
	Grussus: setosus pilosus		Grussus: setosus pilosus hirsutus
		Glossarium Hildebrandi:	
p. 681, 39:	Gaunaca: gausapa	p. 153, 11:	Gaunaca: causapa
	Gemmatum: baccatum	17:	Gemmatum: baccatum
	Gemina: peristromata	18:	Gemina: perstromata
	Gemini: aquigeni	20:	Gemini: aequigeni
	Gallarius: cerdo		
	Geniatus: genialis gratus	p. 154, 33:	Geniatus: genialis gratus
	Genubium: intrinum interiorem domesticum	41:	Genubium: intimum interiorem domesticum
	Glaucia: viridis	p. 156, 60:	Glaucia: uiridis (*sic cod. Leidensis*)
	Gnavat: fortiter exequitur	72:	Gnabat: fortiter exequitur (*sic idem*)
	Gulosus: tabernio popinator	p. 157, 91:	Golosus: tabernio popinator
	Guttur: glutum	p. 158, 107:	Guttur: gluttum

Nondum autem ad finem perventum est; restat enim unus ex principalibus fontibus, parum ille limpidus: dico Osberni

[1]) Scaligerum et pleniore et breviore *abavus* glossarii memoria usum esse puto. Velut ex hac hausisse videtur p. 674, 9 *coruscatio*, *vibrat hiems*, cum Hildebrandi glossarium p. 81, 464: *corruscatio* (*co^{r}ruscatio L*): *vibrat hiems*, plenior autem cod. Vossian. Fol. 82 *corruscatio fulgor vel vibrans hiemps* exhibeat. Contra glossa saepius iam commemorata *galgulus* . . . aperte e pleniore hausta est, cum in breviore vox graeca desit: idemque cadit in non paucas e glossis supra exscriptis.

monachi Glocestrensis Panormiam. Hunc librum saec. XII scriptum qui scit adhibitum esse[1]), eum multa quae in 'Isidori' glossis satis mira sunt non iam offendunt: velut illud, quod ibi Marbodaei poetae saec. XI/XII florentis[2]) versus affertur. Namque glossam, quam p. 698, 38 habes: *vascillum: parvum vas. Macrob. 'Solvens radiis in aqua subiecta vascillo'* dudum intellectum est nihil pertinere ad Macrobium, sed ad Marbodaei de heliotropia caput 18, ubi versus exstat: *quae solis radiis in aqua subiecta vasillo.* Cf. Osbernum p. 606 '... hoc vasculum, li et hoc vatillum, li .i. parvum vas; unde Marbodus: *quae solis radiis in aqua subiecta vatillo.*' Praeter hanc etiam duae quae apud Scaligerum praecedunt glossae aliaeque multae ex eodem fonte petitae sunt:

Scaligeri excerpta:		Osbernus:	
p. 698, 34:	Venilia: maris exaestuatio, quae ad litus venit. Varro: Venilia, unda quae ad litus venit. Salacia, quae ad mare redit	p. 604:	... haec venilia, ae .i. maris exaestuatio quae ad litus venit; unde Varro: venilia est, inquit, unda quae ad litus venit, salacia quae ad mare redit[3])
p. 698, 37:	Veneripeta: luxuriosus		Venus componitur veneripeta, ae .i. luxuriosus
p. 692, 19:	Pictatium: epistola brevis et modica	p. 483 b:	Pictacium: epistola brevis et modica
	Percartapsere: valde dividere	p. 483 a:	Percatapsere: valde decidere
	Petulus: equus qui habet albos pedes		Petulus: equus qui albos habet pedes
	Pictatiuncula: membrana	p. 483 b:	Pictaciuncula: membranula

[1]) Atque talem quidem librum Scaliger adhibuit, in quo 'repetitiones' non deessent.

[2]) Itaque paullulum promovendus est terminus ab Usenero in Musei Rhenani t. XXIII (a. 1868) p. 491 constitutus: '... sicher fällt die Entstehungszeit aller der Glossare, die Vulcanius benutzen konnte, nicht später als das zehnte Jahrhundert; im grossen Ganzen kann man sogar das achte als Grenze nennen, aber einzelne Glossare sehen wir doch bis in's zehnte Jahrhundert hinein durch Zusätze fortgeführt.'

[3]) Vide Actorum soc. phil. Lips. t. V p. 342 et t. III p. II.

	Pugillones: pugillatores		Pugillones: pugillatores, cum pugione .i. gladio pugnantes
p. 692, 6:	Prolicere: emanare, effluere, Varro: demum ubi prolicuit dulcis unda	p. 470 a:	Prolicere: emanare, effluere, decurrere. Varro: deinde ubi prolicuit dulcis unda

Quam largam autem glossarum copiam Scaliger huic fonti debeat, vel inde apparet quod *n* litterae glossarum paene tertia pars ex uno Osberno hausta est. Cf. enim:

	Scaligeri excerpta:		Osbernus:
p. 688, 19:	Nominosus: famosus, celeber	p. 383 b:	Nominosus: famosus, nominatus, celebratus
	Nonicula: rete ad capiendas aves		Novicula: rete ad capiendas aves
	Numeria: dea numeri	p. 384 a:	Numeria: Dea numeri
	Nuptorium: domus et locus nubentium		Nuptorium: domus vel locus nubentium, quod et epithalamium dicitur
	Nugiparus: qui parit nugas	p. 384 b:	Nugiparus: qui parit nugas
	Nasale: ornamentum equorum		Nasale: ornamentum equorum
	Nimiticus: nimius, eximius, immanis		Nuniticus: nimius, eximius, immanis
	Ninnarius: cuius uxor moechatur et tacet		Ninnarius: cuius uxor moechatur et tacet
	Naucupes: ad eundum actum habens pedem	p. 385 a:	Navus: celer . . . acupes, quasi ad eundum acutum habens pedem
	Numida: qui vendit herbas vel qui alit pecora ad vendendum		Numida: qui vendit herbas vel qui alit pecora ad vendendum
	Nagare: vacillare, huc et illuc fluctuare		Nagare: vacillare, huc illucque fluctuare
	Nec nocte: nec simulate. Persius: nec nocte pater plorabit	p. 385 b:	Nenocte: nec simulate. Persius: necnocte paratum plorabit
	Nervicus: nervicosus, fortis		Nervicus et nervicosus pro fortis dicuntur
	Nctorium: fusum, fusile		Nitorium: fusile, fusum

Gravissimi autem momenti illud est, quod duabus exceptis[1])

---

[1]) Hae duae sunt: p. 684, 52 *lenociniis*: *Donatus*: '*pronunciabat*

omnes glossae, ubi scriptorum loci nominatim excitantur, ex Osberni Panormia petitae sunt. Praeter illas enim quas ad hunc fontem redire supra iam vidimus glossas *nec nocte* (Persii) *officiperdi* (Catonis) *prolicere* (Varronis) *vascillum* (Marbodaei) *venilia* (Varronis), institue sis hanc comparationem:

Scaligeri excerpta:		Osbernus:	
p. 667, 29:	Angaria, Avianus[1]), qui agrum locat, ut angariam accipiat	p. 31:	Agraria, ae ·i· lex de agro vel precium quod pro agro accipitur; unde Anianus in expositione super Matthaeum[1]): 'et agrum locat ut agrariam suscipiat'
33:	Altar. Prud. 'Altar et impositum'	p. 35:	Altar, ris ·i· altare; unde Prudentius in libro hymnorum: 'ossibus altar est impositum'
p. 675, 23:	Calcitio: rusticus, eo quod dure calcet. Plaut. 'Clamat, si quid videt ad se ire calcitionem' [2])	p. 89:	Calcitro, nis ·i· rusticus, qui intemperate calcat; unde Plautus in Asinaria: 'clamat siquem videt ire ad se calcitronem'
		p. 139 a:	Calcitro, rusticus, eo quod dure calcet

autem cum suauitate, cum lenociniis miris' et p. 698, 46: *Zanga, pellis. Acro, Nigris medium impediit crus Pellibus*, quarum illa ex Donati vita Vergiliana c. 11 petita (t. I p. CXI ed. Heyne-Wagner. Lipsiae a. 1830: *pronuntiabat autem maxima cum suavitate et lenociniis miris*), haec ex scholiis Horatianis (ad serm. I, 6, 28: *pellibus: zangis* p. 114 ed. Hauthal. e codice Parisino 7975 et comm. Cruq.). Talium scholiorum alia vestigia non desunt: cf. p. 696, 12 'Sosii duo fratres, qui bonos libros emebant et eos postea praeparando multum lucrabantur in vendendo' et p. 668, 31 'Allobroga: Gallus rufus' (epod. XVI, 6). Alia autem incertiora, ut p. 692, 53 *reducta: concava, depressa*, quam Scaliger ad epod. II, 11 'aut in reducta valle ...' rettulit: quamquam potest etiam ad carm. I, 17, 17 'hic in reducta valle' vel ad Vergilium Aeneid. VI, 703 '... in valle reducta' referri. Alia non ex scholiis ipsis petita, sicut p. 684, 4 *immorsus: ieiunus* ex Osberno p. 338: 'morsus, a, um dicitur a mordeo, quod non est in usu; sed inmorsus ·i· ieiunus, unde Horatius in sermonibus [II, 4, 61] *flagitat inmorsus refici'*.

[1]) Vides non esse Iulii Titiani de re rustica scriptoris fragmentum, id quod Th. Reinesius Variarum lectionum II, 14 coniecerat.

[2]) Hic et alibi Scaliger glossas e 'repetionibus' sumpsisse videtur, quae tamen integrae a Maio non editae sunt, qui scriptorum locos

p. 676, 26:	Circellio: monachus per cellas vagans. Augustinus	p. 138a:	Circellio, monachus qui per diversas vagat cellas. Augustinus: quid sibi vult mane nomen circellionum? Dicimus quoque cicercellio pro cellione
p. 681, 14:	Frigium: initia. Constantin. Imp. Frigium candido splendore eius sacratiss. capiti imposuimus	p. 228:	Phrygium, gii ·i· quaedam mitra pontificalis; unde Constantinus Imperator: phrygium candido splendore eius sacratissimo vertici imposuimus
p. 683, 22:	Incenis. Plaut. Casina: Incenem ex aedibus	p. 115:	Incoenis, is ·i· ieiunus quasi sine coena; unde idem Plautus in Cassia: cupiunt extrudere incoenem ex aedibus
p. 684, 43:	Lenulus parvus lecator. Plautus: Ita ut caepi dicere, lenule, de hac pugna	p. 304:	Lenunculus . . . invenimus etiam hic lenulus, li pro diminut.; unde Plautus in Poenulo: ita ut coepi dicere, lenule, de hac pugna
p. 686, 16:	Momar, Siculus, stultus, qui cito movetur ad iram. Plautus: Quid tu, o Momar Sicule homo praesumis?	p. 332:	Momarsiculus, li ·i· stultus, qui cito movetur ad iram; unde Plautus: quid tu o momarsicule homo praesumis?
p. 687, 25:	Marsiculus, qui cito movetur ad iram. Plaut.: Quid vis, homo marsicule? [1])	p. 360a:	Momarsiculus: qui cito movetur ad iram
p. 686, 41:	Munuscularius. Augustin. de Civit. 7	p. 344:	Munuscularius, rii, qui pro munere servit; unde Augustinus de civitate Dei in septimo: tamquam munuscularios vectigalium conductores
p. 691, 7:	Palpones: qui ducunt	p. 427:	Palpo, nis ·i· ille qui pal-

antea iam excitatos in repetitionibus se iterare noluisse p. 43 adnot. dicit.

[1]) De hoc Plauti fragmento vide infra caput quod est de glossis Plautinis.

4*

caecos. Persius: quam ducit palpo	pat sicut est caecus; unde Persius: ius habet ille sui quem ducit palpo
p. 695, 59: Sepia: incaustum Persius	p. 518: Sepia ·i· incaustum; unde Persius: nympha quod infusa vanescat sepia lympha

Tantam glossarum copiam exscribere quam chartae parcere maluimus, quoniam haec ratio probe perspecta admodum gravis ponderis est ad evertendam multarum 'Isidori' glossarum auctoritatem.

Non multae glossae ex fonticulo de quo extremo loco agendum haustae sunt. Non desunt enim necessitudinis quae inter non nullas 'Isidori' glossas et notas Tironianas intercedit vestigia, quorum alterum illud est, quod glossarum latinarum lemmata in notis Tironianis aperte comparent; velut cf.:

Notae Bernenses[1])	'Isidori' Glossae
p. 32b: Disdonat	p. 677, 2: Disdonat: diversa donat
p. 45a: Gallenum	p. 681, 53: Galenum: vas vinarium Romani antiqui dixerunt
p. 89b: Securicularius	p. 693, 51: Securicularius: qui secures fert

Praeterea autem memorabile est, quod inter glossas Isidori notulae exstant ad ordinem Tironianarum spectantes; velut cf.:

Notae Tiron. Gruteri	'Isidori' glossae
p. 149, 2: Caenaculum	
Caenacellum	
Canava	p. 675, 38: Canava: camea, post caenaculum
Chama	
p. 61, 2: Viocurus	p. 698, 42: Viocurus et statim cestifer
Cestifer	
p. 155, 2: Cirrus	p. 676, 13: Cirrus cirritus cirritudo
Cirritus	
Cirritudo	

et adde p. 687, 6 *mutelus*: *post ruffus*, *ante rubens*; p. 697, 18 *tragum*: *inter legumina*; p. 697, 20 *trimital*: *post urna*;

[1]) Edidit notas Bernenses Guilelmus Schmitzius in Panstenographici t. I p. 193—208 et 337—463.

sim. Non fugit haec ratio P. Burmannum Sec. et U. F. Koppium Palaeographiae I p. 370; II p. 460, post quos vide quae ad eandem rem spectantia scripsit Guilelmus Schmitzius 'die Tironischen Noten und Isidorischen Glossen' in Musei Rhenani t. XXVIII (a. 1873) p. 485.

His fontibus indicatis[1]) quamvis universa Scaligeri glossariorum copia funditus nondum exhausta sit, tamen parvula tantum glossarum pars restat, quae unde sumptae sint non indagavimus. Quo in numero dolendum sane quod insunt velut p. 692, 3 *prurientes auribus*: *qui libenter desiderant de alio mali aliquid audire* et p. 697, 9 *tongilliatim loqui*: *pravis verbis, a Tongilio parasito, qui in hoc invenerat risus aucupium, ut salutatus convicio responderet et maledicentem blandissime salutaret.* Harum et similium glossarum originem persequi posterioris curae erit, qua in re quin Francogalliae, maxime Parisinae bibliothecae investigantibus largam materiam praebituri sint non dubito. Ex eis autem quae nos congessimus non levis momenti illud puto vel nunc consequitur, quod glossarum latinarum princeps editor et locuples aestimator Iosephus Iustus Scaliger[2]) fuit, ut eius laudum coronae novum neque pusillulum folium insertum sit.

Restat ut Scaligeri *b* litterae glossis editis et enarratis[3]) demonstremus, quo modo 'Isidori' glossae tractandae esse nobis videantur. Qua in re si quid nos fugit, non defuturos speramus qui hoc aequi boni faciant in materia non minus varia[4]) et intricata, quam usque ad hunc diem neglecta.

Babiger: stultus

p. 670, 36 ed. Vulc.: glossa saepissime tradita, velut in

---

[1]) Consulto tacemus de fontibus incertis. Velut dubitamus, num Scaliger tali quale est Amplonianum secundum glossario usus sit.

[2]) Scaligeri ad excerpta notulas omnes propediem edam; nam 'Scaligeri quidem nullam unam literam perire fas duco.'

[3]) Arevali editio revocanda erat ad Vulcanii exemplar, Vulcanii glossae ad Scaligeranas, Scaligeranae ad codices manu scriptos.

[4]) Non male Scaliger de 'Isidori' glossis dixit: 'il a beaucoup de ratisseries' (v. Scaligerana Groningae a. 1669 ed. II p. 125).

cod. Palatino 1773 f. 55v; gloss. Salomonis; apud Maium VI p. 510b; in cod. Leidensi 191[3]; cod. Vossiano Oct. 24 (*babyger*); cod. Vossiano Fol. 24; in *affatim* glossis, velut cod. Leidensi 67F f. 10va et alibi.

Babigera: stulta

Babigera stulta p. 671, 58: cf. Hildebrandi gloss. p. 25, 1; cod. Amplon.[1] p. 276, 79; Maium VI p. 510b; cod. Voss. Fol. 24; cod. Bernensem 178 f. 20va (*brabigera*); cod. Amplon.[2] p. 278, 59 (*brabygera*), cod. Sangall. 912 p. 32, ut alios τόπους mittamus. Plenior glossae memoria fortasse fuit *babigera: stulta, bruta*: certe in Sangallensi 912 p. 31 scriptum exstat *baligera: stulta vel bruda*; *vel* illud sescenties falso invehitur. Ex duabus potius glossis *babigera: stulta* et *babigera: bruta* hanc conflatam esse minorem habet si quid video probabilitatem.

Baburrus: stultus, ineptus

p. 670, 20 et p. 670, 26 apud Vulcanium, priore tantum loco apud Scaligerum. Quae glossa omisso *ineptus* vocabulo exstat (in cod. Bernensi 357 f. 8va; apud Maium VI p. 510b; alibi) ea ex pleniore *baburrus: stultus, ineptus* truncata esse potest. Suo iure 'Isidori' dicere possumus: exstat enim in libro illo Originum glossematico X, 31 [1]) = t. III p. 462 ed. Areval., sicut supra scripsimus. Isidorum in hoc libro ipsum ex glossis pendere admodum probabile est. *Baburrus* vocem ex aliis quoque glossis novimus ut Philoxeni p. 28, 31 *baburra* [2]): ἄφρων, ἀνόητος, μάταιος et Placidi III p. 436 *baburra: stultitia, ineptia,* quae cum in 'librum glossarum' (cf. cod. Sangermanensem; cod. Leidens. B. P. 191[3]; cod. Vossianum Oct. 24) talis recepta sit: *baburra: stultitia inepta* vide num *baburra: stulta, inepta* scribenda sit collata Philoxeni glossa. *Baburris,* quod Klotzius in lexico habet, nihili est.

---

[1]) Ex Isidoro in 'librum glossarum' fluxit, velut in Bernensem 16 f. 50vb et gloss. Salomonis. Qui fontes e libro glossarum non pendent, ei omnes breviatam videntur exhibere.

[2]) *Barburra* Stephanus.

Bacario: urceoli genus

p. 671, 9 *bagario*: *orceoli genus* ex codice Leidensi 67 E [1]) f. 9^{v}b, ubi litterae male sic dispertitae: *orce oligenus.* Reliquos addo fontes: cod. Bern. 178 f. 19^{v}a (*bagalio ortioli*); cod. Amplon.^{2} p. 278, 15 (*orceo lineus*); gloss. Salomonis; cod. Leid. 67 F f. 11^{r}a (*becario*); cod. Vossianus Fol. 24 (*becarius orceoli*); gloss. Salom. (*becarius quoddam urceoli genus*). Cf. Pauli Festum p. 31, 1: '*bacrionem* dicebant genus vasis longioris manubrii; hoc alii *trullam* appellant'. Exstabant vasa *bacar* et *bacarium*, ut *bacrio* illud Verri Flacci ex *bacario* forma in hac glossa servata natum esse videatur.

Bacarium: vas aquarium

p. 670, 22, ubi *baccarium*: at *bacarium* ut scribamus suadet et glossae memoria [cf. cod. Leid. 67 E f. 9^{v}b et cod. Amplon.^{2} p. 278, 19 (*bacarium v. aquarum* uterque); cod. Vossianus Fol. 24 (*baccarium v. vel a.*); Mai VI p. 510b (*baccharium*); cod. Voss. Fol. 82 (*baccarium*); Mai VI p. 510b et gloss. Salomonis (*bagarium*); cod. Leid. 67 F f. 10^{v}c (*baccanum*, ubi tamen Vossianus et Bernensis *bacarium*)] et *bacar*, *bacario*, *bacrio*, *bacinum* vocabulorum similitudo. Exstitisse videtur etiam glossa *bacarium*: *vas vinarium*, cum cod. Bern. 178 f. 19^{v}a et gloss. Salomonis *bacharium vas aquarium vel vinarium* exhibeant, quae quidem memoria proxime accedit ad Pauli *bacar*: *vas vinarium.*

Bacapulus: in quo mortui efferuntur

p. 671, 36 *b. i. q. deferuntur* ex cod. Leid. 67 F f. 10^{v}a = Bern. 224 f. 204^{r}a (*baccabulus . . . afferuntur*, ubi *baccapulus* et *offeruntur* Vossianus) et p. 670, 29 *baccatȝ̃ i. q. m. deferuntur*, quae unde hausta sit nescio. *Efferuntur* scripsimus ducibus gloss. Salomonis (*bacapulus . . . efferuntur*); Mai VII p. 552a (*baccaulus . . . efferuntur*); Mai VI p. 510b (*bacabulus . . . efferuntur*); cod. Sangall. 912 p. 31; cod. Bern. 16

[1]) Non ex ipso hoc Leidensi Scaliger hausit, sed ex alio codice quo idem glossarium atque illo continebatur. Ne tamen longi essemus, breviore hoc dicendi genere sicut supra ita semper utendum putavimus

f. 50ᵛb (*baccapulus*); cod. Voss. Oct. 24 (*baccapulus*). Lemma glossae Scaliger eumque secutus Vulcanius p. 93, 42 *bacca: capulus, in quo* . . ., Gebhardus Crepund. II, 12 et de la Cerda p. 335, 406 collato Vulcanii p. 670, 29 loco, ubi *baccal* editum est, *baccal: capulus*, Oehlerus p. 234 glossa quadam Du Cangii usus *baccaulum* scripserunt: ego nihil mutavi, cum praeter hanc glossam exstet alia *bacapulus: feretrum*, cuius lemma apud Osbernum p. 79a *bacaulum* et in cod. Leid. 191[3] *bachapulus* scriptum est, itemque *bacapulus* vocabulum apud 'Goffredum Grossum in vita Sancti Bernhardi' usu veniat. *Bacapulus* magis quam *baccapulus* scripturae testimonia supra excitata favere videt qui ea non numerat, sed ponderat.

Bacatum: margaritatum

p. 671, 11 *baccatum: margaretum* ex codice Leidensi 67 E f. 9ᵛb, ubi item scribitur; p. 670, 21 *b. m.*, quam habes in gloss. Salomonis; Mai VI p. 510b; VII p. 552b; cod. Voss. Oct. 24; Bern. 357 f. 8ᵛa; alibi, ut tamen unde Scaliger hanc hauserit nesciam. *Bacatum* scripturae vestigium exhibet cod. Leid. 67 F f. 10ᵛc *bagatum: m.* Plenior glossae forma fuisse videtur *bacatum: margaritatum, prunellatum*, cum in codice Ampl.[2] p. 277, 10 *baccatum: m. vel prunellatum* exstet. *Prunellatum* vocem noluerim tentare. Ut enim margaritae sive gemmae ob figurae similitudinem *bacae* appellabantur et cum frugibus velut pini (cf. quae in glossario Salomonis exstant: *baccas appellant gemmas que sunt in similitudinem bacce ut fructus pini rotunde*[1]) et piri[2]) comparabantur, sic suspicamur margaritas cum parvis prunis comparatas et *prunellas* appellatas esse, unde factum *prunellatum* participium illud. Quod utut est, non dubium quin glossa ad Vergilium Aeneidos I, 655 'colloque monile | bacatum' referenda sit, quem ad locum etiam Sangallensis 912 p. 31 glossa spectat: *bacatum: gemmis ornatum in modo bacarum.*

---

[1]) Nisi forte *piri* hic legendum est.

[2]) Cf. Isonis magistri ad Prudentium scholium: 'bacas gemmas rotundas, qui uniones vocantur . ., quos et *perulos* vocant.' Hinc Italorum *perla*, Francogallorum *perle*, nostratium *Perle.*

Bacchanal: sacrarium, quod Liberi patris pagani dicebant

Scaliger p. 670, 23: *bacchanal: sacrarium Liberi Patris.* Supplevimus glossam ex hisce locis: gloss. Salomonis (*bachanal*); gloss. Amplon.[2] ined. p. 278, 19/20 (*bacanal libri . .*); cod. Sangall. 912 p. 31 (*baccanal quod pagani sagrarium liberis p. d.*); cod. Bernens. 178 Sinneri (*baccanal . . dicunt*). Alia eaque minus christiana glossa est Mai VI p. 510b *bacchana: sacrarium, quod Libero patri dicabant,* ubi tamen quominus in verbis *Libero patri dicabant* proprium quidquam inesse credamus prohibetur codicis Vossiani Fol. 24 glossa *baccana: sacrarium quod Libere patris dicebant,* ex eodem quo Maiana fonte aperte derivata. Quod autem *pagani* utrobique omissum habes, indicio fortasse est *pagani* vocabulum postea demum in glossam invectum esse, quocum sane congruit, quod *pagani* illud in testimoniis supra excitatis non semper eodem loco comparet. Glossam Vulcanianam *bacchanal: sacrarium Liberi Patris* emendandi quodam pruritu capti scripserunt Semlerus *bacchanal: sacrum L. p.* et Barthius Adv. XIV, 8 *b.: sacra rituum L. p.,* qui Scaligerum[1]) ait non sine ratione *b.: sacra ritu L. p.* proposuisse: sed cur glossa mutanda sit ego non video. 'Bacchanal' enim sacrarium (sicut Livius XXXIX, 9 scripsit: '... Bacchis eum se initiaturum .. decimo die cenatum, deinde pure lautum in sacrarium deducturam') esse vult glossator, h. e. locum ubi Bacchanalia fiunt.

Bacerus: baro factus

Scaliger p. 670, 30 *bacerus: barefactus* ex cod. Vossiano Fol. 82, ex eodemque fonte glossarii Salomonis *b.: barefactus in vitris* haustum est. Reliquarum autem glossarum omnium memoria postulat ut *baro factus* scribamus: sic enim cod. Sangall. 912 p. 31; cod. Voss. Fol. 24; cod. Bernensis 178 (*bacaerus*); cod. Amplon.[2] p. 278, 17 (*bacerius*). Glossam mihi certe perobscuram scripserunt Barthius Advers. XIV, 8 *baro: fatuus*; Oehlerus p. 234 *bucerus: baro, fatuus*; *babiger: baro fatuus* et *babugerus: baro, fatuus* alii excogitarunt. Nobis *bacerus* aliquo modo cum Graecorum βάκηλος cohaerere videtur, sive βάκηρος

---

[1]) Ubi Scaliger hanc coniecturam proposuerit nescio.

forma quaedam fuit in linguam latinam e dialecto recepta, sive βάκηλος in ore Romanorum paullulum transmutatum, sive etiam *bacelus* pro *bacerus* corrigendum est. *Baceolum* dixisse Augustum pro stulto ex Suetonii cap. 87 in vulgus notum est. *Fatuus* corrigere quamquam satis lenis medela videtur esse, tamen scrupulum cum omnium codicum consensus inicit tum additamentum glossarii Salomonis *in vitris.* Illud sane ei qui glossas novit facile in mentem veniet, num forte in *invitris* litteris lateat vox quaedam graeca, cum glossis ex maiore *abavus* glossarii memoria pendentibus sat saepe graeca vox addatur eademque in glossario Salomonis latinis litteris reddi soleat. Hoc tamen fundamento nixo cum emendatio mihi non successerit, visa est glossa auctior illic exstare, atque conieci *bacerus*: *baro factus in vitiis,* quae tamen coniectura habet cur non probabilis videatur.

Baen: est lamina ... potest dici

Scaliger p. 671, 52, qui unde hauserit nescio. Idem vocabulum in breviloquo exstat, quem cum inspicere non possim ex Arevalo locum depromo: *bahen graece, corona latine dicitur,* item in glossario Diefenbachii p. 65c *baen bahen bachen ben* fere scribitur atque 'ornamentum colli', 'halspant', aliter explicatur. Ianssonio ab Almeloveen 'Saxonicum videtur sapere' coll. Spelmanni Archaiolog. v. *beonamagium,* Vulcanio p. 93, 51 contra Hispanicum: 'forte *barra*: ita enim hodie Hispanis vocatur *lamina* vel *massa* et *discus.*'

Balastrum: balneum

Scaliger p. 671, 39 ex cod. Leidensi 67 F[1] f. 10^{v}c: alibi *belastrum*: *b.* (cod. Bernensis 178 f. 20^{r}a); *balastium*: *b.* (cod. Vossianus Fol. 82 et gloss. Salomonis); *blastrum*: *b.* et *balustra*: *b.* (cod. Vossianus Fol. 24). Hinc aperte conficta quae Osbernus, Hugutio, Ioannes de Ianua fere exhibent: *balustrum* sive *balustrium*: *locus, ubi multa sunt balnea, quod lustretur balneis.* Hariolantur Eustathius Swartius Anal. II, 12, qui *badastrum* sive *badstratum* sive *badstatum* conicit, vocem germanicam latere suspicatus, et Ianssonius ab Almeloveen, qui Swartii coniecturam Keronis glossa *balnearum*: *pado* confir-

mari opinatur. Cogitavi de voce *balaustium* (cf. Vossiani Fol. 82 scripturam) vel de graeca quadam. Non enucleavi.

Balio: manus, palma

p. 670, 57 ex Osberno p. 81a, ubi *bolia: manus vel palma.* Osbernus ex hac glossa hausit:

bola: palma, manus

gloss. Salomonis; cod. Bern. 16; gl. Hild. ined. p. 34, 51/52; Papias; al.

Balteat: cingit

Scaliger p. 670, 31 ex cod. Vossiano Fol. 82: cf. Maium VI p. 510b; Hildebrandi glossarium p. 26, 8; cod. Voss. Fol. 24 (*baltheat*); gloss. Salomonis (*baltheat*). *Pectus exquisitissimis gemmarum coloribus balteatum* apud Martianum Capellam initio libri V exstat; cf. etiam Osbernum p. 74 coll. p. 80a: *balteare invenitur pro cingere; et inde hoc balteum, ei; unde hoc balteolum, li, et balteatus, a, um ·i· balteo ornatus,* quem ex glossa *balteat: cingit* et Martiani loco excitato pendere certum est. Ceterum *balteare* formatum est a *balteus* sicut *clipeare* (= contegere) a *clipeus.*

Bambis: aranea

Scaliger p. 670, 32 *bamber: arena* (ex Vossiano Fol. 82, ubi *bambis* sicut etiam in cod. Vossiano Fol. 24 et apud Maium VI p. 510b) et p. 671, 59 (ex glossario Hildebrandi p. 27, 10 ut videtur) *bambis: aranea* (sic P, *aranae* L), quae item exstat in gloss. Salomonis. *Bambis* vulgaris forma est pro Graecorum βόμβυξ, id quod quin ita sit non dubitabis collata glossa cod. Bernensis 357 f. 8ᵛa: *bombices: ūmes unde sericum fit*[1]) *ł araneę.* Quod autem *bombyx* inter aranearum genus insertum est non magis mirum, quam quod *cicindelas* Placidus III p. 449 *araneorum genus* dicit, *quod volans lucet. A* autem vocalem omnes huius glossae τόποι exhibent ex vul-

---

[1]) Cf. cod. Sangermanensem *bombyces: vermes, unde sericum fit*; cod. Leidens. 191[3] *bumbes: vermes quae sericum facit*; cod. Ampl.[1] p. 277, 85 *bombicini: vermes qui texunt.*

garis sermonis quadam proprietate; cf. glossam: 'abrizum: splendor auri.'[1]) Exstant alia quoque eiusdem mutationis exempla, quae nunc non proferemus. Hariolantur Graevius p. 8a (*ammos*: *arena*) et Barthius (*ganker* vel *haber* voces germanicas immiscens); verum non viderunt Du Cangius, Oehlerus, Hildebrandus, ipsum illud 'bombyx' restituentes.

Baionula: lectus qui in itinere fertur

Scaliger p. 670, 53: '*banadola*, lectus quod in itinere fertur. in alio Gloss. Baniola'. Admodum variant huius glossae cum lemmata tum interpretamenta. Atque liber glossarum hanc fere memoriam exhibet: *baionula est lectus qui in itinere baiulatur, a baiulando id est deportando* [cf. gl. Salomonis (*baionalia est l. . . baiolatur a baiolando*); Papiam (*a . . deportando* omissis); Vincentium Bellovacensem (*baianola*: *l. ad baiulandum*); cod. Vossian. Oct. 24 (*bianula est*; *id . . deportando* om.); Osbern. p. 77a (*baionola*: *l. i. i. baiulatus*: nihil praeterea)], quae fluxit ex Isidoro Orig. XX, 11, 2: *baionola est lectus . . . deportando*, quo loco codicum scripturas non minus variare Arevali adnotatio docet. Item alia glossaria, velut cod. Leidensis 191[3] *baiona*: *lectus qui in via fertur* et Bernensis 178 f. 19^{v}a *baiola*: *lectus qui in itinere portatur* (sic dedi quae codex ipse ita ut videtur exhibet: *lect qui itutinere portat*). Quod autem Du Cangius *baiulona* scribendum putat collata Ugutionis glossa *baiulona*: *lectus q. i. i. baiulatur*, non solum infirmo fundamento haec coniectura nititur, cum ille item ab Isidoro pendeat, sed ne ob baiulandi quidem verbi similitudinem necessaria est: nam ex more originationis Isidorianae etiam *baionula* a baiulando derivari potest.

---

[1]) Abrizum: splendor auri.

cod. Amplonianus[2] p. 265, 7 (*aum*); cod. Amplon.[1] p. 259, 118 (om. *auri*); Scaligeri gloss. p. 668, 28 et Turnebi glossae et cod. Bernensis 258 f. 49^{v}b (*abrigeum*); cod. Leidensis 67F[1] f. 4^{v}a et Bernensis 224 f. 201^{r}a (*abrizeum*); gloss. Mai VI p. 502a (*abregium*). 'Abrizum' Graecorum est ὄβρυζον, neque opus cum Turnebo Adv. XXVIII, 5 *obrison* vel cum Vulcanio p. 93, 1 *obrisum* corrigere, multo autem minus cum Reinesio Var. lect. II, 14 et Ianssonio ab Almeloveen p. 2a *aurigeum* sive *aurigo*.

Barbarica: opera de auro
Barbarica: opera subtiliter ornata

Scaliger p. 671, 35 ex cod. Leidensi 67 F f. 10ᵛa: prorsus eadem in Bernensi 224 f. 204ʳ et Voss. Fol. 24, neque discrepat Leidensis 67 E f. 10ʳa. Pervariam glossarum eodem spectantium copiam hanc novi: *barbarica*: *auro vel ornamenta* ('affatim' glossae, velut Leid. 67 F et Bernens. 224); *barbarica*: *aurea ornamenta* (Mai VI p. 510 b); *barbarica*: *auro ornata* (Bern. 16 f. 52ʳb); *b.*: *auro ornamenta* (cod. Amplon.[1] p. 276, 78); *b.*: *auro aut ornamenta* (Bern. 16 f. 52ʳb); *barbarica*: *opera subtiliter ornata* (Bern. 236 et Voss. Fol. 24); *barbarica*: *opera de auro subtiliter ornata, subtilis in coloribus laneis operatio* (gloss. Salomonis); *barbaria*: *subtulus in coloribus lineis operatio vel auro ornata* (Bernensis 178); *barbarica*: *auro ornata et subtilis in coloribus* (in *auro* voce *a* ex duabus aliis litteris facta: cod. Amplon.[2] p. 277, 3); simil. Quam quidem congeriem digerere eo minus necessarium videtur esse, quod ad quamnam rem omnes hae glossae spectent planum est: vestes, telae, amiculae *barbaricae* sunt 'opera auro subtiliter ornata' et *barbaricarius* ille qui vestes 'auro subtiliter ornat'. Hariolatur Barthius Adv. XIV, 8.

Barba sterili: duribuccius

p. 670, 34 *barbastereli*: *duribuccius* ex Voss. Fol. 82, ubi *b. sterili dumbuccius* et p. 672, 9 *barbasterili*: *duribuccius* ex cod. Leid. 67 F[2] f. 55ʳb, ubi *stereli.* Eis quae supra p. 18 adn. de hac glossa scripsimus collatis errasse videbis Barthium Adv. XIV, 8 *barbasterilis*: *puribuccius* et Vulcanium p. 93, 56 *nudibuccius* conicientes. Ceterum ut *duribuccius* sic dicebant similiter componentes *saccibuccis.*

Barbatus: operarius, intimidus

Hausit glossam Scaliger p. 671, 7 e codice Leidensi 67 E f. 9ᵛb, ubi *barbatus*: *operarius, intimidus, incorruptus* scripta est. Varie tentarunt: Oehlerus p. 235 *barbarus*: *temerarius, intimidus*; Graevius p. 8 a *barbatus*: *vas aquarium*; Semlerus *barbaricus*: *operarius, barbatus*: *intimidus* quarum glossarum

priorem idem putat significare posse quod *barbaricarius*: *acu pictor*. Mihi contra nihil mutandum videtur; *barbatum* enim virum *operarium*, *intimidum*, *incorruptum* puto esse Romanum vetustae indolis, barba non tonsa, rusticis operibus deditum, nullos neque hostes neque inimicos timentem, vitiis ne hilum quidem corruptum, qualem Cicero pro Caelio 33, 14 depingit: *aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis: non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus.*

Barbustinus homo, qui fert barbam plenam prorisinis

Scaliger p. 671, 12 ex cod. Leidensi 67 E f. 9^vb, ubi *prorismis* scriptum est. Glossam valde mirabilem emendare volebat Scaliger: *plenam porriginis*, hoc est furfurum, quam Vulcanius p. 93, 33 ut suam profert collato Cyrillo p. 580, 45 πίτυρα: *furfures* . . . et 47 πίτυρον, ἡ ἐν τῇ κεφαλῇ ῥυπαρία: *porrigium*, eandemque Cerda, Arevalus, Oehlerus (nisi quod hic *barbustrinus* lemma scribit atque etiam *uriginis* pro *prorisinis* proponit), Graevius certatim approbaverunt. Ego cum Scaligero facere non possum. Etenim, ut nihil dicam de mira illa forma *barbustinus*, aperta alius glossae similitudo facit ut hanc foedissime corruptam esse existimemus. Compara sis hanc:

barbarostomus: homo, qui barbarismis plena profert verba

Mai VI p. 510 b; cod. Voss. Fol. 24 (*barbarus tomus* . . . *barbarus p. proferit v.*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 10^vc (*barbarustomum h. tribar barismis p. proferit v.*). Libri glossarum memoria exhibet **dicitur** *homo*, velut cod. Sangermanensis (ubi e Placido haustam esse adscriptum est: errore, ut videtur; *barbaristomus*); gloss. Salomonis (*barbaristimos*); cod. Voss. Oct. 24 (*barbarisomus*).

Hinc corruptam esse puto illam cod. Leid. 67 E, cui quidem opinioni illud quoque satis favet, quod Leidensis non ut Scaligeri codex *prorisinis* sed *prorismis* exhibet, propius hoc ad *barbarismis* accedens.

Barcanda: conca aerea

Scaliger p. 671, 25: *barcanda*: *conca aerca*, quam ex Osberno p. 77 a: *barcanda*: *concha aerea* hausit. Idem coniecit

(cf. Vulcanium p. 93, 40 et Nansium apud Oehlerum p. 235) *aenea concha* emendandum, quo cur opus sit nescio: multo etiam minus aliorum coniectura *urna* pro *aerea* scribentium. Neque verum vidit Arevalus, qui *bascanda* cum *candes* vocabulo, de quo supra p. 7 egimus, confert. Dudum enim intellectum est latere hoc loco nomen vasis Britannici, cuius mentio fit apud Martialem XIV, 99, 1: '*barbara de pictis veni bascauda Britannis*' et Iuvenalem XII, 46: '*adde et bascaudas et mille escaria*'. Neque tamen glossa illa corrigenda est, cum aperte Osbernus eiusque fons *barcanda* corruptelam exhibuerint. At exstat glossa, unde haec ipsa hausta, quae ad Iuvenalis illum versum glossam redire docet:

bascaudas: concas aereas

Mai VI p. 151a (*conchas*); cod. Voss. Oct. 24 (*bascauda*); cod. Bernens. 16 f. 53^{r}a; cod. Bern. 357 f. 8^{v}a; gloss. Thomae p. 371; alibi. Cf. Papiam: *bascandae*: *conchae aereae*, *genera vasorum*.

Barciae: barbari

Scaliger p. 671, 13: *Barciae*: *barbari* ex cod. Leid. 67E f. 10^{r}a, ubi *Barcie*: *barbari*. Eandem habes in gloss. Salomonis (*barcie*); cod. Voss. Fol. 24 (*barcie barbam*); cod. Leid. 67F f. 10^{v}c. Glossam tentarunt G. I. Vossius in 'Etymologico' v. *bargus*, qui *barcinae* scribit, et Savaro ad Sidon. Apollinarem p. 388, qui *bargi* vel *barginae*: parum feliciter uterque. Nugantur qui *barciae* cum *baro* aut *barbarus* vocibus cohaerere putant. Scribe *Barcaei*: *barbari* et refer ad Vergilium Aeneidos IV, 43: 'hinc deserta siti regio lateque furentes Barcaei'. Hoc dudum conieceram nixus huius modi glossis: *Barchei*: *barbari, genus afraice* (cod. Vossianus Fol. 24); *Barcaei*: *gens africana* (cod. Bernensis 178; Leidens. 67E f. 10^{v}a: *biarcei*; cod. Ampl.^{2} ined. p. 278, 21/22: *balcei genus Africani*); *Barchei*: *affrice populi barbari* (gloss. Salomonis), cum non modo Graevium eandem emendationem protulisse videbam, verum etiam ante eum a. 1640 Th. Reinesium Var. lect. II, 14.

Bargines: fortes in bello

Scaliger p. 670, 54 ex Osberno p. 81a: *bargines: fortes in bello.* Nugantur qui *barines* seu *barsinae* seu *biragines* = *viragines* seu *barginnae* legendum censent. Recte Oehlerus p. 235 et Hildebrandus ad gloss. Paris. p. 28a *barones f. i. b.* scripserunt, idemque pridem intellexerat Henr. Spelmannus in glossario Archaiologico p. 65. Satis habeo unum excitasse Isidorum Originum IX, 4, 31 (t. III p. 434 ed. Areval.): *mercenarii sunt, qui seruiunt accepta mercede: iidem et barones graeco nomine, quod sint fortes in laboribus:* βαρὺς *enim dicitur grauis, quod sit fortis.*

Barria: regula, norma, rubrica

Scaliger p. 671, 27 ex Osberno p. 79a: prorsus item ut supra scripsimus. Nugatur Semlerus *barria* a *barro* id est elephanto derivandum ratus, nimirum quia de eorum dentibus regulae conficerentur, cum potius *baria* scribendum sit = βαρεῖα. Docet ipse Osbernus p. 71: 'bary graece *grave* et forte latine; unde haec bararia, ae .i. regula gravis et a dextera usque ad sinistram protensa', quae cf. cum Isidoro Originum I, 19, 2 (t. III p. 30 ed. Arev.): 'βαρεῖα id est gravis, linea a summo sinistrae in dexteram deposita.'[1])

Barriginae: peregrinae

Scaliger p. 670, 35 ex cod. Vossiano Fol. 82 (sicut etiam in Vossiano Fol. 24, ubi *barriginae*) ubi *barrigenae: peregrinae.* Certum est *barginae* scribendum collatis glossis hisce:

barginae: peregrinae

Leidensis 67E f. 9ᵛb (*bargene: peregrine*); Bernensis 178 f. 19ᵛb (*bargine*); cod. Leidensis 67F f. 10ᵛc (*bargine: barginę* Bernensis 224); gloss. Salomonis (*bargina: peregrina*).

---

[1]) Falso siquid video in Isidori editionibus, velut Gothofredi et Arevali, sic commate distinguitur: 'βαρεῖα, id est gravis linea, a summo sinistrae in dexteram deposita, fit ita \.' *Gravis* non cum *linea* coniungendum, sed ita potius: 'βαρεῖα: id est gravis [scilicet accentus], lineā ... depositā, fit ita \.' Cf. quae praecedunt: 'ὀξεῖα, id est acutus accentus, linea a sinistra parte in dexteram partem sursum ducta fit ita /.'

barginae: alienigenae, peregrinae

Mai VI p. 510b.

bargina: homo vitiosae gentis

'Caper' de orthographia p. 2245P., ubi etiam *barginna*.

Minus certum, num *peregrinae* in *peregrini* mutandum sit. Miros enim nos habet *peregrinae* femininum, quod ex *barginae alienigenae* formis errore natum esse suspicor.

Barto: genus organi

Scaliger p. 671, 10 ex cod. Leidensi 67E f. 9^{v}b. Nugatur Reinesius Var. lect. II, 14, ad nostratium 'barde' vel Graecorum 'βαρδούκιογ' glossam spectare somnians. Scaligeri emendatio 'barbiton' egregie comprobatur reliqua huius glossae memoria:

barbiton: genus organi

cod. Ampl.² inedit. p. 278, 15/16 (*barbitum*); ibidem 21/22 (*barritor*); cod. Bern. 258 (*bariton*); cod. Bern. 178 (*barridon*); idem (*b. g. o. vel citharae*); cod. Leidens. 67F f. 10^{v}c (*bariton*); gloss. Salomonis (*barion*); cod. Voss. Fol. 24 (*baritoon*); alibi.

Basilidos: palatinus homo, ἀνὴρ τῆς βασιλίδος ·i· de aula regia

Sic Scaliger p. 671, 22: *basilides* Vulcanius edidit. Glossa unde hausta sit nescio. Emenda *basilicos.*

Barbo: barunculus

Scaliger bis exhibet p. 670, 34/35 (non Vulcanius) *b. b.* ex cod. Vossiano Fol. 82 — quocum consentiunt Voss. Fol. 24; Mai VI 510b; gloss. Salomonis; Papias — et p. 672, 2 ex Hildebr. Paris. p. 28, 17 ut videtur: *baruo barunculus* utrobique. Cogitarunt innui barbum piscem Graevius et Arevalus, id quod refutatur Philoxeni glossa p. 28, 14: *barbo*: βάκηλος, qua item Hildebrandi coniectura *bardo* p. 28 sq. convellitur, praesertim cum *bardo* vocabulum Hildebrandi ingenio, non veterum memoria nitatur. Eadem Philoxeni glossa cautum est ne *barbo* illud tentemus, quamquam quae inter *baburrus babiger bardus baro barbo barunculus varo* formas ac vocabula intercedat necessitudo parum perspicuum est.

Bassacum: terrae hiatus

Scaliger p. 671, 8 *bassacum*: *terrae hiatus* ex cod. Leidensi 67E f. 9^{v}b, ubi *b. terre h.* Neque Reinesius Var. lect. II, 14, quem Graevius p. 8b aperte exscribit, *bassatum* collato *bassus* vocabulo, neque Goesius in indice scriptorum rei agrariae v. *fossatus* hoc ipsum *fossatum* proponentes verum viderunt, sed unice Scaliger, cuius emendatio *baratrum* Excerptis Pithoeanis p. 53 dudum adscripta exstabat. Comprobatur ut assolet Scaligeri coniectura aliarum glossarum memoria. Ipse enim ille cod. Leid. 67E alio loco f. 9^{v}b — id quod non raro usu venit — veram glossae scripturam servavit: *baratrum*: *terre hiatus uorago basacum fossa profundũ grec̃ est*, cui adde cod. Ampl.[2] ined. (ante primam *b* litterae apud Oehlerum glossam): *baratrum*: *terrae hiatum uel profundum.*

Bassus: crassus
Bassus: pinguis, obesus

Bassus: *crassus* p. 670, 27 unde excerpserit Scaliger nescio. Altera autem glossa p. 671, 37 edita ex cod. Leidensi 67F[1] f. 10^{v}b fluxit, ubi *bassa pingues o.* ipse hic codex, eademque in librum glossarum *bussus*: *p. o.* scripta pervenit. Sic enim Mai VII p. 553b; cod. Bernensis 16 f. 60^{r}b; cod. Voss. Oct. 24 (hic *buus p. o.* exhibet). Tertiam glossam Scaligeranis addo *bassus*: *grossus, pinguis* ex cod. Ampl.[3] p. 279, 8 (sic A; *grosus* W). Non noviciam esse *bassus* vocem, sed vel vetustissimae linguae propriam demonstrat *Bassus* cognomen: eandem apud scriptorem quendam olim exstitisse conicio. Quod enim in Act. soc. phil. Lips. t. II p. 477 sq. apud Catullum 39, 11 librorum scripturam: *aut parcus Umber aut obesus Etruscus* in *aut crassus Umber* mutavimus, hoc suas habet difficultates, cum iure suo Schwabius dicat 'librum glossarum' versum procul dubio sic exhibuisse scriptum: *aut pinguis Umber* . . Qua ex scriptura cum Catulli librorum *aut parcus Umber* nequaquam nasci potuisse videatur, non abhorret puto a probabilitate ipsum illud *pinguis* glossema esse pro rariore aliqua voce in versum invectum. Glossis autem modo excitatis cum

constet *bassus* explicari *pinguis*, vide num forte Catulli manus restituta sit versu sic scripto: 'aut bassus Umber aut obesus Etruscus'.

Basterna: tecta manualis

p. 671, 38 ex cod. Leid. 67 F[1] f. 10^vc, quocum consentiunt Bern. 16 f. 53^va; Bern. 178 f. 19^vb (*bastema*); Amplon.[2] p. 277, 2 (cf. etiam Osbernum p. 77 b *basterna theca manualis vel genus vehiculi*). Hanc in *basterna*: *lectica manualis* Io. Meursius in Gloss. graecobarbaro p. 57 v. βαστέρνιον et Oehlerus p. 236 mutarunt; Claud. Salmasius contra et G. I. Vossius in Etymol. v. *basterna* in *b.*: *tecta mannalis*[1]). Ut autem de hac coniectura priore loco loquamur, non satis idonei mihi videntur esse *manni*, equoli satis alacres et fervidi, ad portandas basternas, quarum usum eundem fere fuisse scimus atque pilentorum: homines portabant vel asini. Molliusculum enim vehiculi genus *basterna* fuisse videtur. Cf. glossas *bastella*: *vehiculum itineris, quae et basterna, mollibus stramentis composita, a duobus animalibus deportatur* (ex gloss. Salomonis; cod. Voss. Oct. 24; Papia; Vincentio hausi, quorum discrepantias repetere taedet) et *basterna*: *similis curru, de corio facta tota et portatur semper ab hominibus vel asinis, nullam rotam habens* (ex cod. Amploniano[1] p. 276, 68: *baterna* ... *coria* ... *ob h.* et cod. Voss. Fol. 24, ubi cum glossa supra exscripta sic conglutinatur: *b. tega manuelis* ...; *facta* et *semper* om.; *asynus*). *Tecta* autem in *lectica* mutare noluerim. Nam quamquam prorsus certum non est quid fuerit *tecta*, tamen suspicari licet fuisse *lecticam tectam* (scimus enim *basternas* undique clausas fuisse) et *manualem* hominum manibus plerumque portatam. Idem video Turnebo in mentem venisse, qui in Adv. XXVIII, 5 adnotat sic lecticam se putare dici tectam, quae manibus hominum portaretur, non dorso iumentorum gestaretur[2]). Namque propterea tecta non corruptum videtur esse, quod in

[1]) Quod Gebhardus Crepund. III, 16 *nasiterna* pro *basterna* scribendum proposuit, hoc refutatione non eget.

[2]) Egregie fallitur Ianssonius ab Almeloveen, qui hoc Turnebi additamentum glossae integram partem esse putet p. 4 b coll. p. 5 a.

alia eiusdem glossae memoria item comparet. Dubium enim esse non potest quin Scaligeri p. 671, 45 glossa *bortanea: tecte manualis*, ex cod. Leidensi 67F f. 11ᵛc *bortam: tecte manualis* hausta[1]), eadem sit, lemmate tantum modo foede corrupto, ita ut novum habeas eius rationis exemplum de qua supra egimus p. 18 sqq. Prorsus enim operam perdidisse censeo, qui pro *bortama* (sic fontium pleraque pars exhibet) *abortanea* (Scaliger) sive *portanea* (Ianssonius ab Almeloveen p. 5a: *portanea testa, manualis* Gebhardus Crepund. II, 12, quem exscripsit de la Cerda p. 335, 407) scribendum proposuerunt.

Batioca: patera

p. 670, 37 ex cod. Vossiano Fol. 82: glossa est Plautina. Plura v. infra.

Batinius: rusticus, agricolanus

p. 670, 19: hausit Scaliger ex Osberno p. 75b *batimus: rusticus, agricolanus, agrarius, ruricola.* Dici nequit quot turbas haec glossa excitaverit. Alii enim Vatinianorum vasorum aliquid subesse suspicati sunt (Oehlerus p. 234 coll. Du Cangii glossa *vatiniana: vasa rustica et maxima*), alii bacinorum (cf. Du Cangium v. *bacinus*): alii — quorum hariolationes ex Arevali adnotatione petii — scripserunt *balinius* (a *balia* sive *ballia* = 'praedium rusticum' derivatum); alii *bestangarius* (qui *angariat bestias*); alii *pastinus* (qui *pastinat*, h. e. rura colit). Sed nihil mirum quod hariolati sunt in emendanda voce, cuius auctor omnium hariolatorum fuit impudentissimus. Osberni enim lemma *batinius* sive *batimus* nititur Papiae vel alius cuiusdam libri glossarum epitomae glossa *bacunus: rusticus*: atque haec quidem fluxit ex corrupta illa eiusdem 'libri glossarum'[2]) memoria *baccunis: rusticis, stultis.* Eadem glossa — Plautina, ut infra demonstrabitur — alibi non corrupta tradita est *buccones: rustici, stulti.*

---

[1]) Cf. praeterea: *bortama: tecta manualis* (Bern. 224 f. 204ᵛa et Papias); *bortama t. manualia* (Mai VI p. 511b); *bortania t. emanuel* (cod. Vossianus Fol. 24); *bortama tecte manuales* (gloss. Salomonis).

[2]) Cf. Mai VII p. 552b; cod. Bernens. 16 f. 51ʳa; Mai VI p. 510b (*bacunis rusticus*, nihil praeterea); cod. Bernens. 178 f. 19ᵛa.

Batis: nomen serpentis

p. 671, 6 ex Leidensi 67E f. 9^{v}b, ubi *batis nom̄ serpentis.* Eadem apud Maium VI p. 511a et in cod. Ampl.[2] p. 277, 9 (*battis n. sernantis*). Plinius Nat. hist. 32, 11 cum inter pisces enumeret *batin,* Semlerus pro *serpentis* corrigendum putavit *piscis*: audacius quam veri similius. Talium enim rerum scientia cum fontibus admodum mancis nitatur, quo iure negabimus eiusdem nominis serpentem exstitisse?

Batis: genus holeris

p. 671, 50 *batis*: *genus holeris. Batus* Vulcanius edidit. Cf. *batis*: *herba holerum* Bern. 178 et gloss. Sal.; *bagatis* sive *bagetis*: *genus holerum* Bern. 178 et gloss. Sal.; *batos*: *herbae genus* Placidus III p. 437; *batus*: *genus herbae* Festus Pauli p. 30, 15; *batta*: βάτος Philoxenus p. 27, 49; *batis*: εἶδος ἀκάνθης βοτάνης idem p. 28, 40; *batum*: πράσον idem p. 28, 47.

Baucalem: gellonem

p. 670, 38 *baucatem* male edidit Vulcanius. Cuius glossae apud Hildebr. p. 29, 21 (*gallonem* L); Maium VI p. 511a; in cod. Bernens. 178 f. 19^{v}b (*gillonem*); Amplon.[1] p. 276, 75 (*gyllonem*); Vossian. Fol. 24; alibi traditae plenior memoria haec esse videtur:

baucalem: gellonem, ubi infusa sit

cod. Vossian. Oct. 24 (*fit*); Bernens. 16 f. 50^{v}b (*baccalem*); idem f. 53^{v}b (*fit*); gloss. Salom. (*gelonem*).

quae tamen ne ipsa quidem integra sit. Sic fortasse suppleveris: *gellonem, ubi infusa fit* [*gelida aqua*]. Vix opus commemorare Graecorum βαυκάλιν. 'De gillone' poemation exstat in anthol. lat. n. 136 R. (I p. 117).

Bellicerpa: quoddam genus ludorum cum armatis

p. 670, 17: *bellicrepa* emendavit Scaliger, unde pendent Vulcanius p. 93, 29; Ianssonius ab Almeloveen p. 4b; al. Rectissime Scaliger: non recte Arevalus p. 450a et O. Muellerus ad Festum p. 35, 3 pro *cum armatis* scripserunt *cum*

armis. Nam glossa illa petita est ex Osberno p. 64 *haec bellicrepa, ac ·i· quoddam genus ludorum cum armatis hominibus factum* coll. p. 75b *bellicrepa: ludi armati genus*, cuius nugatoris verba cum e Festo Pauli l. s. s. derivata sint, non amplius ea curabimus. Propria est neque e Festo petita glossa Mai VI p. 511a: *bellicrepa: saltatio, quam dicimus pyrrhicha.*

Belluus: moribus beśtiarum

Admodum difficilis haec glossa ter a Scaligero excerpta est: p. 672, 15 sicut supra eam scripsimus; p. 671, 17 *bibuscus: morsus bestiarum* ex cod. Leidensi 67E f. 10^{v}a; p. 671, 20 *biluus: moribus bestiarum* ex eodem f. 10^{v}b, ita ut Leidensis prorsus consentiat cum Scaligerano. Quas quidem tres glossas ad unam eandemque redire qui non caecutit facile videt. Eiusdem glossae reliqua memoria haec est: *brucis: morbus bestiarum* in gloss. Salomonis; *beluus: morbus bestiarum* cod. Ampl.² p. 278, 24; *belivus: bestiarum morbus* cod. Laudunensis 445 saec. IX/X. Et morsus et morbus bestialis hinc alienus: verum esse videtur, quod inscripsimus *belluus*[1]: *moribus bestiarum*, id quod ante me iam alii viderunt. Ut autem dicam quod sentio, parum placet *moribus* dativus nude positus: truncatam esse puto glossam et sic forte redintegrandam *belluus: moribus bestiarum similis.* Ut enim *belu-inus, belu-tus*[2], *belu-alis, belu-ilis, belu-osus* derivata exstiterunt, sic ne *belu-us* quidem defuit, quod praeter glossam de qua agimus Cyrillus p. 491, 13 exhibet θηριώδης: *beluus, efferus.* Haud aliter autem *bestius* a *bestia* formatum habes, qua quidem voce Commodianus usus est loco apud Graevium p. 9a excitato et Osbernus p. 79b: *bestius: crudelis, truculentus.*

Belues: egestas, quia solet cõtingere per vastationem

Scaliger p. 670, 24: male Vulcanius *quia* pro *quae*, scriptura Scaligerana. Arevalus vel a *bello* vel a *belluis*, Bar-

---

[1]) *belivus* codicis Laudunensis scriptura nihil est nisi *beliuus* = *belluus*.

[2]) Hoc ipsum *belutus* pro *belluus* corrigendum putabant Gebhardus Crepund. II, 12 et Hildebrandus p. 162a.

thius a *bellua* derivant, Scaligero ad *lues* spectare videtur. Verum suspicati sunt Barthius Arevalusque. Hausta nimirum glossa ex Osberno p. 75b *belues*: *egestas, quae solet contingere per vastationem beluae* coll. p. 63 *belues, is ·i· egestas*: idemque additamentum *beluae* Iohannes de Ianua exhibet. *Belues* autem vocabulum utrum re vera exstiterit, an aliquo errore inducti Osbernus Iohannesque (vel potius eorum auctor) finxerint, non attinet investigare. Certe longe aliud quid Papias prodidit — qui sane item adamat glossographiam nugatoriam —: *belues*: *mendacitas*.

Bene linguatus: eloquens

p. 671, 41 ex cod. Leid. 67F[1] f. 10^vd, ubi *linguarus*. Satis fluctuat glossae memoria: *b. linguarus e.* cod. Voss. Fol. 24; *b. linguanus e.* gloss. Salomonis; Osbernus p. 75a; *b. l. bene loquens* Mai VI p. 511a. Illud quod Scaliger exhibet uniceque verum est, meorum fontium unus Papias servavit. *Bene linguatus* eleganter dictum est ut *egregie cordatus* Ennianum.

Bestiarius: venator bestiarum

p. 672, 3 ex glossario Hildebrandi, qui tamen glossam inter p. 30, 31/32 scriptam *bestiarius*: *benatur b.* omisit. Non raro eadem alibi, velut in cod. Sangall. 912 p. 34; cod. Ampl.[1] p. 277, 106; cod. Voss. Fol. 24; Leid. 67F f. 10^vd (*venatur*).

Bestiones: tiraces
Bestemiae: Troiae

Altera glossa p. 671, 42 ex cod. Leidensi 67F f. 11^rc hausta, qui *bistemiae*: *troie* inter glossas a *bi-* incipientes exhibet. *Bestae maiae Troiae* Scaliger adscripsit, unde pendent excerpta Pithoeana p. 53 et 54; Vulcanius notarum p. 93, 49 ('alias Bestae maiae Troiae'); Graevius p. 9, qui verba illa ut *bestia maialis*: *troia* ('troia est scrofa, ut docuit Pomponius Sabinus ad 5. Aeneid.') interpretatur. Sed verum non vidit Scaliger. Nihil sane discimus ex Mai VI p. 511b (*bistemio*: *trogano* et *bistimiae*: *trogiae*); cod. Voss. Fol. 24 (*bi-*

stemiae: *troiae*); vocab. rarior. p. 699, 12 (*bistimiae*: *trullae*); Papia (*bistemia*: *troia*), ac ne ex glossario Salomonis quidem, ubi quae plenior exstare videtur memoria: *bestimiae*: *thrulle Salomonis*, ea *salemonis* vocabulo aucta est ex ea quae statim sequitur glossa: *Bertia*: *nomen mulieris que venit a finibus terre audire sapientiam salemonis* petito. Collatis autem hisce glossis: *Bistonia*: *Thracia* (gloss. Salomonis; c. Leid. 67 F² f. 55ʳb: *Bistonica*: *thratia*; cod. Voss. Fol. 24: *Tracia*) et *Bistones*: *Thraces* (sic cod. Leid. 67 E f. 10ᵛb et cod. Ampl.² ined. [*bistonis*: *trahis*] ducibus scribenda est mira illa Scaligeri p. 671, 51 glossa *bestiones*: *tiraces*[1]) quin *Bistoniae*: *Thraciae* recte scribamus non dubium videtur, praesertim cum in glossario Salomonis etiam *bistomie*: *troie* traditum sit. Eandem emendandi viam ante me et Semlerum et thesauri Vulcaniani Lipsiensis anonymum, cuius notulam Oehlerus p. 236 exscribere male omisit, ingressos esse video.

Bibitor: potator

p. 670, 39 ex codice Vossiano Fol. 82 hausta, ubi eodem modo tradita exstat. Quod addam non habeo.

Bibliothecarius: qui codices secat

p. 672, 4 ex gloss. Hildebrandi p. 30, 32, ubi P *bibliothecarius*. Neque *secat* illud, quod fuerunt qui satis contorte explicare studerent, neque *recenset* (Mai VII p. 552 b; gloss. Salomonis), neque *resecat* (cod. Ampl.² p. 278, 26) probandum est, sed illud, quod coniectura iam assecuti sunt itemque *affatim* glossae (cod. Leid. 67 F¹ f. 11ʳc et Bern. 224 f. 204ʳb) exhibent, *qui codices servat*.

Bidens: anchora

p. 672, 10 ex cod. Leid. 67 F² f. 55ʳb. 'Bidens' substantivum ancoram significare non solet.

Bifax: duos habens obtutus

p. 671, 18 ex cod. Leidensi 67 E f. 10ᵛb, ubi *obtutos*.

[1]) Ita ut nihili sit Scaligeranum ad *bestiones* adscriptum: ζωοφόροι.

Hoc vocabulum, quod etiam apud Philoxenum p. 30, 35 *bifax*: δίχρωμος, διπρόσωπος, διττός habes[1]) translate quoque pro mendaci usurpatum esse comprobat glossa: *befacis*: *mendacis* (Mai VII p. 552b; cod. Vossianus Oct. 24; cod. Sangerman.; cod. Bernensis 16 f. 54ʳa).

Billa: iumentum, asinus

p. 671, 14: permira glossa, cuius lemma Gebhardus Crepund. II, 12 *vehilla* scribit, cum Scaliger adnotet 'in Const. Iust. ὀιλία' aliique Hispanici aliquid latere suspicentur. Insanit Schurtzfleischius, de vocabulo nostratium *fuellen* cogitans. Feliciter lemma emendavit Arevalus: *bellua*, quamquam interpretamentum *iumentum*, *asinus* nullum ei scrupulum iniecisse videtur. Ac difficile sane erat verum indagare sine librorum manu scriptorum ope. Hausit Scaliger e codice Leidensi 67 E f. 10ᵛa, ubi egregia exstat scriptura haec: *billa*: *iumentum marinū*. Itaque abiecto illo asello[2]) scribe *bellua*: *iumentum marinum*. 'Iumentum' nempe vocabulum lingua vulgaris 'iugi' nihildum memor latiore sententia usurpabat ita, ut idem fere significaret quod *pecus*, *bestia*. Cf. glossam plane gemellam Mai VI p. 511a *belua*: *bestia marina*. Forma autem illa *billa* item vulgaris est. E *bellua* enim *u* extrusa et *e* in *i* mutata *billa* factum est.

Bimaritus: iterum maritus

p. 671, 15 ex cod. Leid. 67 E f. 10ᵛa: eadem apud Maium VI p. 511b; in cod. Ampl.² p. 278, 40; cod. Leid. 67 F f. 11ʳd (*iteritus*); cod. Vossian. Fol. 24. Eiusdem lemmatis alterum interpretamentum exstat: *bimaritus*: *secundus maritus* cod. Voss. Oct. 24; Salom. gloss. (*bimarius*); cod. Bern. 357 f. 8ᵛb (*bimareus*); Vincent. (*bimartus*). Noti sunt Ciceronis Plancianae et Hieronymi ad Iovinianum loci.

Biplex: duplex. Biplicitas: duplicitas, alterplicitas

p. 671, 26 et 670, 56, utraque ex Osberno hausta, qui

[1]) Ineptit Gebhardi Crepund. II, 12 amicus *bifaux* proponens.

[2]) Quid *asino luteo* faciendum sit in glossa cod. Vossiani Fol. 24 *belua*: *iumentum asinus luteus* prorsus me latet.

p. 81b exhibet *biplex*: *duplex*, *duplicarius*, *alterplex*[1]), et ibidem *biplicitas*: *duplicitas*, *alterplicitas*. Ne Osbernus, vir minumi preti, diutius nos moretur, statim addimus quae praeterea *b* litterae glossae Panormiae debentur:

'Isidori' glossae:	Osbernus:
p. 671, 57: Bombicinatores: purpuram facientes	p. 79b: Bombicinatores: qui purpuram faciunt
p. 671, 58: Bombicinare: purpuram facere	p. 79b: Bombicinare: purpuram facere [cf. etiam p. 72]
p. 670, 28: Bostar: locus ubi stant boves	p. 78b: Bostar: locus ubi stant boves [2])
p. 671, 24: Brevigerulus: qui breve gerit	p. 76b: Brevigerulus: qui breve gerit
p. 671, 31: Bucita: pascua, ubi cientur boves	p. 80b: Bucita: pascua ubi ciuntur ·i· vocantur boves [3])

Birrus: rufus

p. 670, 40 ex cod. Voss. Fol. 82: eadem glossa apud Maium VI p. 511b; Hildebr. p. 32, 43; in cod. Voss. Fol. 24

---

[1]) Non sine ratione Scaligero *biplex* illud suspectum fuit, unde *bilex* = *bilix* emendandum putabat. Videtur enim Osberno fraudi fuisse haec glossa:

bilices: duplices

Mai VI p. 511b; cod. Amplon.[1] p. 276, 61; gloss. Hild. p. 31, 40; cod. Bernensis 16 f. 57ʳb; cod. Vossianus Fol. 24; gloss. Salomonis; Papias; cod. Vossianus Oct. 24.

Sed quoniam re vera exstitit sane *biplex* vocabulum (cf. cod. Ampl.[3] p. 279, 39 *biplex*: *duplex* et Cyrillum p. 435, 34 διπλοῦς: *biblex, duplex, duplus*), non ausim certi quidquam autumare.

[2]) Mire Vincentius: *bostar*: *passus bovis*. Similes glossae in cod. Leidensi 191 et apud Papiam, qui praeterea exhibet *bostar*: *locus ubi comburebantur corpora boum*. Cum extrema Papiae glossa cf. Charisium: 'bustar: locus ubi concremantur mortuorum corpora.'

[3]) Hanc glossam Scaliger excerpsit memor haud dubie Varronis de l. l. V, 164: 'in Palatio Mucionis a mugitu, quod ea pecus in bucita circum antiquom oppidum exigebant', quem ad locum Appendicis p. 198 sq. adnotavit: '*bucita* seu *buceta* (nam utrumque reperio) glossae meae veteres interpretantur *pascua ubi cientur boves*: quod glossema non solum nobis mentem Varronis aperit, sed etiam etymon praeterea pro cumulo addit. Neque semel ita reperi in ipsis glossis.' Parum locuplete etymologista Scaliger usus est: propria enim haec sapientia Osberni, Ugutionis, Iohannis de Ianua.

(*ruffus*); gloss. Salomonis. Graecorum πυρρός latine factum est *burrus*[1]) et *birrus*. *Birrus*[2]) substantivum in glossis quoque comparet: eiusdem vocis exempla exquisita Cerda p. 328, 118 lexicis addat.

Bitidum: informe

p. 671, 19. Verum est quod Scaliger adscripsit 'in multis gloss.' Atque interpretamentum quidem *biforme* scribendum docet cum fons Scaligeranae (cod. Leid. 67E f. 10^{v}b *b. biforme*) tum reliquae glossae quae huc spectant omnes. Quaeritur autem quid sibi velit lemma: *bitidum* enim quid sit, nondum notum est. Quoniam autem etiam *bifidum*: *biformem* et *bitidum*: *biformem* glossae satis frequenter traditae sunt (illa velut in cod. Sangerm. du Rieuo teste, haec in cod. Leid. 67F^1 f. 11^{r}c; Bern. 224 f. 204^{r}b; Voss. Fol. 24; gl. Salom.), non improbabile videtur *bifidum*: *biformem* integram fuisse formam[3]).

Bivira: secundo coniux

p. 671, 16 ex cod. Leid. 67E f. 10^{v}a, ubi *b. secunda c.*: *secunda coniux* sive *coniunx* omnes huius glossae fontes, velut cod. Voss. Oct. 24; Leid. 67F f. 11^{r}d; Bern. 357 f. 8^{v}b; gloss. Salom.; Voss. Fol. 24; cod. Sangerm.; alii. Ubi quod satis saepe traditum habes *bifera* lemma, hoc ex vulgari forma *bivera* factum, sicut etiam in codd. Plautinis pro *viri, viro,* sim. non raro scriptum est *veri, vero,* sim. *Secundo* illud in alia glossa quae huc pertinet item exstat: Mai VI p. 511 b *biuira*: *secundo uxor*. *Bivira* vocabulum est Varronianum, longe tamen aliter apud Nonium p. 80, 22 ed. Quich. explicatum: 'biviras: quas usus viduas appellat. Varro Lege Maenia: *ad biviram venio* ...' Cf. supra glossas ad *bimaritus* vocem spectantes.

Baldiosus: effabilis
Blandiosus: affabilis

p. 670, 41 et p. 672, 5: utramque glossam eandem esse

---

1) *Burrum*: *rufum* cod. Amplon.^{1} p. 276, 35.

2) Vel *birrum*: cf. cod. Ampl.^{2} p. 278, 43 *birrum*: *grossior cappa*.

3) Aliorum tentamina *bividum* et *bivium* nihili sunt.

Scaliger cum perspexisset, priorem facile correxit. Cf. eandem apud Hildebr. p. 33, 46; Maium VI p. 511b; in cod. Vossiano Fol. 24.

Blato: cubicularius, hospitalarius

p. 672, 1: certum est *blasto* scribendum propter omnium huius glossae testimoniorum consensum:

blasto: cubicularius

cod. Voss. Oct. 24; cod. Sangerman.; cod. Bernensis 16 f. 58^{r}b; gloss. Salomonis (*cupicularius*); cod. Vossianus Fol. 24; Papias; Vincentius; cod. Bernensis 357 f. 8^{v}b; cod. Sangallensis 912 p. 32 (*cuuicularius*).

Unde Scaliger glossam hauserit nescio: neque usquam *hospitalarius* adiectum repperi. Num huc aliquo modo referenda sit cod. Vossiani Fol. 24 glossa: *blastum*: *habentem lucrum* dubito: non dubito quin Semleri *blato* (= *blatero*): *cupidiloquus, blaterarius* non probandum sit.

Secuntur quattuor glossae de quibus breviter agemus, quoniam infra inter Plautinas et Lucilianas earum uberior mentio fiet. p. 671, 40 *blenones*: *puditi hiriorum* ex cod. Leidensi 67F^{1} f. 10^{v}d, ubi *b. pudici hyrcorum*; scribe *blenones*: *putidi, hircones.* p. 671, 21 *blimi*: *tetri* ex cod. Leidensi 67E f. 10^{v}b, ubi item; scribenda et supplenda *blenni*: *putidi, tetri.* Plautina glossa est sicut etiam *blitea*: *stulta* (p. 671, 43 *blitea*: *stulta* ex *affatim* glossis; cf. cod. Leid. 67F f. 11^{r}c); Lucilianae autem *bobinatores*: *inconstantes* (p. 671, 46 ex *affatim* glossis; cf. cod. Leid. 67F f. 11^{v}c) et *bubinare*: *sanguine inquinare mulieris menstruatae* (p. 671, 32 *buvinare, s. i. m. m.* ex cod. Leidensi 67E f. 11^{r}a, ubi *buminare s.* *in*^{u}*qinare muliebres menstruate*).

Boeter: verum veranum

Verum, quod Graevius glossam obscuriorem dicit folio Sibyllae, quae obscuritas Semleri coniectura *ber* (i. e. *ver*): *vernum, verinum* non imminuitur. Aliquid tamen lucis afferre possum. Quamquam enim unde Scaligeri glossa hausta

sit nescio, tamen aperte huc spectat cod. Bernensis 357 f. 8^{v}b glossa: *Bootes stelle uel ue ranum*, idque magis etiam apparebit si memineris *bootes* vocabulum sat saepe in glossis *boetes* scribi: cf. *Boetes*: *septemtrio* (cod. Ampl.[1] p. 277, 123 et Ampl.[2] ined. p. 278, 50/51); *Boetes*: *stellae sunt circa septemtrionem* (cod. Voss. Fol. 24).

Bolonae: ipsi cetarii, qui diversa genera piscium emunt

p. 672, 7: glossae, quae unde hausta sit nescio, simillima est: *bulones*: *ipsi sunt cetarii, qui diversa genera piscium vendunt*, sic fere in cod. Voss. Fol. 24 (*ceteri*; *sunt* om.); apud Hildebrand. p. 37, 66 (*cetari* PL); Papiam (*b. cetarii q. . . vaendunt*); post Salomonis glossas (*bullones* .. *cetearii*); apud Osbernum p. 80b (*bolones*; om. *sunt*) tradita. Ubi quae comparet forma *bolones*, eam etiam brevior Mai VI p. 512a glossa *bulones*: *cetarii* exhibet, in *bolonae* autem mutari iussit Hildebrandus p. 37a, de *bulones* corruptelae origine mira ille commentus. Negari sane non potest praeter has glossas ex uno fonte ut videtur derivatas, ne in glossariis quidem ullam nisi *bolona* formam traditam esse. Cf. glossas Placidi (apud Maium III p. 436: eadem in librum glossarum recepta est): *bolona*: *redemptor cetariarum tabernarum, in quibus salsamenta condiuntur, quas tabernas vulgo cetarias vocant* et Philoxeni p. 30, 55: *bolonae*: μεταπράται, παλιγκάπηλοι. *Bolida*: *honor magnus* glossa satis frequenter tradita, quam Hildebrandus l. s. s. etiam *bolona*: *cocio, mango* scribi posse sibi persuasit, quin huc non pertineat nullus dubito: aperte autem huc referenda est cod. Sangallensis 912 p. 38 glossa: *bullonium*: *luto qđ lacerarii salsamentum dixerunt*, ubi pro *luto* scribo *puto* et in *lacerarii* latere putaverim *cetarii*.

Bombum: sorbellum

p. 670, 48 ex cod. Voss. Fol. 82, *bumbum s.* exhibente. Interpretamentum cum ubique sic traditum sit (in cod. Voss. Fol. 24; Leidensi 67E f. 11^{v}b; Bernensi 178 f. 20^{v}b; gloss. Salomonis; cod. Sangall. 912 p. 38: nisi quod in Sangallensi *sorbillum*) non habeo quo modo glossam expediam nisi exstitisse vulgare vocabulum *sorbellum* sonum bumbosum signi-

ficans sumamus. Lemma contra glossae saepissime explicatum repperi, velut *bombus*: *sonus tumidus*; *bumbus*: *vox inepta*; *bombus*: *imitatio vocis*; *bombus*: *sonus ineptus*; *bumbosum*: *sonosum, furibundum*: cf. etiam cod. Ampl.[3] p. 279, 51 *bombix*: *vermis, qui a sono* (*no* ex *na*) *vocis nomen accepit.* Ceterum non probo Hildebrandi ad Apuleium I p. 90, Oehleri p. 234, aliorum apud Arevalum p. 451 a excitatorum coniecturas.

Bona caduca: quibus nemo succedat haeres
Bona caduca: res damnatorum

p. 671, 28 e cod. Leidensi 67 E f. 10^{v}b, ubi *b. caduas q. n. succedit heres* et p. 672, 11 ex cod. Leidensi 67 F^{2} f. 55^{r}c *b. c.*: *r. d.* Multae similes glossae exstant, quo ex numero unam affero cod. Amploniani[2] ined. p. 286, 40/41 *caduca folia*: *bona, quae non habent dominum et cadere possunt*[1]).

Boteonem: iuvenem

Buteonem: *iuvenem* Placidi glossa est, quae quonam rivulo ad Scaligerum perducta sit me latet: cf. Plac. III p. 436; cod. Bern. 16 f. 60^{r}b; cod. Sangerm. (*bosteonem*); gloss. Salom. (item); cod. Voss. Oct. 24 (*bosteonem* et *buseonem*); Vincent. (*bostro alias butro uel bepho iuvenis*). *Buteonem* avis nomen fuisse notum est; cf. glossas *buteo*: *avis auricaria* (cod. Ampl.[2] p. 278, 79) et *buto*: *genus animalis* (Mai VII p. 553 b).

Botriones: latices

p. 670, 42: *botryones*: *latices*[2]) apud Hild. p. 35, 56 (*botriones* L); in cod. Vossiano Fol. 24 (*botriones*); ap. Mai. VI p. 511 b.

---

[1]) Permirus est huius glossae lemmatis cum 'Quintiliani' declamationis XIII loco consensus: *non flosculos perdidi nec caduca folia proximo lapsura vento,* atque eo magis quidem mirus, quod in eodem codicis Amploniani altero glossario ined. p. 333, 64/65 etiam haec glossa exstat *flosculos*: *flores diminutiuae.*

[2]) Coniecerit fortasse quispiam non integram esse glossam neque quidquam servatum praeter lemma in hunc modum: *botryonis latices.*

Brantia vel Branzia: tenuis auri lamina

p. 672, 13 ex cod. Leidensi 67F[2] f. 55^{r}c, ubi *branzia*: *t. a. lumina.* Scribendum est *bractea*, quod codices Vossianus Oct. 24 et Leidensis 67E f. 11^{r}c servarunt. Aliae glossae *bractea* sive *brattea* interpretantur *aurea lamina* (cod. Ampl.[2] p. 278, 64) et *tabula ductilis* (cod. Ampl.[3] p. 279, 52).

Brasbrat: lucubro

p. 671, 30: glossa satis ridicula, ex cod. Leidensi 67E f. 11^{r}a *Bras brat lucubro* hausta. Verum indagasse mihi certe (sane non Oehlero p. 236) videntur G. I. Vossius de vitiis sermon. II, 22 et Semlerus, natum esse hoc monstrum glossae rati ex *lucubro .bras .brat*, quo indicare voluerit quispiam primae coniugationis verbum esse. Nondum autem explicata est eiusdem codicis f. 11^{r}a glossa: *Brideteres reris*, quam Scaliger p. 671, 29 talem excerpsit:

Bri ..... de tesseris

Nihili enim coniectura Oehleri p. 235 sq.: *bria*: *etiam de tesseris*. Alios autem ad emendandum aggressos esse non video, neque ego quidquam enucleavi, ut sagacioribus relinquam hanc glossam emendandam, eo difficiliorem expeditu quod multa illius glossarii glossemata hac una nituntur memoria.

Britanniaca: flos qui in sinua nascitur

p. 670, 44. Nugantur Barthius Adv. XIV, 8 *f. q. in insula* (*Britannica* nimirum) *n.*; Excerpta Pithoeana p. 53[1]) '*britannaca*: *flos qui in Sinnia nascitur silva.* forte *Hercynia*'; Isaacus Pontanus, qui in Glossario prisco Gallico Plinio duce proponit: *b. f. qui in Frisia nascitur.* Quod verum est *in silua* dudum emendaverat Scaliger idemque fontes nostri exhibent omnes, velut cod. Voss. Fol. 24; gloss. Salomonis tribus locis; gloss. Ampl.[2] inedit.; cod. Leid. 67F f. 11^{v}a; alii. De herba Bri-

[1]) Ibi vides Scaligeri pro *sinua* emendationem quae est *silua* adscriptam novam coniecturam procreasse perversissimam.

tannica vide quae protulerunt I. Lipsius ad Taciti Annal. I, 63; Abrahamus 'de vera antiquorum herba Britannica'; Henr. Cannegieterus post dissertationem 'de Brittenburgo' scriptam.

Broia: ubra marina

p. 670, 43. Non male excogitatae coniecturae Vulcanii p. 93, 30 et Ianssonii ab Almeloveen p. 5a, *bryon* sive *brya* latere suspicantium (cf. glossas codicis Voss. Fol. 24 *broia*: *alga* atque Hesychii βρύα ἃ γίγνεται ἐπὶ πετρῶν· λέγεται δὲ καὶ φύκος καὶ φύκιον et φύκια θαλάτα βρύα): neque tamen verum viderunt. Desumpsit Scaliger glossam e cod. Vossiano Fol. 82, ubi *broca*: *belua marina* habes. Ad eandem vocem pertinent hae: *broca*: *labrosa*; *broca*: *quae dentem labro propellit*; *broccus*: *qui labrum superius tumidum habet.*

Bromosa: immunda

p. 671, 44 ex *affatim* glossis (Leid. 67F f. 11^{v}b; Bern. 224); *brumosa* alii τόποι, ut Mai VI p. 512 et Leid. 67E f. 11^{r}a. *Bromosus* vocabulum apud posterioris et infimae aetatis scriptores[1]) frequentatur; eodem pertinet glossa inedita cod. Ampl.[2] p. 278, 64/65 *bromum*: *sordum maris* (scr. *sordem*). Ceterum *sordem maris* si glossis fidem habemus etiam *norga* significabat (*norga*: *sordes maris* gloss. Sal. f. 141^{r}b; Papias; Vincentius).

Brumalia: resinosa pluvia

p. 671, 48: nugae sunt Du Cangii, qui inductus Vulcanii scriptura *resinosa* hoc ad *aquas resides* spectare putat, vel ab Oehlero p. 236 improbatus. Hausta est ex *affatim* glossis (cf. cod. Leid. 67F f. 12^{r}a et Bern. 224 f. 204^{v}b). Glossae fontes nostri *brumalia* et *pluvia* exhibent omnes, itemque *rosinalia*: *rosinosa* nullus. Cf. Voss. Fol. 24; Leid. 67F; Bern. 224 (*resinalia*); gl. Salom. (*ros in alia*). Adiungenda est statim glossa:

Brumosus: annosus, resinosus

p. 671, 47: *rosinosus* Scaliger. Haec glossa item ex *affatim* glossario hausta sic scribenda est:

---

[1]) Consule Du Cangium.

brumosus annus: rosinosus annus

cod. Leid. 67 F f. 12^{r}a (*rosi nocis annis*); Bern. 224 f. 204^{v}b (*resinosus*); gloss. Salomonis (*rumosus*); Voss. Fol. 24 (*ruinosus*); cod. Ampl.[2] p. 278, 55 (altero *annus* omisso).

Non pauca ex his glossis percipi possunt. A *bruma* nempe, notae significationis vocabulo, *brumalis* et *brumosus*[1]) adiectiva formata sunt eiusdem atque *pluviosus*, *pluvius*, *umidus* notionis. Deinde in lingua vulgari censendum est exstitisse **rosina* vocabulum (a *ros*, **ros-is* ut videtur derivatum) *umorem* fere significans, ad quod redeunt adiectiva *rosin-alis* (*brumalia*: *rosinalia*, *pluvia*) et *rosin-osus* (*rosinosus annus*[2]), atque — si fides habenda est codicis Bern. 178 f. 20^{v}a glossae *brumosus*: *rossinus* (cf. Ampl.[2] p. 278, 55 *brumaria*: *rosina*, *pluvia*) —, etiam *rosin-us*.

Brunda: solida

p. 670, 45 ex cod. Voss. Fol. 82: eadem in cod. Amplon.[2] p. 278, 65; cod. Voss. Fol. 24; gloss. Salom. Nugantur qui Germanorum vel Brundusinorum vocem latere putant. Feliciter Rutgersius Var. lect. p. 424 *bruda*: *stolida* scribendum coniecit, quae coniectura glossis Mai VI p. 512 a et Sangallensis 912 p. 39 comprobatur, ubi habes *bruda*: *solida*. Mira constantia libri *solida* illud tenent, neque deest quo defendi possit vel explicari. Ut enim vulgaris forma exstitisse videtur *t* littera extrusa *sultus* pro *stultus* (cf. Truculenti IV, 2, 17 *sultus* B; IV, 2, 33 *s^{t}ultus* Ba; V, 30 *sultus* C; V, 58 *sultus* B, et Schuchardtum 'Vokalismus' t. II p. 498 et III p. 307), sic non inepte etiam *solidus* quispiam explicaverit.

Brustum: materiae genus

p. 672, 6 ex Voss. Fol. 82, ubi eadem glossa, sicut etiam in gl. Sal.; cod. Voss. Fol. 24; cod. Ampl.[2] p. 278, 58 (*matyriae*). Scribendum esse nemo non videt *bruscum*: *m. g.*, quod vocabulum glossa *bruscum*: *arboris genus* (Mai VII p. 553 b; Bern. 16 f. 56^{v}b; gl. Salom.: *brucus*) servatur et apud Plinium inter aceris genera recensetur.

---

[1]) Vide etiam Osbernum p. 81 b *brumosus*: *frigidus*, *algidus*, *gelidus*.

[2]) Adde *rosinosus*: *de rore* cod. Leidensis 67 E f. 52^{r}b (*prore*).

Brutus: gurdus

p. 672, 12 ex cod. Leid. 67F² f. 55ʳc, ubi *butrus*: *gudus*. Quae quidem scriptura ad vulgarem aliquam μετάθεϲιν rediens litterarum ordine non defenditur.

Bubis: barba

p. 671, 33 ex codice Leidensi 67E f. 11ʳb. Glossa ex *b* littera ut videtur eicienda, cum satis probabiliter Arevalus *pubis*: *barba* scribendum censeat.

Bucco: garrulus, quod caeteros oris loquacitate, non sensu superet, rusticus, stultus

p. 670, 46 (*exuperat* Scal.). Glossa ex parte vere Isidoriana: cf. Orig. X, 30 t. III p. 462 ed. Arev.: *bucco*: *garrulus, quod ceteros oris loquacitate non sensu exsuperet.* Altera autem interpretamenti pars ad Plautinam illam glossam *buccones*: *rustici, stulti* referenda est, de qua infra plura.

Bucinaria: voces

p. 670, 50 ex cod. Vossiano Fol. 82 (*buccinaria*). Neque aliter Mai VI p. 512a; cod. Voss. Oct. 24 (*bucinariae*); gloss. Sal.; Hildebr. p. 36, 63 (*bucenaria* L). Glossa truncata esse videtur.

Buceta: pascua. Bucula: pascua

p. 671, 49 ex 'affatim' glossis, velut Leid. 67F f. 12ʳa; p. 670, 49 (ubi Scaligeri epitome *bucida*[1]) ex Vossiano Fol. 82. Eiusdem glossae saepissime traditae testimonia non addo; addam potius novam glossam:

buceta: loca boum

cod. Vossianus Oct. 24; cod. Bernensis 16 f. 57ʳa (*bobum*); gloss. Salomonis (*bucceta pascua vel loca boum*).

Buda: historia

Bis exhibent Scaligeri glossae: p. 670, 51 et p. 671, 32/33, quarum haec (a Vulcanio omissa) e cod. Leid. 67E f. 11ʳb

[1]) *bucita* non rarum est in glossis. Cum epitomae Scaligeranae scriptura cf. Mai VI p. 512a *buceda*: *pascua*.

hausta est. Pridem emendarunt *buda*: *storea* Le Moine ad Barnabae epistolam p. 735 et Reinesius Var. lect. I, 8, quorum emendatio comprobatur Mai VI p. 512a (*storia*); cod. Sangallensis 912 p. 38; Papiae memoria. 'Buda' vocabuli testimoniis in lexicis prolatis adde Rosweydi apud Cerdam p. 337, 481 codicis Camberonensis glossam: *buda*: *stramentum licti de biblo, id est papyro.*

Buda: ornamenta regalia vel camelorum
Bullae: stramenta regalium camelorum

p. 670, 52, ubi Scaliger *bullae*: cf. cod. Ampl.[1] p. 276, 60 *bullae*: *ornamenta regalium camellorum*; altera glossa hausta est e cod. Leid. 67 F[2] f. 55[r]c, ubi *bullae*: *ornamenta s̃ regalia camellorum.* Unam glossam esse, non duas statim apparet. Cf. etiam cod. Bern. 178 f. 20[v]b: *bulla*: *ornamenta camelorum.* Non camelorum tantum, verum etiam asinorum dicebantur bullae (v. quae Apuleius scripsit: 'asinus ... bullis ornatus'), et aliorum quos enumerat codicis Bern. 16 f. 59[v]b glossa: *bulle*: *ornamenta regalium puerorum vel equorum vel camelorum.*

Bullum: baculum pastoris

p. 670, 58 ex 'abavus' glossis, quae *bulum*: *bucolium pastoris* fere exhibent: cf. cod. Voss. Fol. 82; Hildebr. p. 37, 67; Voss. Fol. 24 (*bacolium*); gloss. Salomonis (*bucolicum*). Videtur 'bulum' fuisse *casa pastoris.* Glossa subobscura.

Burga: cloaca

p. 671, 1 e Vossiano Fol. 82: cf. *burca*: *clavaca* Voss. Fol. 24; *burca*: *cloaca* gloss. Salom., Mai VI p. 512b, al. Pleraque tamen fontium pars *bursa*: velut Bern. 16 f. 60[r]a; cod. Voss. Fol. 24; gloss. Salom.; Mai VI p. 512b (*bussa*); cod. Voss. Oct. 24; cod. Sangall. 912 p. 37; 'affatim' glossae velut Leid. 67 F f. 12[r]a et Bern. 224 f. 204[v]b; cod. Ampl.[2] ined. (*burra clausa*); al.

Burgos: castra

p. 670, 59: glossae frequentissime traditae duodecim fere fontes novi, quorum tamen scripturas proferre longum est.

Bustantes: sepelientes

p. 671, 2 e Vossiano Fol. 82: eadem in Bern. 178 f. 20^{v}b; Ampl.[2] p. 278, 70; Vossiano Fol. 24; gloss. Salomonis; Hildebr. p. 38, 70. Hanc glossam supra, cum de glossis persaepe gemella memoria traditis agebamus, ut novum testimonium adsciscere poteramus. Exstat enim etiam haec forma:

bustantes: funestantes

Mai VI p. 512b = cod. Vatic. 3321 f. 17^r; Mai VII p. 553b; cod. Sangerm.; Bernensis 16 f. 60^{r}b; cod. Vossianus Oct. 24.

Busticeta: sepulcra in agro

p. 671, 3 ex Vossiano Fol. 82, ubi *sepultura,* quod etiam cod. Sangall. 912 p. 39 et Voss. Fol. 24 exhibent: neque tamen dubium quin *sepulcra* scribendum sit ducibus Mai VI p. 512b; Bernensis 178 f. 20^{v}b; Amplon.[1] p. 276, 37; Osberni p. 81b scripturis. Eodem spectant glossae cod. Bernensis 16 f. 60^{r}b *busticeta: sepulcra antiqua, ubi antiqui mortuos incendebant*; Leidensis 67E f. 11^{r}b *busticeta: locus ubi conburuntur corpora* (*bustecita* cod.); Leidensis B. P. 191[3] *busticeta sunt busta maiorum* (*busticerea* cod.).

Bustuarius: qui corpora comburit humana

p. 671, 34 e cod. Leidensi 67E f. 11^{r}b, ubi *conburit.* Codd. Bern. 16 f. 60^{r}b et Vossianus Oct. 24 verba sic translocant: *b. qui humana corpora conburit.* Ad eandem vocem hae glossae spectant: *bustuarii: qui corpora humana cremant* (codd. Leid. B. P. 191[3] et Sangallensis 912 p. 39); *bustuarius: mortuorum incensor* (cod. Amplon.[3] p. 279, 65); *bustuarius: cremator corporum humanorum* (huius glossae τόπον nunc penes me non habeo).

Butis stella Cometes, quae quasi comas habet

p. 671, 5: cf. Voss. Fol. 24 *butis stella comis qui quasi comas habet*; *affatim* glossae: *betes: stella comites quae quasi comam habet*; idem, nisi quod *bothes* exhibet, cod. Leid. 67E f. 10^{v}b. Permira glossa explicatur eis quae in glossis Salo-

monis servata sunt: *boetes*: *septemtrio*, *sidus celeste*, *cometa circa septentrionem*, *quasi caudam habens.* Videtur sane *bootes* sidus ob collocationem stellarum cum *cometa* comparata esse.

Butum: imbutum, imbuendum

p. 671, 4. Permirum est illud *imbuendum*, quod tamen statim emendatur fonte glossae indagato. In *abavus* enim glossario (velut Voss. Fol. 82; gloss. Salomonis; gl. Hildebrandi p. 38, 73; Voss. Fol. 24) habes: *butum*: *inbutum; ab inbuendo.*

Perlustravimus iam Scaligeri *b* litterae glossas omnes: non facile ut vides negotium. Non neglegendum est tamen, quod Scaliger haud dubie glossas maxime singulares reliquis praeferendas duxit, unde factum est ut corruptissimas obscurissimasque reciperet. Quodsi non omnia enucleavimus, qui rem novit non mirabitur: speramus fore ut ex novis codicibus nova effulgeat lux. Restat ut integra illa materia pro viribus nostris emendata et in unum collecta proponatur. Qua in re corruptis obscurisve glossis stellulam, suspectis (Osbernianis) vel e *b* littera eiciendis cancellos addemus.

Babiger: stultus
Babigera: stulta
Baburrus: stultus, ineptus
Bacapulus: in quo mortui efferuntur
5 Bacario: urceoli genus
Bacarium: vas aquarium
Bacatum: margaritatum
Bacchanal: sacrarium, quod Liberi patris pagani dicebant
*Bacerus: baro factus .
10 Bahen: est lamina auri ab aure ad aurem, qua familiares regum utebantur: ornamentum colli ex auro et gemmis, quod alio nomine torques potest dici
Baionula: lectus, qui in itinere fertur
*Balastrum: balneum
Balteat: cingit
Bambis: aranea
15 Baratrum: terrae hiatus
Barbarica: opera de auro
Barbarica: opera subtiliter ornata
Barbarostomus: homo, qui barbarismis plena profert verba
Barba sterili: duribuccius
20 Barbatus: operarius, intimidus, incorruptus
Barbiton: genus organi
Barbo: barunculus

Barcaei: barbari
Barginae: peregrinae
25 Baria: regula, norma, rubrica
Barones: fortes in bello
Bascaudas: concas aereas
Basilicos: palatinus homo, ἀνὴρ τῆc βαcιλίδοc ·i· de aula regia
Bassus: crassus
30 Bassus: pinguis, obesus
Basterna: tecta manualis
[Batinius: rusticus, agricolanus]
Batioca: patera
Batis: genus holeris
35 Batis: nomen serpentis
Baucalem: gellonem, ubi infusa sit
Bellicrepa: quoddam genus ludorum cum armatis hominibus factum
Bellua: iumentum marinum
Belluus: moribus bestiarum
40 [Belues: egestas, quae solet contingere per vastationem beluae]
Bene linguatus: eloquens
Bestiarius: venator bestiarum
Bibitor: potator
Bibliothecarius: qui codices servat
45 Bidens: anchora
Bifax: duos habens obtutus
Bifidum: biforme
Bimaritus: iterum maritus
Biplex: duplex
50 Biplicitas: duplicitas, alterplicitas
Birrus: rufus
Bistones: Thraces
Bistoniae: Thraciae
Bivira: secundo coniunx
55 Blandiosus: affabilis
*Blasto: cubicularius, hospitalarius
Blenni: putidi, tetri
Blitea: stulta
Bobinatores: inconstantes
60 [Bola: palma, manus]
Bolonae: ipsi sunt cetarii, qui diversa genera piscium vendunt
Bombicinare: purpuram facere
Bombicinatores: purpuram facientes
Bombum: sorbellum
65 Bona caduca: quibus nemo succedat heres
Bona caduca: res damnatorum
Bootes: stella cometes, quae quasi comas habet
*Bootes: verum, veranum
Bostar: locus, ubi stant boves
70 Boteonem: iuvenem
Botryones: latices
Bractea: tenuis auri lamina
[Bras, brat, lucubro]
Brevigerulus: qui breve gerit
75 *Bri de tesseris
Britannica: flos, qui in silva nascitur
Broca: belua marina
Bromosa: inmunda
Brumalia: rosinalia, pluvia
80 Brumosus annus: rosinosus annus

Bruscum: materiae genus
Bruta: stolida
Brutus: gurdus
Bubinare: sanguine inquinare mulieris menstruatae
85 [Bubis: barba]
Bucco: garrulus, quod ceteros oris loquacitate, non sensu exsuperet
Buccones: rustici, stulti
Buceta: pascua
Bucinaria: voces
90 [Bucita: pascua, ubi cientur boves]
Buda: storea
Bullae: ornamenta regalium camelorum
*Bulum: bucolium pastoris
Burgos: castra
95 Bursa: cloaca
Bustantes: sepelientes
Busticeta: sepulcra in agro
Bustuarius: qui corpora comburit humana
Butum: inbutum; ab inbuendo

§ 3.

De 'abavus' glossariis.

'Abavus' glossarum[1]) duae exstant memoriae: plenior altera, altera brevior. Illa longe praestat hac. Breviorem — non dico breviatam — utpote iam dudum editam priore loco describemus.

G. F. Hildebrandus Gottingae a. 1854 'Glossarium latinum bibliothecae Parisinae antiquissimum saec. IX' edidit, cuius libri specimen programmate a. 1848 Tremonensi iam antea evulgaverat. Edidisse autem se hoc glossarium praef. p. X narrat eo consilio, ut monstraret 'qua ratione latina glossaria colligenda, redigenda, emendanda, edenda ipse censeret.' Qua in re rectam eum viam iniisse negabit[2])

[1]) Non sum nescius huius modi nomina a prima *A* litterae glossa repetita habere cur non mediocriter displiceant. Quod cum ita sit, duorum tantum glossariorum talia nomina finxi, quae quoniam cum frequentissime tradita sunt tum persaepe commemorabuntur, nominibus non insignita summas praeberent molestias. Meliorem autem appellandi rationem alii spero fore ut proponant.

[2]) Discrepat a nostra H. Schuchardti sententia 'Der Vocalismus des Vulgärlateins' t. I p. 4: 'Die Benutzung der alten Glossarien . . . ist äusserst erschwert, indem mittelalterliche und neue Konjecturenschmiede die Dunkelheit alterthümlicher, gemeiner und barbarischer

qui adnotationum plerumque inutilium et coniecturarum minime probabilium molem paullo diligentius perlustraverit. Quid? quod multo graviora etiam restant, unde quam male edendi munere functus sit facile appareat. Etenim quod in praef. p. IX sq. dicit e codice Parisino 7651 s. IX f. 1—105 se edere editionemque codicis apographon esse, haec plane abhorrent a veritate. Nam neque e Parisino 7651 edidit: cum in hoc 'Philoxeni' glossae latinograecae insint, neque apographon codicis protulit: cum *A*—*C* litteras excerpserit tantum, reliquas neglegenter ediderit. Hildebrandi fons potius cod. Parisinus 7690 saec. X scriptus fuit. Quod autem ad *A*—*C* litteras attinet, verum me dixisse hae rationes tibi persuadebunt:

1) vel per se parum probabile est librarios principio glossarium breviasse, integra autem descripsisse postea. Describendi enim studium languescere solet in extremis glossariorum partibus. Re autem vera Hildebrandi *A*—*C* litteras breviatas esse nemo non videt: velut ab *a* incipientes glossas habes 172, cum vel *o* littera (a qua multo minorem vocabulorum numerum incipere constat) 177 exhibeat;

2) glossarii Hildebrandiani exemplum nactus sum, quod in codice Leidensi 67F saec. VIII/IX tertio loco inde a f. 62[r]d usque ad f. 104[v]a exstat. Quae quidem memoria *D*—*Z* litteras exhibet sicut ab Hildebrando editae sunt: at *A* littera praeter Hildebrandi glossas 499 novas, *B* littera 45, denique *C* littera 119 exhibent;

3) Hildebrandum Parisinum suum non edidisse, sed excerpsisse auctor est Rudorffius in commentatione de Philoxeno et Cyrillo scripta, idemque mihi narravit Fridericus Aug. Eckstein;

4) glossas illas 663, quae novae accedunt e Leidensi, ex Hildebrandi Parisino 7690 descriptas Du Rieuus mihi transmisit.

Sed reliquas quoque glossarii partes Hildebrandus male edidit. Namque omisit quasdam glossulas (velut p. 83, 479/80

Wörter, welche die alten Glossatoren zu lichten suchten, oft bis zur Undurchdringlichkeit verdichtet haben. Doch ist auf diesem Gebiete neuerdings von Hildebrand . . . . etwas aufgeräumt worden.'

cremat: *exurit*; p. 185, 429/30 *iocundus*: *laetus, gaudens*; p. 231, 21/22 *pan*: *cibus*; p. 233, 64/65 *passus*: *perpessus*; p. 259, 74/75 *regessit*: *euomuit*; p. 261, 135/36 *resurgere*: *restaurare, parare*) et codicis scripturas immutavit. Sic p. 287, 151 edidit *turbines*: *turbines commouentes*: in Parisino[1]) contra habes *turbines*: *uentorum commotiones*; p. 271, 157 Hildebrandus *servilis*: *districtus*, Parisinus *severus*: *districotuis*; p. 221, 141 ille *nunquis*: *pridie uel ante tempus*, hic *nunquis*: *numquid aliquis*; *nuper*: *pridie uel ante tempus*.

Praeter Parisinum 7690 Hildebrandi hi codices adhuc mihi innotuerunt:

1) Codex Leidensis 67F membr. saec. VIII/IX (accuratius infra descriptus) tertio loco 'abavus' glossarium exhibet, inde a f. 62^{r}d 'ABABV: pater ꝓabi idẽ abus abi abactus: ab acto remotus ab alto deiecit: praecipitat' usque ad f. 104^{v}a 'zefyrus: uentus flaboninius zoelum: emulatio inuidia liuor zona: cingulũ ualteum EXPŁ aBaBU'. Integro glossario cum Hildebrandi editione accurate collato multas Parisini corruptelas facile emendare possum. Velut Parisinus exhibet p. 166 ed. Hild.:

Impie loquitur: impetrat, consequitur, accipit, infamat
Impetus: impetigo summotus acto citatus
Impotens: depotago
Impostura: impotentia elatus
Imus: fraus,

quarum turbarum particeps non est Leidensis:

Impetrat: consequitur, accipit
Impie loquitur: infamat
Impetus: summo facto citatos
Impetigo: depetigo
Impotens: in potentiam elatus
Impios: inreligiosus
Impostura: fraus
Imus: altus, profundus.

Larga autem copia corruptelarum utrique codici communium ad eum qui collegit redit.

---

[1]) Neque aliter in Leidensi scriptum exstat.

2) Codex Bernensis 258 saec. IX f. 83r—115r idem glossarium exhibet. Codicis indicem infra quaere. Qualis haec 'abavus' glossarum memoria sit nescio.

3) Easdem glossas etiam ad colligendas 'Isidori' glossas adhibitas esse supra vidimus p. 47.

4) 'Abavus' glossarium in 'librum glossarum' fluxisse infra demonstrabitur.

'Abavus' glossarium brevius (de ampliore memoria eiusque codicibus postea videbimus) circiter 5630 glossas complectitur. Eius indoles haec est.

I. Ad severum litterarum ordinem redactas esse has glossas primo statim obtutu apparet. Velut cf. lemmata apud Hildebrandum p. 99 sq. a *des* incipientia: Descat — Desciscat — Desciscit — Descit — Desecto — Desertum — Desevit — Deses — Desideratus —. Desidescere — Desidia — Desidiosus — Desiduus — Designat — Desiluit — Desipit — Desistere: discedere, recedere Desistere: pati non posse, cessare Desitiscere — Despondere — Destinata — Destitudo — Destitutus — Destringit — Desuetus — Desuper — Desurgit —. Non autem mirum quod saepius huic normae obstat qualis apud Hildebrandum est litterarum ordo: dici enim nequit quantopere hac in re grassata sit librariorum neglegentia. Namque has turbas non ab illo qui glossas collegit profectas esse collata codicis Leidensis memoria cognoscimus, qui paene ubique integrum ordinem servavit. Velut cf.:

Parisinus p. 92b Hild.:	Leidensis:
Decollat: decapitat	Declivis: inclinatus locus
Decor: decentia	Decollat: decapitat
Declivis: inclinatus locus	Decor: decentia

Codex Parisinus p. 236, 119 *pedetemtim* glossam inter *pen-* exhibet: Leidensis contra p. 235 inter 103 et 104 eam inserendam docet; p. 246 Hildebrandus Parisinum secutus inter *preseptum* et *presertim* edidit *presultatur*: *praemetiva* glossam, quam paulo infra (p. 247a Hild.) inter *presul* et *praetereuntibus* ex Leidensi enotavi talem: *praesulator*: *praemetiva*. Rarius codicis Leidensis ordo turbatus est, integer Parisini, ut p. 93b:

Parisinus:	Leidensis:
Dedicatum: devotatum, sacrosanctum	Dedicatum: devocatum, sacrosanctum
Dedicationes: incaenia	Dedita opera: valde data
Dedita opera:	Dedicationes: incaenia

Nihil mirum quod saepius neuter verum servavit, velut p. 179, 285; 183, 383; 190, 45. Alibi denique alteruter partem veri ut ita dicam exhibet, unde redintegrari potest pristinus ordo, ut p. 252a Hild.:

Parisinus:	Leidensis:
Publicatus: detectus, infamatus	Publicani: qui publicam rem faciunt non a peccando
Publicanus: qui publica vectiquegalia exigit	Publicatus: detectus, infamat
Publicani: qui publicam rem faciunt, non a peccando	Publicanus: qui publico vestigalia exigit

Hic Leidensis recte *publicani* ante *publicatus* et *publicanus* ponit, in eo tamen cum Parisino errans quod *publicanus* post *publicatus* inserit. Non sine ratione autem hoc paullo diligentius comprobavimus; nam

1) litterarum ordo aperte docet glossarium illud sicut ab Hildebrando editum habes, interpolatum esse. Etenim glossae: *Agga*: *festivitas* p. 6, 67 *Caedar*: *taenebrae* p. 41, 13 *Dabar*: *verbum* p. 90, 7 *Deber*: *mortem*, *pestilentiam* p. 93, 36 *Dimon*: *silentium* p. 103, 203 *Dibon*: *duens* p. 104, 214 *Gebim*: *colles* p. 154, 42 *Semaim*: *caelum* p. 270, 131 *Seir*: *ispidus vel pilosus* p. 272, 161 *Sigim*: *scorium vel rubigo* p. 272, 190, quas ut emendaret Hildebrandus frustra sudavit, cum ad unam omnes litterarum ordinem violent, aliunde invectae sunt. Easdem non difficile est comprobatu eiusdem omnes originis esse: e testamento nimirum hebraico haustas. Egregie hoc comprobatur codice Leidensi, a quo omnes illae quas supra exscripsimus glossae absunt;

2) litterarum ordine severe observato duce 'abavus' glossarium omnium maxime refertum esse formis e vulgari sermone petitis docemur. Scatent sane alia quoque glossaria innumerabilibus paene talibus formis; sed huic glossario

proprium illud est, quod iam eum qui congessit glossulas has formas recepisse apparet, neque natas eas esse librariorum demum socordia. Longe enim aliter aliae velut 'affatim' glossae se habent, ubi observata ordinis ratione vulgares formae aboleri solent. Sic, ut paullo diligentius hoc demonstremus, sescentis locis *b* pro *v* posita est, consentiente litterarum ordine (Abitus: locus quem avus possedit Abulsa: erecta[1]) Abus: pater patris Acerbat: congregat Adiubat: succurrit; p. 197 post *litigat* [151] et *livegat* [152] glossas novem secuntur per *lib-*, quo ex numero trium initia *liu-* servavit Leidensis, reliquarum *lib-* subiecerunt librarii: saepissime enim id quod posuerat glossarum redactor recta forma restaurata abolitum est); *h* littera falso demitur et apponitur (Abenus: retenacula iumentorum Actenus: huc usque uel intotum Abhominat: negat suum quemque Abhominatus: execratus, detestatus); *u r g* supprimuntur (Adsefacit: adsueuit Copulentus: pinguis Percrebescit: publicatur, diffamatur Precrebuit: publicavit Conationes: familias, tribus[2]); fluctuatur inter *ae* et *e* (Aeminens: conspicuus, altus Aepulis: dapibus, escis Adsiduae[3]): plerumque, frequenter), *ĕ* et *i* (Accĕpit: sumit Anemositas: audacia, spiritus vel temeritas Cometia: dicuntur tempora honorum [bonorum LP] Obsedit: tenit Monit: corrigit, increpat), *o* et *u* (Abstrosum: absconditum Absordum: turpem, indignum, incongruum[4]); p. 64, 207 sqq.: comulat — comulatum — comulatus — comulus; p. 60, 167 colus: color: *colos* PL, sed post *colum*; censures: iudices). Permultas habes tales formas quales sunt *inquaesitio* et *inquaesitor* (p. 180, 302 et 303); *essitat* pro *haesitat* (p. 129, 172); *disfutat* (p. 110, 295); *descat* et *descit* (= *dehis-*, p. 99, 138 et 141); *amnuit* (= *abnuit* p. 9, 94); *escudit* (= *excudit* p. 129, 169); *erōgat* (= *erugat*

---

1) Multas ex his glossis Hildebrandus non edidit. V. supra p. 88.

2) Sic cod. Parisinus p. 64, 211 Hild. Leidensis contra *cognationes*, laeso litterarum ordine, cum praecedat *comulus*, sequatur *conatur*.

3) De adverbiis vulgariter in *-ae* exeuntibus cf. Schuchardtum I p. 254 sqq.

4) 'Abs*u*rdum' Leidensis, sed inter 'abs*o*lutae' et 'abs*t*erret' positum.

p. 129, 157); al. Addam exempla nonnulla $\bar{\imath}$ vocalis pro $\bar{e}$ positae:

p. 197, 140 *linitus*: *sedatus*, *placatus*.

p. 197, 152 *livegat*: *mittit*: sic *P* et *L*, h. e. *levigat*: *mitit.*[1])

p. 219, 87 *niniosus*: *garrulus*, *nugax*, *nugator*. Eandem glossam habes in gloss. Salom. f. 140^{r}b et inter 'Isidorianas' p. 687, 51. 'Niniosus' vocabulum a multis in dubium vocatum integrum est et natum e *neniosus*, quemadmodum in gloss. Sal. f. 140^{r}b habes *ninie*: *carmen*, *quod in funere cantatur.*[2])

p. 209, 130 *minificentia*: *publicum opus*, ubi *munificentia* Hildebrandi editio. Sed illam formam litterarum ordo exigit et codex Leidensis servavit. 'Minificentia' autem a 'munificentia' derivari non potest, sed ad 'moenificentia' redit. Haec forma transiit in *menificentia*, unde factum est *minificentia.*[3]) Itaque formarum stemma hoc est:

moenificentia
/ \
menificentia | monificentia
| |
minificentia | munificentia

p. 143, 134 *fidus*: *pax* [cod. *pars*] *perpetua vel amicitia.*

3) Sed non vulgares solum, verum etiam corruptas formas et voces receptas esse litterarum ordo docet. Quis enim glossae *adirectare*: *adtingere* inter *adip-* et *adis-* positae lemma ex *adtrectare* factum esse non videt? Similiter corrupta — eademque cum litterarum ordine nunquam non con-

---

[1]) De *mitire* verbo cf. K. E. Georges in Philologi t. XXXI (a. 1872) p. 543.

[2]) Nondum notum est verbum *neniari*, quod exhibet glossa:

nenior: *vana loquor*

cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Amplon.^{2} p. 355, 18; gloss. Salomonis f. 139^{v}b; Papias; Vocabular.; al.

Formatum est *nenior* a *nenia* sicut *nugor* a *nuga*. Ceterum omnium glossariorum nostrorum memoria *nenia* exhibet, ne unius quidem *naenia*.

[3]) Cf. similes glossas: *minicipatum*: *principatum* codicis Amplon.^{1} p. 349, 37 et *conminicipes*: *ciues* Palatini 1773 f. 83^{v}.

gruentia — lemmata sunt harum glossarum: *antres*: *extremi ordines vinearum* (= *antes*); *clammum*: *clarissimum* (= *clarimum*); *extuat*: *fluctuat* (= *aestuat*); *epotebus*: *puer inbarbis* (= *ephebus*); *satax*: *sapiens, inuestigator* (= *sagax*); *Promius*: *Liber* (= *Bromius*); *sciere*: *consuere, id est cusire* (= *suere*); aliarum sescentarum. Hinc apparet admodum stupidum urbanique sermonis latini paene ignarum fuisse glossarii scriptorem. Sed eiusdem ingenii mediocritas aliunde quoque cognoscitur.

II. Prorsus enim singulare illud est, quod qui glossas collegit, ut augeret opusculi ambitum, saepiuscule numerum glossarum ita duplicavit, ut praeposito lemmati interpretamento novam glossam quasi cuderet. Quae quidem ratio quam sit perversa non est quod exponam. Iam compares velim quas ex diversis glossarii locis congessi glossas:

p. 128, 125	enucleavit: exposuit	p. 135, 307	exposuit: enucleavit
p. 59, 163	colomes: salvos	p. 266, 25	salvos: colomes
p. 125, 84	eluciens [1]): producens	p. 249, 424	producens: eluciens
p. 237, 152	perduelles: hostes	p. 229, 174	ostes: perduelles
p. 227, 101	olli: illi	p. 165, 43	illi: olli
p. 27, 10	bambis [2]): aranea	p. 15, 122	aranea: bambis

Ubi duabus vocibus lemma explicatum erat, prior novae glossae lemma praebebat:

p. 248, 404	proci: petitores uxorum	p. 248, 404	petitores uxorum: proci
p. 293, 172	visaccia [3]): sarcina, mandica	p. 266, 35	sarcina: visaccia, mantica [4])
p. 242, 239	pirata: latro marinus	p. 192, 71	latro marinus: pirata

[1]) 'el*u*ciens' forma medium inter 'el*a*ciens' (cf. *lacit* et *lactare*) et 'el*i*ciens' locum tenet. Similem cod. Leidensis p. 223, 25 servavit 'oblutuit: latuit', ubi Parisinus *oblituit* exhibet, litterarum autem ordo rem in suspenso relinquit, cum praecedat *oblitteratus*, sequatur *obmutescit*.

[2]) Sic Leidensis; Parisinus *bambus*.

[3]) Cf. Petronium 31 p. 33, 13 B.: 'ceterum inter promulsidaria asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras.' Eadem glossa apud Maium VI, p. 511 b *bisaccia*: *mantica*; in Vossiano Fol. 82 *bisacia*: *sarcina*, *mandica*; in gloss. Salomonis f. 23^{v}b *bisatia*: *sarcina, mandica*.

[4]) Parisinus *vis accia mantica,* Leidensis *vissacciam antica*.

Quid? quod ex talibus glossis ternas adeo glossator confecit, curans ille ambitum potius quam bonitatem glossarii. Cf. haec exempla:

p. 264, 207	ruscidum: ubidum, humidum	}
p. 289, 53	ubidum: humidum, ruscidum	
p. 163, 104	humidum: ruscidum[1], ubidum	
p. 266, 34	sapa: passum, defretum	}
p. 233, 54	passum: sapa, defretum	
p. 94, 61	defretum: sapa, passum	
p. 76, 381	contentio: altercatio, disceptatio[2])	}
[om. Hildebr.]	altercatio: contentio	
p. 108, 277	disceptatio: rixa, contentio	
p. 262, 166	rixa: contentio, disceptatio[3])	

Non inutilis est haec ratio ad emendandas glossas. Velut p. 144, 141 pro *fine*: *cale* nunquam puto Hildebrandus scribendum proposuisset *fune*: *calo* (= κάλῳ), si non neglexisset glossam supra p. 42 inter 18 et 19 traditam *calcę*: *fine*. Similiter p. 39, 4 *cabillat*: *fate habet* qui emendandum sit docet p. 143, 122 *fictae habet*: *cavilla*.

Quam parum gnarus sermonis latini fuerit quicunque hoc glossarium composuit supra iam ostendimus. Vide num haec res inde possit explicari, quod

III. praeter interpretamenta latina non raro graeca quoque adiecta sunt. Cf. has glossas:

p. 106, 241	diligentius: impense, enixe, ЄKTЄNЄCTᲀTᲀ	
p. 122, 36	effertur: funus ducitur, ЄKKOMIZЄTᲀI	
p. 122, 37	efficit: sufficit, APKЄI, AΠOXPH	

[1]) Sic Leidensis.

[2]) Leidensis scriptura est.

[3]) Contaminatas esse glossas vides. Neque rara in 'abavus' glossario contaminatio. Luculenta exempla haec sunt:

p. 165, 36	ilarem: serenum, vegetum	}
p. 289, 59	vegetum: ilarem	
p. 271, 147	serenum: ilarem vel siccum	
p. 271, 168	siccum: aridum, serenum, ilarem	
p. 18, 133/134	aridum: siccum	

Cf. praeterea *crescit* p. 85, 488 et 489; 156, 62; 169, 123; 4, 42/43; *peritus* p. 238, 169; 75, 369; 116, 373 et 374; 129, 163.

p. 124, 62 elatus: ambitiosus, superbus, ΑΛΑΖΩΝ
p. 138, 37 falbus: fulbus, helbus, ‘ΟΞΑΝΘΟϹ
et p. 18, 135; 84, 485; 139, 57; 140, 91; 141, 104 (nam *pactis* nihil est nisi ΓΡΑϹΤΙϹ); 151, 301; 184, 411; 212, 204; 239, 206; 240, 218.

His 15 locis codex Parisinus graecas voces servavit, multo pauciores Leidensis, qui p. 165 inter 50 et 51: Immo: ΜЄΝΫΝ; p. 168 inter 91 et 92 Inscs: ΑΝΟϹΙΟϹ; p. 18, 135 Arillator: cocio ‘Ο ΜЄΙΠΛΒΟΛΟϹ exhibet, non consentiens hac in re cum Parisino nisi ultimo loco. Non vana puto hinc nascitur suspicio glossarium multo plura graeca olim continuisse: eaque glossarii codicis Leidensis, cum nostro proxime cognati, testimonio confirmatur. Namque Vossianus Fol. 82, quem infra accuratius describemus, quamvis non parva lacuna truncatus 50 tamen locis interpretamenta exhibet, quo e numero quinque tantum etiam in Parisino exstant. Itaque multis horum glossariorum codicibus collatis non dubium est quin plura etiam in lucem sint proditura. Iam cum constet, integrum ‘abavus’ glossarium latina vulgariter et corrupte, praeterea autem graeca exhibere, ut prorsus ad liquidum interpretatio perduceretur haud dubie addita [1]), non sine ratione coniecerit quispiam auctorem

[1]) Non integras glossarum partes haec interpretamenta esse, sed postea demum addita ut credamus reliquorum facit glossariorum consensus. Unum exemplum attulisse sufficit. Singularis quaedam vox nec nota nisi e glossis est *vagurrire* verbum [ut *lig-urire*, *scat-urire* formatum: de duplici *r* littera cf. Hildebrandi ad p. 288b adnotationem], quod duabus glossis ad eundem ut videtur nescio cuius scriptoris locum spectantibus debemus. Earum altera haec est:

vagurrit: *per otium vagatur*

gloss. ‘Isidori’ p. 698, 8 (*p. o. passim v.* cod. ille Vossianus Oehleri p. 250: quae est ni fallor coniectura cuiusdam, *per otium* vocabula non intelligentis); cod. Vossianus Fol. 26; gloss. Sal. f. 225^{r}b; cod. Leidensis 67F f. 52^{r}c (*p ociũ*); Mai VI p. 550a (*vagorrit*); cod. Amplonianus² p. 386, 3 (*p^otium*); gloss. Hild. p. 288, 17 (*pocium vagator* Leidensis); cod. Bernensis 224 f. 225^{v}b (*vacatur*); cod. Palatinus 1773 f. 334^{v} (*p ocium uacuus*); cod. Bernensis 357 f. 27^{r}b (*uagat per otium*); cod. Bernensis 224 f. 225^{v}b (*uagit*); cod. Amplonianus¹ p. 385, 100 (*perodium vagit*); gloss. Arabicae p. 710, 39 (*vagurrio per otium vaco*).

fuisse Graecum et sermonis latini non nimis gnarum, qui Prisciani fere aetate haec collegerit. Quamquam non nego hanc esse coniecturam tantum, non improbabilem tamen, ni. fallor.

IV. Eis quae supra exposuimus facile quispiam moveatur ut glossarium adeo corruptum vulgaribusque formis obrutum tot verbis indignum esse censeat. Atqui, si — ut unum exemplum promam — lemmata illa plus quam unum vocabulum exhibentia percurreris, non deesse animadvertes satis memorabilia, partim ex iudiciali sermone (cf. p. 78, 403. 404. 406; 35, 54. 55; 92, 34; 146, 199; 151, 293; 160, 37. 38) partim e vetustis ut videtur poetis petita. Cf. haec quae excerpsimus:

p. 3, 29	Acrae mentis: validae mentis
p. 45, 37/38	Capite absoluto: capitis periculo liberatus
p. 6, 70	Albas gerentes: candidam vestem amicti
p. 117, 390	Ducto auspicio: ex divina requisitione, quod potest duci vel nuntiari
p. 145, 180	Flocci pendens: parvi pendens, id est parvi aestimans
p. 79, 426	Convexo litore: rotundo
p. 270, 120	Sed ne hiscatis: ne dicatis
p. 276, 304	Stricto pugione: stricto gladio
p. 267, 51	Savia libantes: osculantes [1])

Sed pluribus demonstrare non opus est: hoc unum addo scriptorum quoque locos olim adiectos fuisse, quo ex numero unus certe casu servatus est, scriptoris verbis in novae glossae speciem conformatis, p. 256:

Tot eiusdem glossae testes habes. Iam quis tandem putaverit solum codicem Vossianum Fol. 82 pleniorem servasse memoriam hanc *vagurrit*: *per otium vagatur* PEMBETÀI, reliquos autem fontes omnes truncatos esse? Ceterum altera glossa haec est:

vagurrit: *otio deperit, vagatur*

cod. Leidensis 67E f. 57^{v}b (*vagat*); cod. Palatinus 1773 f. 334^{v} (*hactio deperit ut uagat*); gloss. Salom. f. 225^{r}b (*d. vel vagat*).

[1]) *sauioliuantes*: *obsculantes* P, *sautoliuantes*: *osculantes* L exhibent. Hildebrandi coniectura *saviantes* emendandum proponentis mihi certe displicet. 'Sauia libantes' quod scripsi, aperte poetae fragmentum est: cf. Vergilium Aeneid. I, 256 *oscula libavit natae*.

72 Quousque: quandiu vel usque quo

73 Quousque: tandem abutere catellinam (catillenam *L*) patientia nostra (patientiam nostram *P*)

Quae in unam glossam sic conglutinanda sunt:

Quousque: quandiu vel usque quo: 'Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?'

V. Multo autem luculentior glossarii indoles existit, si paullo pleniorem earundem glossarum memoriam adsciverimus, de qua nunc iam agendum.

Codex Vossianus Latin. Fol. 82 membr. post Isidori Etymologiarum libros XX 'vetustissima manu' scriptos et poetica quaedam glossarium 9500 fere glossarum continet sic inscriptum: 'Incipiunt glosae ex novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae'[1]). Inc.: 'Abauus: pater proaui, id est auus aui Abba pater: sirum nomen est', expl.: 'Zephyrus: ventus favonius Zona: cingulum, balteum Zyzania: lolium Expliciunt Glosae. Deo Gratias'. Artissimae necessitudinis vinculum hoc inter et Hildebrandi glossarium intercedere vel obiter perlustranti in oculos incurrit. Diligentius autem utriusque glossarii *N* litteris inter se collatis haec mihi apparuerunt. Omnes fere 'abavus' glossae in Vossiano quoque exstant: quamquam sane aliae conglutinatae, aliae discerptae sunt, saepissime autem ordo diversus. Qua in re frequentissime fit ut Vossiani scriptura et correctior sit et plenior. Velut p. 218, 70 et 71 sic exhibet illorum fontium consensus:

Neuter: nec (*P* ne) hoc (nec hoc nechoc *L*) nemo nostrum
Neutrum: nec hoc nec illud,

Vossianus contra:

Neuter: medius, nec iste nec ille, nemo nostrum
Neutrum: nec hoc nec illud;

p. 221, 148 *P* et *L*: Nutus: cognitus vel conatus (*nu-* litterarum ordine defenditur), Vossianus: Notus: cognitus, conatus;

[1]) P. Burmannus Secundus in apographo codicis huic titulo adscripsit: 'inepto certe titulo, cum nihil spirituale fere in hoc glossario sit; sive quod glossas in V. et N. T. conplectatur: potiusque glossas omnibus fere paginis exhibet, quae praesertim Virgilio aliisque auctoribus vetustis lucem adferre possint'.

p. 220, 116 *P* et *L*: Non secus: non dissimile, Vossianus: Non secus: non dissimile, non aliter. Ubi et *P* et *L* lacunosi sunt omisso nempe interpretamento (ut p. 230, 177 Otiosus: p. 239, 188 Peragulum: p. 226, 92 Odit:) Vossianus integram exhibet memoriam (Odit: qui odio habet Otiosus: securus Perraculum: sacculum). 50 glossis graeca adscripta habere eundem, *P* et *L* simul 17 tantum supra iam vidimus. Corruptelarum frequentia eadem; formarum vulgarium numerus paullo minor ut videtur; glossarum conduplicatio utrobique eadem. Praeterea glossas non paucas continet (ut vel ex numero glossarum utriusque collectionis apparet, 5630: 9500) quae ab 'abavus' glossario absunt. Cuius modi ex glossis a *na-* incipientibus excerpsi has: 'Nabioribus: fortioribus Nabo auxilio: forti auxilio Nablum: psalterium Nais: Nereis Duris Nam mihi: mihi enim Nando: natando Nardum pisticum: crysma sine impostura Narici: bruti Navalia: locus, in quo e mari naves subducuntur Nazareth: Nazareus: xps'. Novarum (hoc est apud Hildebrandum non exstantium) glossarum tria fere genera discerni possunt:

1) Multae glossae sacrae: atque ad has quidem tituli illa verba spectare videntur 'glosae ex novo et veteri testamento ... compositae.'

2) Glossae ex Isidori Originum libro X petitae, velut 'conciliatrix: ob societatem flagiciosae consensionis dicta eo quod intercurrat alienumque nundinet corpus: hanc etiam et lenonem vocant'. Hinc tituli pars '... seu ex ethimologiarum ... compositae'.

3) Scholia Vergiliana haud pauca, velut 'Acernis tabibus ager: est genus ligni', quam ad Aen. II, 112 refer et sic scribe: 'acernis trabibus: acer est genus ligni'.

4) Glossae perdoctae partim ex aliis quoque glossariis notae[1]), partim prorsus novae. Illius generis velut hae sunt: *adasiam*: *ovis maior natu*[2]); *aemidus*: *tumidus*, *suf-*

[1]) Similes sunt 'affatim' glossae et Leidensis 67 E Vaticanique 3321 glossaria, magis etiam (ut certe nunc statuendum videtur) Amploniani codicis secundum glossarium.

[2]) Haec eius plena memoria est:

flatus[1]); *campe*: *equi marini*[2]); *noneole*: *tubercula, quae sub nomiñ caprae sunt*[3]); sim. Insunt praeterea nova eaque vetustissimi sermonis speciem prae se ferentia, velut *duonus*: *bonus*; *endo*: *in* (nam quae exstat glossa *endo*: *in ecce do*, ea sic in duas discriminanda est: *endo*: *in*, *en do*: *ecce do*); *fuatis dicitur pro sitis*; *Melo*: *Nilus* (cf. Festum Pauli p. 124, 12 'Melo nomine alio Nilus vocatur'; p. 7, 16 '... dicebatur ab antiquis .. pro Nilo Melo; p. 18, 4 '... a veteribus Romanis .. Melo pro Nilo .. dicebatur'); *occelsit*: *occiderit* (eandem in cod. Christinae reginae 310 f. 120v habes, ubi facile quispiam coniecerit *occessit* = *occissit* = *occiderit* scribendum; at quidni *occellere* verbum olim exstitisse statuamus, idem quod *percellere* significans? unde plane et perspicue derivata sit forma *occelsit* = *occellerit*); *pleminabantur*: *replebantur*; *indupedat*: *inpedit*; permultae aliae. Quid? quod certo demonstrari potest inesse legis XII tabularum fragmenta una cum Ser. Sulpicii Rufi verbis ad ea spectantibus. Unam certe habeo

---

adasia: *ovis maior natu*

gloss. Isidori p. 669, 16; cod. Leidensis 67F f. 54rc (*audasia*, sed inter *acutus* et *adcentus*); gloss. Salomonis f. 3va (*adasiam*); Papias.

Exstat altera glossa eodem spectans:

adasia: *ovis maior, quae peperit*

cod. Vossianus Oct. 24[2]; frgm. Vindobonense (*quę*).

Quae nescio an forte coniungenda sint in hunc modum: *adasia*: *ovis maior natu, quae peperit*, Pauli Festo p. 12, 13 duce: *adasia*: *ovis vetula recentis partus.*

[1]) Memoria glossae haec est:

aemidus: *tumidus, sufflatus*

gloss. Isidori p. 669, 22 (*inflatus*); cod. Leidensis 67F f. 54va (*timidus suflatus*); gloss. Salom. f. 5ra.

Cf. Philoxenum p. 10, 16 *aemidus*: πεφυσημένος et Festum Pauli p. 24, 4 *aemidum*: *tumidum.*

[2]) Vide infra 'de glossis Lucilianis'.

[3]) Duae glossae ad vocem rarissimam spectant:

noneolae: *tubercula, quae sub mento caprae sunt*

gloss. Isidori p. 687, 52 (*nomicolae* Vulcanius, *nonneolae* Scaligeri epitome); gloss. Salomonis f. 141ra (*noneole que sub nomine capre*).

noneolae: *pubes caprarum*

cod. Leidensis 67E f. 42ra (*noneole*).

Cf. Festum Pauli: 'noneolae vocantur papillae, quae ex faucibus caprarum dependent.'

huius modi glossam, de qua non dubitabis. Etenim si Paulum p. 175, 5 'noxia apud antiquos damnum significabat', ubi Festi p. 174a 32 haec verba servata sunt: '... ut Ser. Sulpicius Ru...' et Festum p. 322b 14 'sarcito in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato' cum glossa 'noxam sarcito: damnum solvito' in codice illo Vossiano (ubi *damno*) et glossario Salomonis f. 142[r]b (*sortito dampnum*: in hoc illud receptum esse mox docebimus) tradita contuleris, planum erit quo glossam referas. Non mediocris hinc accedit toti illi glossario fides, ubi non desunt aliae glossae ad easdem leges ut videntur spectantes, velut 'calvitur: frustratur, moratur' ad legem apud Festum p. 313a 6 servatam 'si calvitur pedemve struit, manum endoiacito.'

VI. Praeter codicem Vossianum, qui gravi lacuna[1]) truncatus est, hos novi earundem glossarum libros:

1) Useneri liberalitati, quam satis laudare ego quidem nequeo, accuratissimum debeo codicis Vaticani Christinae reginae 310[2]) summarium. Qui liber variis e particulis s. IX et ineunte X scriptis compositus, fol. min., inde a f. 52—214[3]) 'abavus' glossarum pleniorem memoriam exhibet, id quod cum principium et finis glossarii, tum quae inde excerpta habeo docent. Scripta est autem haec codicis pars ineunte s. X bipertitis paginis. f. 52[r] titulus litteris uncialibus scriptus est hic: 'Incpn̄t glo^s^sę ex no|uo et ueteri testamento | seu ex ethimologiarũ spiri|tualiter. compositae.' Incipit: 'Abauu. pat̃ ꝑaui id. ẽ. auus aui. Abba pat̃ syrum nomen ẽ. Abbacuc. amplex atis Abdias. seruus dn̄i. Abacta. involuta. Abactus. ab actu remotus', explicit f. 151[v]: 'Zona. cingulum. balteum. Zizania. lolium'. Qui sequebantur tres versus litteris uncia-

---

1) Post glossam *praestigium*: *enigmata similitudo fallacia dolus insidiae* Burmannus adnotavit: 'reliqua in hoc codice desiderabantur amissis aliquot paginis, quibus cetera literae *P*, ut et *Q R* et longe maxima pars literae *S* glossarii huius deperdita erant usque ad vocem *subtrahit*.'

2) Cf. Arevali Isidoriana t. II p. 316.

3) Quaternionum notae inde a VIIII (f. 57[v]) usque ad XXVIII (f. 194[v]) pertinent.

libus scripti nunc erasi sunt. Ibi Usenero latere videbatur: 'hic finiunt glosae. | dõ gratias | amen'[1]). Quod supra conieceramus fore ut novis harum glossarum codicibus adscitis vocum graecarum numerus valde augeatur, id hoc codice comprobatur, in quo multae insint eius modi glossae, velut f. 100^r 'Infamis. sine honore. ΑΤΙΜΟϹ' et f. 141^v 'Sobolens. gens. ΓΟΝΝΕΡΙΓΟΝΝ.' Qua in re raro hunc inter et codicem Vossianum convenire videtur.

2) Eisdem glossis usus est Theodorus quidam, cuius glossulas codicis illius Christinae reginae similes esse Usenerus auctor est. Itaque apte ut videtur hoc loco collectanea illa Bruxellensia, quibus Theodoriana continentur, statim describemus. Sciendum est autem hanc quoque notitiam Usenero me debere. Codex Bruxellensis 10859 saec. IX, ut catalogi scriptori, IX/X ut Usenero videtur scriptus, in 4°, olim Lovaniensis ab 'I. B.' quodam emptus postea in Stewechii manus pervenit, unde in bibliothecam Bruxellensem transmigravit. Insunt autem, ut in catalogo scriptum est, 'Theodori parvae glosae de diversis libris'. Pars est maioris codicis, cuius exstant quaterniones XIII—[XXI] f. 3. Primo folio continentur versus inde a f. 1^r: 'miror cur minime promissum reddidit ipse | quod gratis studuit promittere quid sit' . . . usque ad f. 1^v 'hic capu indiculi sumunt sine lege peracti | artis grammatice pariter sermone polito', quos excipiunt haec:

INCIPIVNT PARVĘ GLOSAE DE DIVERSIS LIBRIS EXCERP|TE A PVSILLITATE ///////////////////

In loco eraso videtur scriptum fuisse TEODORI?, cuius vocabuli litterae prima et sexta paullo certius, tertia minus certo, reliquae omnino non iam dignosci possunt. Incipit:

Augustus· locus scs ab auiū gestu qui ab auibus significatus est.

Armillum· uas uinarium. quod armo i. e. humero deportatur.

Ador genus farris

[1]) Folii 151^v spatium vacuum supplementa saec. X sive XI ineunte scripta complent, inter quae haec habes: 'Osdrogothi sunt orientales gothi; lingua enim gothorum Osdro dicitur oriens. Vesegothi occidentales sunt gothi, quorum lingua uesos occidens dicitur'.

Explicit quat. [XXI] f. 3v:

Zozia· signa. unde zoziaticus. circulus.
Zimia fermentũ. unde azima absque fermento.
FINIVNT GLOSVLĘ ////////////////

Secuntur iterum versus ab eadem manu scripti:

Has ego pparuas studui coniungere linguas.
ipse mico /// paruus ac minimo minimus.
ipsas nā lector percurrat mentes agaci.
et reprobet proba· quae bona sunt capiet.
Almotheon tyrsis orti subcolle pelori ....

Excerpsit autem Theodorus praeter *abavus* glossas etiam Festi epitomam a Paulo confectam, id quod ex primis illis tribus glossis (cf. Paulum p. 1, 17; 2, 5; 3, 10) apparet. Qua in re quali Pauli codice usus sit nunc nescimus: videtur autem res digna esse in quam accuratius inquiratur, cum satis vetustus sit codex, vetustiora etiam Theodori collectanea et versus, utpote in Bruxellensi non mediocriter iam corrupta. Qui quidem versus ut probe intellegerentur ipse poeta curandum putavit. Inseruit enim excerptis etiam 'glosulas' ad sua ipsius carmina spectantes. Velut quam f. 3r habes *almiuolus· scām habens uoluntatē*, ea sine dubio referenda est ad versum f. 1r *iam uobis minime pater almiuole asserit ultra.*

3) Earundem glossarum codicis Monacensis lat. 14252 notitiam A. Deuerlingio debeo. Quo in libro inde a f. 7ra: 'Incipiunt glose affatae et reliquę decem nouo et ueteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter c̃positae. | Abauu: pater ꝑaui, idẽ auus aui' usque ad f. 173v: 'Zizania: lolium | expliciunt glosae | deo gratias | amen' pertinent.

4) Plenior 'abavus' glossarum memoria etiam in codice Parisino 7680 saec. X exeunte[1]) scripto 4⁰ exstat. Narrat enim Rudorffius l. s. s. hunc simillimum esse Hildebrandiano, uberiorem tamen, itemque Du Rieuus mihi scripsit 'omnes fere Hildebrandi glossas in eo inesse, sed uberiores plerumque: praeterea multas inde novas peti posse.' Consentit etiam principium glossarii: *Abauus*: *pater pro* .....

---

[1]) Rudorffio saec. IX scriptus esse videtur, Baehrensio sicut supra dedimus.

[reliqua legi non poterant, sicut paene integra prima pagina[1])].

5) Earundem glossarum codice Scaligerum usum esse in excerpendis 'Isidori' glossis supra p. 47 ostendimus.

6) Restat ut 'abavus' glossarii uberiorem memoriam in 'librum glossarum' fluxisse demonstremus. Num autem praeter hanc etiam brevior illa, de qua supra egimus, eodem seorsum recepta sit, hoc ad inquirendum difficillimum est, cum unum glossarium Salomonis, admodum breviatum et turbatum, mihi praesto sit, inquisitum vero nullius paene usus, cum integrum fere illud glossarium in hoc insit. Neque difficile est demonstratu receptum esse 'abavus' glossarium plenius. Namque — ut afferam quod statim in oculos incurrit — unum certe locum novi, ubi graecum vocabulum etiam graecis litteris perscriptum exstat. Hildebrandi enim p. 239, 206 glossa *pessimus*: *verbosus*, KAKICTOC[2]) in gloss. Salom. f. 159ᵛa comparet talis: *pessimus*: *verbosus vt* KAKICTOC. Alibi graecae litterae in latinas transierunt, ut f. 213ʳa 'taxator: estimator *Pocothccikactec*', quam glossam e duabus contractam esse Vossianus docet haec exhibens:

taxatio: designatio, nominatio, ΠOCOTHC
taxator: aestimator, EIKACTHC

Vix opus est pluribus testimoniis, quibus plenius *abavus* glossarium receptum esse demonstretur. Memineris autem velim etiam glossas supra iam commemoratas *noxam sar-*

---

[1]) f. 1ᵛ incipit: Abnegat: insidiatur, plus quam negat
Adnepos: filius nepotis .potis
Adnepos: filius pronepotis idē nepos ne-
Abnuit: negat uel consentit. senuit
Abnuit: abnegauit abominatus ē. exclusit
Abnuat: secusat nolit

f. 108ᵛ explicit: Uultus: aspectus
Uxori deditus [intercidit lemma *uxorius*]
Uulnus: d≡lus ł animi dolor [incerta octava glossae littera]
Uultuosus: tr≡stis [incerta duodecima littera]
Uultuq.: quouultu

[2]) Sicut supra scripsimus Vossianus Fol. 82 exhibet; Parisinus KACICTOC; Leidensis 67 F³ vocem graecam omittit.

cito: *damnum solvito* quae, si ulla, propria est huius glossarii, et *adasiam*: *ouis maior natu*, ubi lemmatis corruptela in Vossiano et in glossario Salomonis eadem est.[1])

VII. Difficilis iam quaestio existit, inter *affatim* et *abavus* glossaria, omnium ut videntur frequentissime tradita, intercedatne aliqua necessitudo: qua de re haec repperi.

1) Glossarum de trivio petitarum aliqua pars utrique glossario communis est.

2) Memorabilium 'affatim' glossarii quamquam perpaucae etiam in 'abavus' glossis comparent, tamen praeclara illius antiquarum et ex bono fonte haustarum glossarum copia in hoc deest, quod non caret propriis suis glossis, haud raro alterius glossarii minime postponendis. Sic *F* litterae (quae in 'affatim' glossario 302, in Hildebrandiano autem 301 fere glossas continet) quinquaginta fere utrobique exstant ita, ut quin prorsus eaedem sint dubitari nequeat. Qua de re vide sis ipse:

Leidensis 67 F:		Hildebrandi glossarium:	
f. 25ʳd:	Fatus: locutus	p. 140, 78:	Fatus: locutus (loquutus *P*)
	Fatur: loquitur	p. 140, 77:	Fatur: loquitur
f. 25ᵛa:	Fallera: ornamenta aequorum	p. 138, 39:	Fallera: ornamenta aequorum[2])
	Falentes: multitudines	p. 138, 33:	Falangas: multitudines
f. 25ᵛc:	Fanaticus: templi minister	p. 138, 52:	Fanaticus: qui in templo divinat vel templi minister
f. 26ʳa:	Fabre: docte, ingeniosae	p. 136, 8:	Fabre: docte, ingeniosae (ingeniose *P*)
f. 26ʳb:	Fallit: decoepit, circum uenit	p. 138, 45:	Fallit: decepit, circumvenit, delectat, obripit

[1]) Accurata rariorum huius memoriae glossarum cum lexico Salomonis comparatio easdem utrobique exstare docuit, id quod pluribus demonstrare longum est. Cf. velut f. 137ʳa *muscinarius*: *inutilis* cum Vossiani Fol. 82 glossa: *muscinarius*: *inutilis* ἄχρηστος, quam etiam in 'Isidori' glossis habes: *muscinarius* (r superscr.): *mutilus*, ἄχρηστος. Sic nempe Scaligeri epitome, unde patet eum *murcinarius*: *mutilus* scribendum putasse: ingeniose procul dubio, cum *murcus* diceretur 'qui se ipsum truncat evitandae militiae causa'.

[2]) *fallera*: *ornamenta equorum ū fabulas* Parisinus; *falera* (9 superscr.): *ornamenta aequorum* Leidensis.

f. 26^rd:	Flegeton: flumen apud inferus	p. 145, 176:	Flegethon: flumen apud inferos
	Ferruginae: ferri obscuritate aut ferri rasura	p. 142, 105:	Ferruginem: obscuritatem vel ferriscuria
f. 27^rc:	Functurus: fruiturus	p. 148, 250:	Fructurus: fruiturus
f. 27^va:	Fulmine ictus: percussus	p. 150, 273:	Fulmine: ictus

Saepissime quae in 'affatim' glossario seorsum tradita exstant, in 'abavus' glossis cum aliis conglutinata habes, cuius generis exempla accumulare longum est: atque duo supra iam exscripsimus (vide *fanaticus* et *fallit* glossas). Generatim autem iudicanti mihi videtur fere semper in 'affatim' glossis integra memoria exstare, secundaria, breviata, cum aliis glossis conferruminata in 'abavus' glossario (vide etiam *fulmine ictus*: glossam supra exscriptam[1]). Frustra porro apud Hildebrandum quaesiveris glossas velut: factitetur: fiat falcire: fulcire (f. 26^rc); falcitat: putat fresa: fracta non diuisa ferascit: ferum facit (sic scr. pro *ferrascit*) fellitat: sugit (*sugit* om. L: f. 26^rd); fitialis corona: sacerdotalis (*corna* L: f. 26^vd); frondatur: purgatur fundamen: fundamentum fructoria: transitoria fuma: terra (f. 27^r); atque ut ex aliis quoque litteris paucas delibemus: leptis: filius fratris (f. 33^rc); lurcones: auidi deuoratores (f. 34^va); mantugulare: fraudare, furto decepere (f. 34^vd); menda: deceptio aut fraus (f. 35^rc); musitanter: leniter (f. 36^rd); oleri: deleri (f. 38^va); plaustrit: qđ plaustro sonat (f. 40^rc); percutapsat: ualde cedit (f. 41^rb); ꝑculum: abominatio (f. 44^ra); procapis: proximus procapibus: proximꝰ (f. 44^rb); redinsertauit: dinuo inseruit (f. 45^vb); sim.

§ 4.

De 'affatim' glossario.

'Affatim' glossae, quas a primo earum lemmate sic appellare soleo, omnium videntur frequentissime descriptae et ad usum adhibitae esse. Antequam autem ad enumerandos quorum notitia penes me est codices accedam, breviter indolem

[1]) Et adde velut *stricto pugione*: *stricto gladio* (p. 276, 304 *L* et *P*), quae in cod. Leidensi 67 F^1 f. 48^va talis exstat: *stricto pugione*: *euaginato gladio*.

glossarii describam. Incipit autem: 'affatim: satim vel abundanter; aptauit: conparauit; aptare: conponere uel reparare; abacta: inclinata', explicit 'utriusque: et huius et illius; utrobique: et tibi et tibi; uuidus: udus'. Litterarum ordo non communis est. Etenim intra singularum litterarum ambitum vocalium ratio habetur, consonantium non item. Cf. haec quae e codice Leidensi $67F^1$ f. 15^rb sqq. excerpsi lemmata: 'c*i*barisus cl*i*blanari c*i*nocephalus c*i*tisum c*i*sni cl*i*nicus c*i*lipsidra c*o*modat .... c*o*lera cl*o*ace c*o*loni ... c*o*niboli cr*o*ma c*o*nsequens ... c*u*pidus c*u*pio ... cr*u*enda c*u*pressus ...', quae quidem componendi ratio nostro usui admodum molesta est.[1]) Non desunt autem alius ordinis certa vestigia. Exstant enim glossarum series ad unam eandemque materiam spectantes vel certe talium quae ob similitudinem aliquam externam una ponendae esse viderentur. Qua de re non dubitabis ubi harum glossarum ordinem perlustraveris:

auspicatus: adorsus incipiens vel incipit
auspicio: principio
augor: qui per auspicia diuinabat
augures: qui auguria intendunt
augurium: auspicium
augur: qui aues colit
auceps: auium captor
aucupator: captator uel uenator auium
auspicia: signa uel initia
auguria: somnia
auruspices: qui intendunt signa corporis
auruspex: arci [sic Leidensis $67F^1$] inspector

Haec omnia ad *aues* aut spectant (*auspicatus* — *auguria*) aut spectare videntur (*auruspices*, *auruspex*). Aliorum eius modi ordinum lemmata tantum exscribam: *crateras craterea cada cantarus*; *clam* [bis exstat] *clandistinum clangulae*; *conpactum conpegisti conpagibus conpagum conpago copulatus copula conpaginauit conpagines conectitur conectit*; *coniectura coniector coniectio*

[1]) Ex hac ordinis lege apparet eum qui glossas collegit permulta iam corrupta repperisse. Sic pro *almum* inseruit 'al*i*num' aliaque id genus non pauca.

coniecturae coniectorem coniectus; *contribulibus contribuli cognati consobrini conterminalis.* Praeterea illud quoque aliquo modo ad ordinem spectat, quod exquisitarum glossarum series a trivialium[1]) glossarum contextu non raro seiungi possunt. Velut cf.:

adlegurrit: degustat
adnectans: donans
asperediscus: uncinus
aesculum: genus arboris
annet: fulget
acet: curuat
abreptabat: ire incipiebat
asseda: sella quadriiugis

Contaminatum esse hoc glossarium e duobus fontibus principalibus inde apparet quod easdem glossas frequentissime bis insertas habes. Huc etiam illud rettulerim quod eorundem lemmatum bina interpretamenta aliquotiens exstant; velut in Bernensi 224[2]):

lacunaria: auratis camarae
it lacunaria: pendentia luminaria
laquearia: catena aurea aut corona
it̃ laquearia: ornamenta tectorum

Eodem fortasse spectat adnotatio, quam ex hoc glossario supra p. 10 eruimus: 'hic habet minus inter *h* et *i* folia quattuor, quae excisa fuerunt de exemplari', si haec verba de duobus exemplaribus intellegenda sunt, quorum in altero quattuor folia interciderint. Sed non nimis plana, fateor, eorum sententia est. Inesse glossas quae derivatae sunt e glossario sine ullo ordine congesto docet vel una illa *catax*: *claudus coxa consentaneus*, ubi glossae *catax*: *claudus a coxa* adhaesit eius quae sequebatur lemma: *consentaneus*: [intercidit interpret.]. 'Affatim' glossae num integrae in 'librum glossarum' receptae sint, dubito: possunt sane post saec. VII/VIII collectae esse e duobus glossariis, quorum

[1]) Multas in eis habes Vergilianas. Etiam ad Ovidii Metamorphoses non nullae spectant.

[2]) Bernensi utor, quod in Leidensi notulae illae *it̃* = *item* omissae sunt.

alterum in 'librum glossarum' quoque insertum sit, alterum non item. Sed de his accuratiora investigare nunc non possumus, quoniam vetusta libri glossarum memoria (velut Bernensis 16, Sangermanensis, Palatini 1773) penes nos praeter excerpta non nulla non est. Quod utut se habet, multa vetustae doctrinae vestigia inesse vel duabus eis glossulis demonstratur, quae sunt *procapis* : *proximus* et *procapibus* : *proximis.* Itaque rectissime Usenerus de hoc glossario in Musei Rhenani t. XXIII (a. 1868) p. 677 ait: 'ein zwar mageres, aber vortrefflich fundiertes Glossar, das ich aus zwei berner Handschriften kenne ...'

Restat ut huius glossarii codices et quae inde edita sunt enumeremus.

I. Turnebi codex. In Adversariorum libro XXVIII cap. V et VI (p. 1048—1050 editionis Basileensis a. 1581) Adrianus Turnebus 133 fere glossas edidit, quas ex 'affatim' glossarii codice excerptas esse facillime demonstrari potest. Exscribam Turnebianarum glossarum lemmata non nulla et ubi in codice Leidensi 67F[1] tradita exstent indicabo: *alopeciosa* (f. 1^rb); *atta* (f. 1^rc); *anaboladium* (f. 1^rd); *aqua culat* (ibidem); *aqualiculus* (f. 1^va); *hastarium* (ibidem); *actae* (f. 1^vb); *applare* (f. 1^vc); *amare focos* (ibidem); *abstlatata* (ibidem). Sunt haec decem prima lemmata, quae eodem ordine item explicata inter 'affatim' glossas descripsi. Reliquas 123 glossas integras in eodem Leidensi habes. Multa immutasse Turnebum excerpentem cum lemmata duo supra exscripta 'al*o*peciosa' et '*h*astarium', tum aliae glossae cum codicum nostrorum scriptura collatae docent. De ipso autem codice haec ille narrat: 'Petrus Daniel Aurelianus Onomasticon quoddam perantiquum in membranis perscriptum mihi commodavit. Ex eo et voces quasdam et earum explicationes excerpsi'.

II. Scaligeri codex. Scaligerum in excerpendis glossis usum esse etiam 'affatim' glossario supra p. 44 ostendimus.

III. Codex Leidensis 67F m. saec. VIII/IX primo loco inde a f. 1^ra usque ad f. 54^rb 'affatim' glossas exhibet, quas descripsi.

IV. Codex Vossianus latinus Fol. 26 'in membr. perantiqua' (cf. Catalogum p. 369b). Titulus est 'in nomine dei

summi incipiunt glosae de affatim'. Hoc glossarium Burmannus descripsit ('cod. Burmann. 4°. 5': vol. I p. 1—159), sed ex parte tantum (inde a *tragoedia*: *conposita fabula* usque ad *zelosus*: *zelotipus*[1]) ipso Vossiano usus: multo maiorem partem ex apographo quodam Heinsii petiit, quod ut commodior esset glossarii usus, ad severum litterarum ordinem redactum erat. Sed hoc quoque apographo usque ad finem *h* litterae (p. 90 apographi Burm.) tantum usus est: reliqua (p. 91—159, *iaceat*: *iactet*, *mittat* usque ad *psyatticum*: *matta*) ex apographi Heinsiani apographo fluxerunt. Vides quam non primarius fons sit. Itaque Burmannianum, quod una cum reliquis Lipsiam transmissum habui, amplius non curavi, sperans fore ut ipso Vossiano uti liceret. Didici autem ex apographo illo Vossianum gravem lacunam passum esse, inde a *pi*- usque ad *ta*- fere pertinentem. Eiusdem codicis alterum apographon (breviatum, ut videtur) demonstrari potest post varia fata in bibliothecam Leidensem pervenisse, ut novum glossarium postea ab eodem Burmanno descriptum. Cuius in apographis (vol. I^3 p. 329—379) glossarium habes 'ex ms. glossario Bonaventurae Vulcanii' inscriptum. Sunt autem glossae 'affatim'. Burmannus eas descripsit[2]) ex apographo Davidis Ruhnkenii, qui hauserat ex schedis Ioh. Alb. Fabricii. Ad Fabricium schedae pervenerant a Reimaro. Olim fuisse Bonaventurae Vulcanii titulus inscriptus docet. Primum autem fontem fuisse Vossianum Fol. 26 docet cum scripturarum vel in rebus pusillis consensus, tum maxime lacuna inter *pi*- et *ta*- hians, quam Vossiani propriam esse modo vidimus.

V. Codex Bernensis 258 m. saec. X fol. f. 48^r—83^r 'affatim' glossas continet. Hic liber cum olim fuerit Petri Danielis (postea Bongarsii), idem videtur esse atque Turnebi codex (supra n. I). Sed cum Turnebus in edendis glossis non pauca immutaverit, pro certo hoc autumare nunc nequeo, praesertim cum *a* litteram tantum exscriptam habeam[3]).

---

[1]) Praeterea *a* litterae particulam ex ipso codice in volumine secundo (apogr. Burm. 9) descripsit.

[2]) Haec omnia Burmannus accurate adscripsit.

[3]) Debeo Usenero.

VI. Codex Bernensis 224 fol. saec. X f. 198^{v}c—226^{v}b 'affatim' glossas exhibet. Inde quae Usenerus excerpserat — sunt autem omnes paene glossae aliqua de ratione memorabiliores — liberalissime utenda mihi transmisit.

De varia horum codicum in re critica auctoritate nondum omni ex parte mihi constat. Hoc autem verum puto facile optimum esse Bernensem 224, corruptissimum Leidensem 67 F^{1}. Vossianus Fol. 26 admodum correctus videtur esse, sed multas glossas aliunde habet immixtas.

§ 5.

De glossariis Amplonianis.

Amplonianae quae Erfurti est bibliothecae codices glossas exhibentes duo noti sunt, quorum notitia et aliqua ex parte editio Francisco Oehlero debetur. Oehlerus enim in Iahnii annalium t. supplem. XIII (a. 1847) p. 250—256 de codice quodam Panormiae Osbernianae Amploniano rettulit non nullasque inde scripturas protulit: quo de agetur, ubi ad Osberni librum pervenerimus. Multo autem gravioris ponderis ea sunt quae p. 256—297 et 325—387 ex codice eiusdem bibliothecae saec. IX scripto edidit: tria nimirum glossaria, quorum alterius et tertii glossas proletarias consulto omisit. Quem quidem codicem insigni bibliothecae Erfurtensis administratorum benevolentia Lipsiam transmissum integrum cum Oehleri editione contuli. Qua in re quae cognovi ea facere non possum quin dicam: neglegentissime in edendo ille versatus est, ita ut quid tandem in codice scriptum exstet pro certo non possit inde perspici[1]). Quod ut demonstremus

---

[1]) Ac ne hoc quidem laudi tribui potest, quod Oehlerus plus quam 3000 glossas omnino non edidit. Insunt enim vel in his non paucae minime contemnendae, velut haec: ***utpote*** **:** ***significat*** *'ut possumus'* [*possimus* cod.] *'ut potestis' 'ut possunt': nam 'pote' et 'non pote' 'potest' et 'non potest' dicunt Tusci* [*tuscii* cod.]; ***dilutuit*** **:** *latuit*; ***furtuna*** **:** *felicitas*; ***cette*** **:** *date* [*cesse* cod.]; ***dissicit*** **:** *disturbat*; ***em*** **:** *admiratio vel interiectio dolentis, ut 'em, cui credidi amice'*; ***erigastula*** **:** *depressi* [excidit *loci* vel simile quid]; ***furor amatorius*** **:** *insania, quae de veneficiis* [*uentre ficis* cod.] *nascitur, quae viris ab uxoribus propter augmentum amoris dari solent* [*amatoris* et *uxoris pp aumentum amori* cod.]; ***geneceum*** **:** *graece, quod est latine textrinum* [*extricum* cod.]; ***Iris*** **:**

pauca delibamus exempla. Perbonam primi glossarii glossam[1]) Oehlerus talem edidit p. 259, 88: *aegilippon, saxum eminens ingens, quod nec capille ascendere potest,* cum sic potius in codice scripta sit: *aegilippon*: *saxum eminens ingens quo nec capille possunt ascendere*; pro una glossa Oehleri p. 275, 236: *aurificina*: *locus, ubi aurum funditur et facitur* duae in codice exstant haec:

Aurifodina: locus, ubi foditur aurum
Aurificina: ubi fundit uel facitur[2]);

p. 289, 269 hanc glossam habes sensu carentem: *conperis*: *genibus ipsis*: at codex pro *ipsis* exhibet *ɔp̄sis* hoc est *conpresis*, ut scribendum sit *conpernis*: *genibus conpressis*; p. 334, 40/41 post *glomer*: *cleuuue* tres glossas in codice Epinalensi[3]) exstare ait, abesse ab Amploniano: at in hoc quoque insunt planis litteris scriptae. *Et* atque *uel* voculae quotienscunque in codice legerat, fere semper — 92 certe locis — permutavit ita, ut *vel* pro *et* atque *et* pro *vel* poneret. Neque illud laudaverim quod alterius, ut iam dixi, et tertii glossarii bonam partem praetermisit. Integer enim codex cum circiter 9465 glossas contineat, 6458 tantum ille edidit.

Codex autem ille, qui sic signatus est 'Bibliotheca Amploniana. Libri typis impressi in Fol. No. 394', membr. fol. mai. saec. IX tripertitis paginis scriptus nunc 37 foliorum est, quorum in compagem[4]) diligentius inquirenti mihi appa-

---

graece arcus caelestis, qui colorem ex igne habet et sulphore; *medius fidus*: *iuramentum paganorum*; sim.

[1]) V. infra 'de glossis Lucilianis'.

[2]) Fragmento Deycksiano duce scribendum est: *aurificina*: *ubi funditur uel fingitur.*

[3]) De hoc mox agetur.

[4]) f. 1—8 quaternio I; f. 9—16 quat. II; f. 17—24 quat. III; f. 25—28 binio: f. 25 et 28 foliorum par cohaerens, quod folia 26 et 27 inter se non conexa amplectitur; f. 29—32 binio: duo foliorum paria 29 + 32 et 30 + 31; f. 33—37 quinque folia nunc, quaternio olim: f. 33 et 37 cohaerent (= *a*), item 35 et 36 (= *d*), cum f. 34 autem nunc nihil cohaeret, cohaesisse olim folium (= c^2) indicio est pusillulum eius fragmentum inter f. 36 et 37 etiamnum servatum. Non obscurius autem quam membranae natura lacuna indicatur glossarii hiatu: folii 36^v extrema

ruit integrum librum 40 foliorum fuisse, cum inter f. 36 et 37 duo folia, unum inter f. 33 et 34 interciderint, unde duae maximae lacunae natae sunt. Iam ad singula glossaria nos convertimus.

1. De glossario Amploniano primo.

Primum codicis Amploniani glossarium nec inscriptione nec subscriptione addita pertinet inde a f. 1^{r}a 'Apodixen: .... a'[1]) usque ad f. 14^{v}a 'zociacum: sideralem'. Plena glossarii haec memoria est, id quod non cadit in eiusdem alterum codicem bibliothecae Epinalensis, ab externa specie Amploniano simillimum. Codex Epinalensis 7[2]) saec. IX item scriptus, 14 foliorum post 'sermones ex libris sancti Augustini numer. XLVIIII' glossarium exhibet anglosaxonicum, ab *apodixen*: *fantasia*[3]) usque ad *ueterator* pertinens. In fine glossarii unum folium deest, itemque *d* et *e* litterae, quarum lacunarum codex Amplonianus expers est. Epinalensem Moneus a. 1835 tractavit et glossas anglosaxonicas inde edidit[4]) in 'Anzeiger fuer Kunde der teutschen Vorzeit'

---

glossa est 'conuentum: consonum uel concilium', folii 37^r prima '*h*istrio: simulator, mimus'. Praeterea autem foliorum par (= *b*) evulsum esse glossarum defectus docet, quem habes inter 'spartum: linea' (f. 33^v) et '*t*ropeum: signum uictoriae' (f. 34^r). Itaque integer hic quaternio talis fuit:

foliorum par *a* = f. 33 + 37
foliorum par *b* = [intercidit]
foliorum par *c* = f. 34 + [intercidit]
foliorum par *d* = f. 35 + 36.

Singularum paginarum versus inter 44—46 fluctuant. Diversae manus pro certo raro distingui possunt: certo velut f. 36^v et 37^r. Post f. 37 nihil in hoc codice intercidit, cum ultimae glossae eadem manu adscriptum sit: *et est finis*.

[1]) Foliorum primi et ultimi paginae externae longinquo usu et saeculorum iniuria admodum fuscatae et detritae sunt. Praeterea foliorum ab initio primorum margines inferiores lacerati sunt.

[2]) Cf. 'Catalogue Général des Mscr. des Bibl. Publ. des Départem.' t. III Parisiis a. 1861 ed. p. 394.

[3]) Sic Moneus: in catalogo ut prima glossa *apodixen*: *amines* profertur.

[4]) Vel potius iteravit: nam antea Londinum missae erant et in 'appendix *B* to Mr. Cooper's report' p. 153—164 editae.

t. VII (a. 1838) p. 134—153. Post Moneum eiusdem codicis apographon confecit I. Quicheratius[1]). Tertiam harum glossarum partis memoriam in codice Vossiano Fol. 24 habes, quode infra plura.

Hoc glossarium 3693 circiter glossarum permulta continet interpretamenta anglosaxonica. Lemmatum ordo magna ex parte omnino nullus est, unde glossarii usus satis molestus evadit. Neque tamen omnia mixtim coacervata sunt. Aperte enim huius glossarii per litteras non digesti fundus quasi locupletatus est ex alio glossario ad alphabeti ordinem redacto. Namque post *a* litterae glossas 318 non ordinatas sequitur novi glossarii sic ordinati: *aa- ab- ac- ad-* integra *a* littera inde a p. 262b 319 'aberuncat: abscirpat abavus: avi avus abrogata: deleta abristit: longe est' usque ad p. 265b 516 'aucturamentum: quod est indicium auxillae: alae minores auultos: regalibus'. Haec in illud glossarium aliunde invecta esse ostendit cum ordo hic servatus illic neglectus, tum illud quod glossae 517—528 eiusdem aperte indolis sunt atque 1—318. Interpositarum glossarum ratione non habita apparet glossam 517 olim excepisse glossam 318. Cf. 317 sq.: *As, assis*: *genus nummi* [*assassais* cod.] *Arx*: *arcis* cum appendicis exordio *Aes*: *aeris*: en habes commissuras. Eiusdem novi glossarii permultae particulae a primo Amploniano facile seiungi possunt, dummodo ne litterarum ordo neglegatur. Quo quidem modo has reliquias enucleavimus[2]):

a litterae 319 (p. 262b)—516 (p. 265b): *ab-* — *au-*
b litterae 88 (p. 277a)—135 (p. 277b): *ba-* — *bu-*
c litterae 355 (p. 284a)—405 (p. 285b): *ca-*
d et *e* litterarum: ?
f litterae 114 (p. 331b)—161 (p. 332a): *fa-* — *fl-*[3])
g litterae 60—90 (p. 335a): *ga-* — *gu-*

---

[1]) Asservatur in bibliotheca Parisiensi ut 'n°. 2717 supplément français': cf. 'Documents historiques inédits tirés des collections mscr. de la bibl. royale' t. I p. 447.

[2]) Omisimus quae minus certae sunt particulas.

[3]) Quamquam dissentiunt glossae 120. 135. 137. 140. 143.

h et *i*[1]) litterarum: ?
l litterae 123 (p. 346a) — 157 (p. 346b): *la-* — *li-*
m litterae 105 [an 106?] (p. 351a) — 160 (p. 351b): *me- mi- mu- mo- ma- me-*[2])
n litterae 54 (p. 354a) — 83 (p. 354b): *na-* — *nu-*
o litterae {75 — 94 (p. 356b): *ob-* — *of-* / 102 — 131 (p. 357a): *ol-* — *os-*}
p litterae 303 (p. 363a) — 451 (p. 365b): *pu- py- pr- pu- pl- pr- po- pa-* — *pi- po-*[3])
q litterae 19 (p. 369b) — 47 (p. 370a): *qua-* — *quu-*
r litterae 67 (p. 371b) — 111 (p. 372a): *re- ri- ro- ru- re- ra- re-*[4])
s litterae 269 (p. 377b) — 382 (p. 379a): *su- so- sp- st- se- si- so- sa- sc- se-*[5])
t litterae 152 (p. 383a) — 199 (p. 383b): *to- tr- tu- ty- te- ti- to- ta- te-*[6])
u litterae 97 (p. 385a) — 139 (p. 385b): *ua-* — *uo-*
xyz litterarum: ?

Vides novum glossarium e primo Amploniano tamquam ovum ex putaminibus nos seclusisse. Lacunas autem maiores duas exhibet inter *ca-* et *fa-* atque inter *gu-* et *la-*, minores post *fl- li- os-*. Insunt voces anglosaxonicae paucissimae, cum Amplonianum primum, cum quo conglutinatum est, sescentas exhibeat. Duo alia glossaria exstant, quae huic parti persimilia sint. Eorum alterum est ipsius Erfurtensis membranae glossarium secundum. Namque non solum eadem utrobique ordinis lex observatur (*aa- ab- ac-* . . .), sed etiam illius glossarum duae fere partes in hoc redeunt. Velut *b* litterae,

[1]) Exstat quidem glossarum ab *in-* incipientium series, sed seiungere non audeo.

[2]) Ordo turbatus est, quem restitue glossis 140 — 160 ante 105 (106) — 139 positis.

[3]) 337 (p. 363b) — 346 (p. 364a) glossae a *pl-* incipiunt; *pr-* glossae exstant 312 (p. 363a) — 334 (p. 363b) et 347 — 355 (p. 364a); *po-* glossae 356 — 366 (p. 364a), ut pristinus ordo talis fuisse videatur: 368 — 448. 337 — 346. 449 — 451. 356 — 366. 312 — 334. 347 — 355. 303 — 311.

[4]) Sic olim glossae ordinatae erant: 101 — 111. 79 — 100. 67 — 78.

[5]) Integer ordo hic erat: 336 — 382 [at cf. 365. 374. 375]. 315 — 335. 290 — 314. 269 — 289.

[6]) Sic olim: 190 — 199. 168 — 188. 151 — 167.

quae 45 glossarum est[1]), 31 in secundo Amploniano comparent, 14 tantum ab eo absunt[2]). Quae quidem ratio non est nullius momenti ad utriusque glossarii emendationem. Veluti in priore habes p. 277, 118 *bilero*: *passus amaritudinem*, in altero p. 278, 24/25 *bilem passus*: *amaritudinem*.

Eidem glossario simile est Leidense quoddam, item maiori glossario conglutinatum insitumque et ex parte tantum etiamnum superstes. Eius pleniorem notitiam debeo Useneri benevolentiae, qui codicis Leidensis 67 D saec. X apographo a Francisco Oehlero confecto[3]) usus est. Eundem librum, quem infra accuratius describam, Lipsiam transmissum habui. Continetur autem hoc codice 'libri glossarum' epitome corruptissima, cuius litteris BDHKLMNOPRVXYZ sciendum est aliunde nullas glossas adiectas esse, non multas litteris A (f. 9r post *azor* secuntur 5 glossae ab *ab-* incipientes), C (f. 16 post *cuturno* 3 a *const-*), Q (f. 39r tres sine ullo litte-

[1]) Nam glossae 99—101 seiungendae sunt.

[2]) Inter eas non malae exstant. Velut p. 263, 392 *aerumnus*: *infortunus* [*arumnus* cod., sed inter *ae-*]; p. 265, 513 *aububulcus*: *pastor ovium* [*bovium* cod.]; p. 277, 127 *bolimodes*: *aegrotus qui ante cibum torquetur, cui post cibum indesinentes dolores* [*aegrotus* in cod. post *torquetur* scriptum est]. Βουλιμώδης vocabulum alibi non traditum esse videtur. Ceterum non desunt glossae ad *bulimus* quoque spectantes, velut *bulimus*: *fames magna* et *bulimus*: *vermis similis lacertae, in stomacho hominis habitans.* Quarum ultima e vulgi opinione procul dubio derivata non inepte comparari potest cum vocabulo, quod apud Saxones in montibus metalliferis habitantes usu venit: 'Herzwurm'. Namque cum quis nescio a quanam corporis parte aegrotat, ab illis dici assolet 'vermiculus cordis minxit'. Ad tales res quoniam pervenimus, glossam cum lectoribus communicabimus ad ea aranearum fila spectantem, quae nos 'alter Weiber Sommer' appellare solemus. Scaliger enim inter glossas 'Isidori' excerpsit etiam hanc: *sabbatini*: *aranearum* p. 695, 18 ed. Vulc., quam nemo dum extricavit. Iam cum cod. Leidensis 67 E f. 53v a — atque e tali quidem glossario Scaligeranam petitam esse constat — exhibeat *sabbatim*: *araneas ū fila in aera uolantia,* sic illam scribendam vides: *sabbatim*: *aranearum fila in aere uolantia.* At ne hanc quidem formam integram esse docet cod. Mediolanensis C 243 inf. saec. X, cuius in paginae 94 margine exteriore sic eam alia manu adscriptam repperi: *aranearum fila per aerem uolantia hebraice sababim dicuntur, quae dum uidentur intereunt et in atomos atque in nihil dissoluuntur,* 'hȳē' = 'Hieronymi' nota ut fontis indiculo praefixa.

[3]) Exstat nunc in bibliotheca Berolinensi, '*Kk2*' insignitum.

rarum ordine), S (f. 45 post *sutulis* 7 a *se-* incipientes), T (f. 47^{v} post *tutella* 3 a *tab-*), multo plures litteris E (f. 22^{v} post *exuviae* 36, litterarum ordine non nimis turbato: *edromeli edepul* . . . *extispicti*[1]), F (post *futilis* 59, quarum ordo minus etiam accuratus est: *far* . . . *fulgoritus*), G (post *gurges* f. 26^{v} 41: *gaue* . . . *gruit*), I (post *iuvat* f. 29^{r} 80 ab *in-* maximam partem incipientes: *iaspide* . . . *intercapito*). Haec post finem singularum litterarum addita habes: pauca non procul a fine inter ipsas epitomae glossas inseruntur, sicut f. 8^{v} inter *arcitenes* et *arbitrosum* quattuor ab *ab-* (*abactus* . . . *abigeus*), inter *arbitrosum* et *ascarici* tres ab *abi-*, f. 16^{r} inter *crumera* et *cubita* duodecim (*catinus* . . . *census*, decem a *ca-*, duae a *ce-*), denique inter *solima* et *sonipes* iterum duodecim a *sa-* incipientes (*sartor*, *sabulum* . . . *saba*). Superesse vides 268 glossas. Quo autem facilius aliorum fontium comparatio institui possit — neque enim dubito quin glossarii integri memoria uspiam delitescat —, *g* litteram exscribendam duco.

gaue: diuitiae regum
garamantes: gens maurorum
gauligenus: navis
galeros: calamaucos
5 glabo: rusticus, arator
gauarus: insulsus uel fluminis
glanga: flamma ã rubea
gallina rustica: perdix
glauca: alba, viride
10 glaucos: diuos marinus
gargarizo: conluo
gentilis dicitur, qui omnia fecit
genussia: senatus
gese: aculeus
15 gela: flumen
genessis: fatum
gellonem: baucalem
gemina: perstromata
genearcha: gentis princeps
20 genessis: constellatio
genestę ·i· arbor
germen: herba que germinat
genomon: limię artificium fabroȓ
gereatus: gradus
25 gemnassi: bassilica siue deambulatorium
gerro: nocatoriũ
genica: generalium· multa
genatorem: prudentem
genatus: filius
30 genata: filia
gestamen: consolatio
ger//ien[2]): semen holerum uel herbarum

---

[1]) Scribe *extispici*.

[2]) Erasa est una lineola.

gigantummachie: pugna cum gigante habita
gnomen: orolei genus
35 gnossiam: cretensiam
gorgones aeua: cuius caput pectori aderit
gressutus: pedester
grussus: fetosus, pilosus, hispidus
grumare: dirigere
40 grundiunt: strepunt
gruit: imminit, incumbit

Hinc vides

1) perpauca inter tot nomina exstare verba (11. 39. 40. 41);
2) permulta graeca (cf. velut 13. 16. 19. 20. 25. 33);
3) glossas Vergilianas (velut 36 *Gorgone saeva,* quae ad Aen. II, 616 spectat) continere glossariolum;
4) corruptelas gravissimas eum iam traditas repperisse, qui glossulas collegit; id enim ex ordine litterarum facile apparet, qui idem est quem in *affatim* glossis habes (cf. g*a*uli, g*a*leros, gl*a*bo, g*a*uarus, gl*a*nga, g*a*llina, gl*a*uca).

Bonae notae glossae num alicubi sui simile aliquid habeant infra videbimus[1]): nunc hanc memoriam cum fragmentis illis Amplonianis re vera cognatam esse demonstrabimus. Conferenda sunt, quae subiecimus:

glossae Leidenses:	glossae Amplonianae:
1 gaue: divitiae regum	p. 334, 68 gessiae: divitiae
3 gauligenus: navis	64 gauli: genus navi
5 glabo: rusticus, arator	80 glebo: rusticus
13 genussia: senatus	70 genusia: senatus
16 genessis: fatum	73 gessis: fatum, decretum
20 genessis: constellatio	66 geneissis: constillatio
24 gereatus: gradus	74 genialis homo: gratus homo
34 gnomen: orolei genus	82 gnomen: orolei genus

Sed redeundum est ad Amploniani glossarii partem priorem litteris non digestam. Quam si accuratius perlustramus, quattuor fere glossarum genera facile discernimus.

I. Scatet glossarium glossis graecolatinis, sacris plerumque, quarum tamen lemmata latinis litteris scripta esse consentaneum est. Tales velut haec sunt:

---

[1]) Cf. quae de Philoxeni glossis latinograecis dicentur.

glossae Amplonianae

	traditae	emendatae
p. 326, 99	*Evangellices*: *apodixeos*	Εὐαγγελικῆϲ ἀποδείξεωϲ: *evangelicae praeparationis*[1])
100	*Evangelicae*: *praeparationes*	
105	*Exacaidae*: *ceterida*	Ἑξακαιδεκαετηρίδα: *sedecennalem*
	Ennecaide: *ceterida decennovenalem sedecennalem*[2])	Ἐννεακαιδεκαετηρίδα: *decennovennalem*[3])
111	*Eortasicai*: *sollemnes*	Ἑορταϲτικαί: *sollemnes*
p. 358, 1	*Peripgocias*[4]): *de paupertate*	Περὶ πτωχείαϲ: *d. p.*
5	*Pertes zoeste oricas*[5]): *de hac*[6]) *vita contemplativa*	Περὶ τῆϲ ζωῆϲ θεωρικῆϲ: *d. h. v. c.*
12	*Periodoy*: *cratoros asporios de experientia dei*	Περὶ τοῦ κράτοροϲ ἐμπειρίαϲ: *d. e. d.*
p. 360, 100	*Pshiezodo*: *animae exitus*	Ψυχῆϲ ἔξοδοϲ: *a. e.*
p. 376, 202	*Symtagmateseon*: *magister eruditionis*	Σύνταγμα μαθήϲεωϲ: *m. e.*

II. Secuntur glossae ut ita dicam etymologicae. Cf. velut hasce:

p. 384, 26: *victima*: *quod victis hostibus fit*[7]) (*fictis* cod.);
p. 283, 218: *culmen*: *quia culmis tegitur*;
p. 345, 53: *liber a cortice dicitur, quia veteres in cortice scripserunt* (*cordico* ... *cordicae*);
p. 345, 55: *lenticula*: *vasculum aereum olei, a liniendo*[8]) *dictum*;
p. 346, 112: *lectus*: *ab electis et mollibus herbis dicitur*[9]);

[1]) Nemo non memor est libri Eusebiani. Eusebiana etiam inter glossas mere latinas permulta exstare adscito codice Mediolanensi M 79 sup. saec. XI/XII alias demonstrabimus.

[2]) Sic codex, quode Oehlerus non recte rettulit.

[3]) In hac voce inest vocabulum numerale *decennovem* = *undeviginti*, quemadmodum Itali hodie aiunt *diciannove*.

[4]) *pgocias* e *ptocias* factum est ΠΤΩ et ΠΓΩ syllabis permutatis.

[5]) Cf. p. 360, 97 *periotession*: *de hac vita*, h. e. περὶ τῆϲ ζωῆϲ.

[6]) *hac* pro articulo est.

[7]) Festus p. 371, 8: 'victima ... quae ob hostis victos immoletur.'

[8]) *Linere* et *linire* = *lenire* verborum usus in lingua vulgari promiscuus est.

[9]) Non nimis discrepat Pauli originatio p. 115, 3: 'lectus dictus .. a collectis foliis ad cubitandum ...'

p. 371, 59: *reditus: quod semper redire solet per circulum dierum vel anni* (*redi* pro *redire* cod.);
p. 385, 120: *vertigo: tempestas, a vertendo* (*vertigio* cod.);
p. 383, 188: *tori: quod indurat in humeris taurorum* (dicebant nimirum *tŏrus* pro *taurus*);
p. 381, 79: *tugurium: a tegendo, quasi tegurium*[1]);
p. 377, 217: *supprema: quando sol suppremit*[2]);
p. 376, 166: *stellae: a stando*[3]);
p. 363, 296: *princeps: quasi prima capiens*;
p. 356, 71: *oculus: quasi ocior, aut quasi palpebra occultatus* (*palbrebe occultantur* cod.);
p. 355, 13: *ostium: ab obstando dictum*;
cf. praeterea p. 261, 58; 281, 125; 284, 307; 285, 346; 295, 104; 331, 109 et 110; 335, 59; 337, 47; 351, 103; 359, 61; 362, 229; alibi.

III. Insunt non paucae glossae quas grammaticas appellaverim ad voces monosyllabas earumque genetivos spectantes. Cf. velut has quas subieci: *as assis, genus nummi* (p. 262, 317: *assassais*); *arx arcis* (p. 262, 318); *aes aeris* (p. 265, 517); *lar laris, id est domus* (p. 346, 106; sic codex: *Las laris: id est Lar laris: id est domus*); *lens lentis, genus leguminis* (p. 346, 107); *merx mercis, a mercando, non merces mercedis* (p. 351, 101 *merus* cod. pro *mercis*); *Mars Martis*; *mas maris, a marito dictum*; *mus muris* (ibidem 102 sqq.); *nex necis* (p. 354, 53); *prex precis, a deprecatione*; *pix picis* (p. 363, 284 sq.: *praecis ã depraecatione*); *rus ruris* (p. 371, 61); *trabs trabis* (p. 382, 41). Haec omnia et quae sunt similia[4]) ex uno fonte fluxisse facile patet.

IV. Restat ea huius glossarii pars, quae ad nostra studia gravioris quam reliquae ponderis est: glossas dico exquisita

---

1) Cf. Isidorum Originum XIV, 12.

2) Nota sunt legis XII tabularum verba: 'solis occasus suprema tempestas esto' et plebisciti a M. Plaetorio tribuno lati: 'praetor urbanus ... ius .. ad supremam inter cives dicito.'

3) Cf. Isidori Orig. III, 70: 'stellae dictae a stando ...'

4) Exstant etiam aliae glossae grammaticae, paullo aliter tamen comparatae, velut p. 346, 108 *libertas libertabus feminino genere*; p. 376, 161 sq. *speculum neutri generis, specula feminini*; al.

vocabula exhibentes. Atque hae quidem cum nullo alio glossario — loquor scilicet de eis, quae nunc mihi nota sunt — paulo artiore necessitudinis vinculo coniunctae esse videntur, sed, quamquam minime desunt quae alibi quoque redeant, permulta exhibent propria singulariaque. Atque ut huius partis priore loco exempla proferamus, nusquam repperi bonam illam glossam[1]) *stirillum*: *caprae barba* nisi in Amploniano[1] p. 374, 55. Item singulares esse sciendum est has glossas optimae notae: *aegilipon saxum*: *eminens*, *ingens*, *quo nec capellae possunt ascendere*[2]) (p. 259, 88); *murcus*: *curtus* (p. 349, 31); *lituus*: *baculum augurale in prima parte curvum*[3]) (p. 344, 32); *harenae*: *saxa Sabinorum lingua* (p. 336, 21); sim. Ex eis autem quae aliis quoque glossariis traditae sunt ita non nullas cum lectoribus communicabo, ut simul ostendam eius modi glossarum selectiora vocabula exhibentium integras series in Amplonianum glossarium primum receptas esse. Videbis ipse, ubi hos quos subieci glossarum eiusdem indolis ordines perlustraveris:

p. 354, 44 sqq.: *Nepos*: *prodigus*[4])
Nicto: *latro*
Nigelli: *nigri*
Nundinatur: *mercatur*
Nanus: *pumilio*
Nebris: *corium cerui*
Nusciosus: *qui vespere plus videt*

p. 349, 29 sqq.: *Manticulare*: *fraudare*
Musitanter: *leniter*
Murcus: *curtus*
Mulcatores: *peremptores*
Mulcavit: *iunxit*, *ligavit*

p. 282, 159 sqq.: *Cicur*: *placidum*, *mansuetum*
Cicurare: *mansuetefacere*[5])

---

1) Cf. supra p. 18.

2) Vide infra 'de glossis Lucilianis'.

3) Cf. Ciceronem de div. I, 17, 30: *lituus . . . incurvus et leviter a summo inflexus bacillus.*

4) Quae in his et eis quae secuntur glossis emendaverimus adnotare longum est.

5) Omisi glossam 161: *caumaeuniae*: *cordraestae.*

Carinantes: *inludentes*
Cracentes: *graciles*
Catinus: *discus modicus*

Contaminatum esse hoc quoque glossarium earundem glossarum quae non rara est duplex memoria docet, sicut p. 344, 23 habes *lictores*: *ministri consolum* (u supra o) et p. 345, 41 *lictores*: *ministri coclonum*; cum glossa p. 373, 23 *synefactas*: *publicas* confer p. 374, 27:

Sex cuplum: *pudicas vel abstinentes*
Synefactas: *subieceris*
Subregeris: *subieceris* [1])

Quae miserum in modum turbata sic restitue:

Sexcuplum: * * *
Synefactas: *pudicas uel abstinentes*
Subegeris: *subieceris*

Ubi quamquam lemma illud quod est *synefactas* emendare nequeo, hoc tamen constat eandem glossam traditam esse atque l. s. s. P. 325, 4 *eortatice*: *solemnes* et p. 326, 111 *eortasicai*: *sollemnes* eadem glossa est, cuius lemma ἑορταστικαί scribe. Glossa πτωχείας: *inopiae* bis tradita est, p. 358, 2 *ptoceos*: *inopiae* et p. 360, 117 *praexeos*: *inopiae*.

Multa quae olim uno procul dubio loco coniuncta exstiterant, nunc disiecta sunt: neque tamen difficile eiusdem ea indolis esse perspici potest. Sic nomina eorum qui variis instrumentis musicis canunt[2]), lapidum pretiosorum[3]), sim.

---

[1]) Hanc glossam Oehlerus omisit.

[2]) Cf. p. 284, 335: *cornicen*: *qui cum cornu canit* (*carbicen* cod.); p. 331, 98: *fidicen*: *qui cum cithara canit*, *a fidibus dictum* (*fidin* pro *fidicen* cod.); p. 346, 109: *liticen*: *qui cum lituo canit* (hanc glossam infra eruemus); p. 382, 101: *tubicen*: *qui cum tuba canit* (*tubicaen* cod.).

[3]) Cf. p. 275, 8: *beryllus tantum ut aqua splendet* (*birillus* cod.); p. 282, 183 sqq.: *calcedo*: *ut ignis lucet*, *chrysolithus*: *colorem aureum habet*, *chrysoprasus*: *viridem habet colorem* (*calcido* ... *crysolitus* ... *cyprassus*; quae in fine harum glossarum scripta exhibet Amplonianus, ea consulto omisimus); p. 338, 8: *iaspis*: *nigrum et viridem colorem habet* (*viridum*); p. 376, 210 sq.: *smaragdus*: *viridem habet colorem*, *sardonyx habet colorem sanguinis* (*sardonix*); p. 377, 244: *sardius*: *colorem purum sanguinis habet* (*sardius* (p supra s) ... *prum* (u supra r); *habet* ei

Largam glossarum copiam revocandam esse ad vulgatam scripturae sacrae interpretationem nihil mirum est. Velut ad Levitici XXIII, 40 'sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimae spatulasque palmarum' spectat haec glossa p. 373, 12 *spatulas*[1]: *rami a similitudine spatae* (*spati* cod.) *dicti.* Glossam p. 356, 39: *opere plumario*: *bisiuuidi uuerci* (sic Epinalensis interpretamentum anglosaxonicum exhibet) refer ad Exodi XXVI, 1: 'decem cortinas de bysso retorta ... variatas opere plumario facies'. Corruptissima est Oehleri p. 337, 43 glossa: *hostiae pontificae de quibus plesb manduca.* At *pontificae* non scriptum repperi in codice, sed *pactificae.* Itaque emendanda est *hostiae pacificae*: *de quibus plebs manducat* et cum Levitici III, 1 conferenda: 'quodsi hostia pacificorum fuerit eius oblatio. ...' Ceterum alibi quoque in Levitico 'hostia pacificorum' habes, contra 'pacifica' absolute positum in libris Paralipomenon.

2. De glossario Amploniano secundo.

Codicis Amploniani secundo glossario inscriptum est: 'incipit II conscriptio glosarũ | in unam quibus uerba quoq. ł noñ | alia mixtim ł latina ł saxoniae | inseruntur', qui titulus sic ni fallor scribendus est: 'incipit secunda conscriptio glosarum in unam, quibus verba quoque vel nominalia mixtim, vel latina vel saxonica, inseruntur'. Prima glossa est f. 14^{v}a 'abtetuos: impleatuos', ultima f. 34^{v}c 'zozum: .ġ animal'. Uno inter f. 33 et 34 folio deleto *S* litterae finis (extrema glossa servata est f. 33^{v} *spartum*: *linea*) et *T* litterae principium (prima glossa est f. 34^{r} *tropeum*: *signum uictoriae*) interciderunt. Non edidit Oehlerus 2980 fere glossas. Interpretamenta anglosaxonica nulla ni fallor intermixta habes. Ordo litterarum est: *aa- ab- ac- ad-* ...

Secundum hoc membranae Erfurtensis glossarium opti-

---

quae praecedit glossae additum est); p. 381, 43: *topazios*: *ut aqua micat* ... (*topazion*). Quo ex numero *sardius*, *topazius*, *smaragdus*, *iaspis*, *chrysolithus*, *beryllus* in Exodi c. XXVIII, 17 sqq. = XXXVIIII, 10 sqq. commemorantur, reliqui non item.

[1]) Sic codex f. 12^{r}, non *spatular*, qui est Oehleri error.

mum est et uberrimum. Insunt enim circiter 4980 glossae. Propriae autem eius virtutes haec sunt:

1) multas optimae notae glossas exhibet alibi non traditas: unam habes supra p. 15b exscriptam, alias infra proferemus;

2) non paucas integras servavit, quae in reliquis omnibus glossariis adhuc mihi notis truncatae sunt. Cf. illam cuius lemma est *aurorans* et multas alias, quibus in capite tertio utemur.

Singulares has virtutes inde non inepte quispiam explicaverit, quod e permultis eisque sat vetustis glossariolis tam larga copia collecta esse videatur. Qua cum opinione illud optime congruit, quod frequenter glossas contaminatione ampliatas esse patet. Aliis cum glossariis comparatione instituta ad eundem fontem redire videntur:

1) primi Amploniani aliqua pars: cf. supra;

2) codicis Vossiani cuiusdam glossarium, quod nunc describemus.

Codex Vossianus lat. Fol. 24 membr. 'manu antiqua' scriptus (cf. Catalogum p. 369a-b) praeter alia multa glossarium exhibet inde ab 'anathematus: abominatus, exsecratus anathema: aut marenata sic quidam dicunt' usque ad 'zozomim: praeparati in acie vel quae est haec aquas zozomim: haec cogitationis ut supra' pertinens. Glossarium in principio codicis positum (secuntur Eucherii glossae, Synonyma Ciceronis, al.) initio mutilatum esse apparet. Inest glossarum undique collectarum paene mira copia. Burmanni in describendo egregia patientia usque ad *e* litteram tantum progressa est, ita ut non norim codicis inde a glossis 'erectatio: tuba ergasterion: tuberna g̃ ergate: operare' materiam. Sed quae inde cognita habeo satis sunt ad demonstrandam glossarii uberrimi indolem. Variae particulae insunt hae:

1) glossae graecolatinae: velut 'anascene: structio anax: rex anadendras: arbusta anablizusi: scaturiunt anasteson: resuscita anasceua: contraria anabasis: ascensio anagefeosin: recapitulatio';

2) glossae hebraicolatinae: velut *bath*: *in daniele vestis linę*. Tales intra solius *b* litterae ambitum plus quam 240 exstant;

3) praeterea multa insunt ad sacram scripturam spectantia;

4) glossae rara vetustaque vocabula exhibentes.

Atque haec quidem glossarum species quam copiosa sit inde non difficile colliges, quod fontes earum sunt Isidori Originum liber X glossematicus, 'affatim' glossarium (ut videtur certe), 'abavus' glossarium, tale glossarium quale Amplonianis primo et secundo materiam glossematicam praebuit.[1]) Quoniam autem hic fons prae ceteris eminet, cum Amplonianis hoc glossarium composuimus. Non opus est demonstrare[2]) hanc rationem gravissimi ad emendanda glossaria Amploniana momenti esse. Cuius quidem rei exempla infra non pauca reperies. Dignissimum autem hoc ingens corpus, ex quo selectiora accurate colligantur. Insunt enim praeclarissimae et vetustissimae doctrinae specimina. Unam affero glossam nusquam alibi a me repertam: *duonitas* : *benignitas sive bonitas.*

---

[1]) Hoc modo quanta glossarum copia confluxerit uno exemplo demonstrabo. Namque ad *duell-* stirpem pertinentia haec habes: *duellum* : *duorum hominum* . . . [truncata glossa]; *duellis* : *tyrannus*, *rebellator*; *duellibus* : *adversariis*; *duellum* : *duorum hominum bellum*; *duellio* : *bellum duplex*, *rebellis*, *pugnator vel belligerator*; *duellio* : *bellum*, *pugna in hostem duplicem: quod in duos agitur*; *duelli rex* : *belli*; *duello* : *pugna*, *bello*. Emendavimus codicis corruptelas. Ceterum cum e tot fontibus derivata sit illa colluvies, easdem glossas saepissime bis vel adeo ter repetitas exstare consentaneum est.

[2]) Ut rem ita se habere doceam, paucissimas ex Amplonianis glossas eligam, quas in Vossiano item repperi, alibi nusquam.

	cod. Amplonianus:	cod. Vossianus:
p. 280, 48:	cittis : tenuis pallis inter grana	citis : tenuis pellis iter granae
p. 288, 142:	cluamentia : stultitia	cliuentia : stultitia
p. 284, 334:	cata : nomen proprium uiri	cito : nomen proprium uiri [*cito*, sed inter *ca*-]
p. 290, 300:	creta : stercus spurititia, unde execrare spurcitia iecere	creat : stercus spurcicia, unde excreare dicimus spurcicias eicere

Harum lemmata scribe: *ciccum, amentia, Cato, crea.* Extremae glossae memoria Vossiana longe praestat Amplonianae.

3. De glossario Amploniano tertio.

Tertium codicis Amploniani glossarium 795 fere glossarum quamvis et parvulum et dilaceratum, omnium tamen quotquot novi maxime mirum et prorsus singulare est. Traditum est autem in codice inde a f. 34^{v}c 'NUNC ALIAE XUI[1]) EXIGUAE | SECUNTUR | Absonum: sine sono Absolutiuum: uoluntaria dimissio famuli Abauus: tertius pater Abigeius: latro Abusus: foruerit Ablegatio: legȧtio' usque ad f. 37^{v}c: 'Lens: lenticola Lendix: cinis Lens: lentiginis Laticlauum: latum circum s ... um Lignariũ: ligneũ. & ÷ fiñ.' Omisit Oehlerus 48 glossas. Hic illic adscriptas habes voces anglosaxonicas. E verbis illis extremae glossae adnexis 'et est finis' apparet nihil in hoc codice post folium 37 intercidisse: at interciderunt duo folia inter f. 36^{v} et 37^{r}, qua lacuna *c* litterae finis, integrae *d e f g*, principium *h* litterae absorpta sunt. Horum autem aliqua certe pars eiusdem glossarii quodam fragmento traditur, quod eum qui edidit, Ferdinandum Deycks, eiusdem atque Amplonianum memoriae esse latuit. Ille enim octo folia membr. saec. XI scripta, quae bibliothecae monasterii Werthinensis ad Ruram olim fuerant, in indice lectionum Monasterii Westphalorum a. 1854/5 edidit, fragmenta nimirum Amploniani glossarii, sed et multo emendatiora et ex parte pleniora. Eiusdem autem esse utramque memoriam glossarii statim agnosces, ubi fragmenti Deycksiani principium cum Amplonianis quae eodem spectant glossis contuleris:

Werthinensis p. 7a:	Amplonianus p. 271, 10sqq.:
Abnegator: negator	Abnegatur: negator
Abnormis: innumerabilis	Abnormis: innumerabilis
Abstemis: aque potator	Abstemis: aquae potator
Abies: genus palmae fructiferae	Abies: genus palmae fructifere

Fragmenti extremae glossae sunt p. 18b: *germen: flos uel stipula uiridis gincla: tumor sub auribus gingiba: caro, in qua dentes stant gilbus: flavus giberosus: gippus giler: genus ligni*, unde vides huic fonti deberi *c* litterae finem, *d e f* integras, *g* litterae principium, h. e. novas glossas fere 312,

[1]) Utrum XVI an XIII librarius scripserit non enucleavi.

quarum permulta interpretamenta dolendum est quod interciderunt. Etenim non tantum pleniora, verum etiam multo emendatiora sunt Werthinensia, id quod paucis locis facile potest comprobari:

	glossae Amplonianae:	glossae Werthinenses:
p. 271 b 24:	Accritus: in bono et in malo sugatitas	Acritas: in bono et in malo sagacitas
p. 271 b 19:	Accubitorium: amaritudo	Accubitorium: lectum regalem Acrimonium: amaritudo
p. 272 b 72:	Adilicius: publicę legis grargs	Aedilicius: publicae legis guarus
p. 273 b 134 sq.:	Ampusatio: una lectio fit	Amputatio: uuae lectio siue uineae
	Amputator: praecisor ramuscolorum viniae	Amputator: praecisor ramusculorum
p. 291 a 7:	Cada: caligo oculorum	Caecia: caligo oculorum
p. 275 a 225:	Asercualis: strata uia publica	Aserculus: strata uia publica

Raro scripturae Amplonianae praestant: velut p. 293 a 140 *coercitio*: *carcer*, *custodia*, ubi Werthinensis *coherticio*; p. 275 a 248: *auruginosus*: *ictricus* Amplonianus, Werthinensis contra *augurionosus*[1]). Saepe uterque eodem modó peccat, ut tamen appareat non glossarii scriptorem erroris auctorem fuisse, sed librarios. Velut p. 291 b 63, ubi Werthinensis exhibet *cancer*: *nomen infirmitatis exanilis* itemque (nisi quod *et* pro *ex*-) Amplonianus, non dubito quin *et anilis* sit pro *et anilis* h. e. *et animalis*. Similiter p. 292 b 117 neque Amploniani scriptura *clandor*: *ab exconso alterum lapidans*, neque Werthinensis *clandariüs*: *ab exconso a. l.* placet: scribendum est enim *clandarius*: *ex absconso alterum lapidans*[2]), quamquam *clandarius* vocabulum (ad *clam*, *clandestinus* pertinens?) nusquam alibi

---

[1]) Cf. Philoxenum p. 26, 47 *auruginosus*: ἰκτερικός.

[2]) Video nunc iam Oehlerum utramque coniecturam proposuisse. Quis non proponet? — P. 272, 58 = p. 7 b Deycks. uterque codex: *adferial*: *aqua qua mortuus lauatur* [*labatur* Ampl.]. Scribe *adferial*: *aqua, quae mortuis libatur*. P. 292, 94 = p. 13 a uterque: *cicua*: *mansueta*: scr. *cicura*. P. 271, 20 = p. 7 a uterque: *accuratus*: *cura sanitas*: scr. *cura sanatus*.

traditum est. Multo autem saepius litterarum terminationumque ordinis integritas et observata lex (quode statim videbimus) neutrum codicem errare persuadent, sed ipsum glossographum. Sic p. 274a 172 inter *apertilis* et *apex* lemmata glossam habes *apualis*: *sata tellus* utroque codice consentiente, sententia tamen nulla, cum glossator pro ARVALIS male legerit APVALIS[1]). Contaminationis indicia deesse videntur, cum p. 17b Deycks. glossa quaedam bis inserta (*feta*: *semen animalium* et *fetis*: *semen animalium*) altero tantum loco ab ipso glossarioli scriptore profecta sit.

Haec codicum manu scriptorum ratio. Iam accedamus ad enumeranda ea quae glossario propria sunt.

I. Nulla omnino vocabula explicantur praeter nomina. Semel monitus paene nullum locum aliter comparatum esse videbis. Ludibundus percurro *c* litterae primarum viginti glossarum lemmata: *cacula caluaria camena caecigena catena catenula caecia cata caliga casina cantilena camaria cauentia carnificina carnarium* — nihil nisi nomina. Cui quidem legi obtemperant 1105 glossae: obsunt tres, quae num quid valeant videamus. Atque p. 272a 36 e codice Amploniano glossa edita est *adisse*: *intrasse*, quae adeo legem non infringit ut potius comprobet: alia enim manu eam insertam esse codice ipso collato scio[2]). Glossa illa p. 343b 124 *insultare*: *contradicere* non dubito quin item aliunde invecta sit. Codicis autem Werthinensis glossa p. 17a *exulo, etc.* . . ., ubi interpretamentum intercidit, vel ob adiectum illud praeter morem *etc.* suspecta est, damnatur vero violata terminationum lege[3]), ad quam nunc transimus.

II. Nomina in hoc glossarium congesta alphabetico quidem ordine composita sunt, sed ita ut praeter duas vel tres

---

[1]) Eiusdem modi errores hi sunt: p. 272, 85 = 8a *aedilis*: *saginatus* (scr. *altilis*); p. 273, 161 = 9b *anciater*: *minister fidelis et occulta sciens* (scr. *arciater*); p. 18b Deycks. *gall* . . .: *perdix rustica*: insignis error, cum olim fuerit *gallina rustica*: *perdix*.

[2]) In cod. Werthinensi glossa non exstat, unde tamen cave quidquam concludas, cum quae secuntur duae glossae item desint.

[3]) Idem cadit in illam: *adisse*: *intrasse*. Contra glossa *insultare*: *contradicere* dubitari potest num legem violet: at hanc unam reliquarum 1107 consensum turbantem nemo non eiciet.

ab initio primas litteras etiam terminationum ratio habeatur. Id quod ita esse docebunt hae lemmatum series:

Ampl. p. 272a 59 sqq.:	Ampl. p. 293a 67 sqq.:	fragm. Werthin. p. 16a:
Aedicula	Conpatriota	Diuigena
Aequilibrium	Concha	Dimisoria
Aegrimonium	Conpendia	Diathima
Aevum	Concubia	Dictatura
Aegripumium	Conexa	Disulca
Aedulium	Confugium	Diliquium
Aequamentum	Convivium	Diverticulum
Aevulus	Congiarium	Divortium
Aesculus	Consultum	Dipondium
Aedituus	Contubernium	Didragmum
Aeratus	Conpluvium	Dictalium
Aerosus	Conventum	Duplomum
Aedimus	Contidianum	Ductarium
Aestuosus	Conciliabulum	Ducadetum
Aedilicius	Conuexum	Ducicadus
Aesculapius	Consponsus	Duplicuarius
Aerumnosus	Concinus	Duriosus
Aevimaturus	Conlibertus	Ductio
Aequorius	Concorporatus	Duplitas

Hinc vides ita collecta esse nomina, ut eaedem terminationes eodem semper ordine sequantur. Habes enim:

I[1])	II	III	IV
-a 14	*-a* 1	*-a* 5	*-a* 5
-um 1	*-um* 6	*-um* 10	*-um* 9
	-us 12	*-us* 4	*-us* 3
			-o 1
			-as 1

Unde hanc terminationum legem derivamus: *-a -um -us.* Quae ut suppleatur et quoad eius fieri possit integra indagetur, longiorum ordinum rationem habeamus necesse est. Qua in re lemmatum principia supra ponemus et numero singulis terminationibus addito quot eiusdem exitus nomina exstent indicabimus. Stellula lacunam codicis designabit.

[1]) V. lemmata p. 128 exscripta.

	in-	la-	ci-	fa-	cu-	de-	ca-
-a	7	11	6	*	6	*	14
-um	11 [1]	4	1	*	2	5	9
-us	38	18	1	11	7 [2]	6	23
-o	14	6	1	2	3	17	7 [3]
-as	5	2	0	3 [4]	0	*	0
-or	7	2	2	5	1	8	7
-er	2	3	1	2	0	0	4
-ur	0	0	1	0	0	0	0
-is	20	5	1	4	3	4	2
-x	1	2	2	2	1		
-ns	4	2					
-en	2						

Vides integram terminationum legem esse: *-a -um -us -o -as -or -er -ur -is -x -ns -en.* Atque in his quidem componendis denuo legem valere animadvertes, si quae coniungenda sunt coniunxeris:

-a . . . . . prima declinatio

-um, -us } . . . secunda declinatio

-o, -as, -or, -er, -ur, -is, -x, -ns, -en } . . . tertia declinatio

Longius etiam progredi quamvis possimus, non audemus tamen, re admodum lubrica ob concludendi materiae ieiuni-

[1]) Obstat p. 342, 32 'ingannatur*a*: sanna'.
[2]) Obstat 'curriculu*m*'.
[3]) Nimirum p. 291, 54 'cadocat*ur*' in 'caduceat*or*' mutandum est.
[4]) 'fabe*us*: sordes aurium' aperte corruptum est.

tatem. Hoc tamen satis certum sit post *-en* terminationem secutam esse *-e*.

Detecta haec artificiosissima componendi ratio non inutilis est ad emendandum glossarium. Namque ipsa lege saepissime ostenditur aut quid scribendum sit aut certe quae glossae corruptae sint quidque substitui possit, quid non item. Exempla pauca promemus.

P. 337 sq. Oehlerus has glossas edidit:

Hospicida: peregrinos occidens
Honorarium: mercis quae iudici datur
Honus: d, honor
Hornus: annotinus anniculus
Holitor: venditor holerum
Homiliatio: humanitas ex inprudentia
Humiliamanus: duerh
Humilitudo: humilitas

Vides glossarum ab *ho-* incipientium terminationes has esse: *-a -um -us -or -o*. At talis potius postulatur ordo: *-a -um -us -ò* (*-as*) *-or*, cui legi satis fiet si *humiliatio* pro 'homiliatio' scripseris. Iam vide, num quae secuntur terminationes *-o -us -o* recte se habeant: atque ibi quoque turbatum esse ordinem apparet. Atqui cum interpretamentum sit anglosaxonicum *duerh*, id est nostrum *Zwerg*, scribendum est procul dubio: *humilio*: *nanus*, *duerh*, unde tres habes ab *-o* glossas. Quod autem Leo proposuit *humilis*: *nanus duerh*, hoc vel terminationum lege refutatur. Oehleri coniectura *pumilio* fortasse non opus est; cf. Cyrilli p. 545, 49 glossam νανός: *humilio*.

P. 342, 12 apud Oehlerum haec lemmata habes: *imus immodicus imbrex immerentia inpensa*, unde haec series evadit: *-us -ex -a*, quae vitiosa est. Apparet pro '*im*merentia' scribendum esse '*in*merentia', quam scripturam in ipso codice postea repperi.

P. 343 sq. glossarum ab *iu-* incipientium hic ordo est: *-a -o -um -us -or -er*, ubi quod *-o* ante *-um -us* collocatum est non potest non offendere. Quae turbas movent hae glossae sunt:

Iugo: fine montium
Iuga: et bovum dicuntur

ubi 'iugo' etiam propterea suspectum est, quod praeter nominativos nullus casus in his glossis exstat. Quoniam autem aperte altera glossa prioris pars est et Amplonianus pro *fine* potius *fines* exhibet, non dubitabis sic restituere: *iuga*: *fines montium; iuga et bovum dicuntur.*

In fragmento Deycksiano glossae a *fe-* incipientes sic ordinatae sunt: *-a* (1) *-um* (3) *-us* (1) *-is* (1) *-us* (1) *-ur* (1) *-us* (1) *-o* (1) *-as* (2). Qui terminationum legis meminit quae *-a -um -us -o -as* ... postulat, glossas *fetis*: *semen animalium* et *femur*: *coxa*, quibus interrumpitur continua series, in dubium vocabit. Atque illam quidem apparet aliam non esse ac *feta*: *semen animalium*, falso hoc loco iteratam, hanc autem scribendam 'femus: coxa', unde novum testimonium redundat eius formae, de qua v. Ritschelium Opusc. t. II p. 438.

III. Tertium plane singulare illud est, quod haec memoria mere latina cum bilinguibus Cyrilli et Philoxeni glossariis certo quodam necessitudinis vinculo continetur. Nam rarissima quaeque Cyrilli vocabula in Amploniano Deycksianoque glossario comparent. Cf. quae collegimus:

glossae Ampl. et Deycksianae:		'Cyrilli' glossae:	
p. 337, 4:	Hospicida: peregrinos occidens	p. 549, 33:	ξενοκτόνοϲ: hospiticida
p. 338, 10:	Humilio: nanus duerh	p. 545, 49:	νανόϲ: humilio
p. 338, 9:	Humiliatio: humilitas [1] ex inprudentia	p. 631, 3:	ταπεινοφροϲύνη: humilitas, humiliacio
p. 342, 15:	Immolaticius: immolandus	p. 493, 15:	θύϲιμοϲ: immolaticius
p. 342, 39:	Inquassatus: immobilis	p. 368, 32:	ἄθραυϲτοϲ: inquassatus, infractus
p. 342, 41:	Insigniarius: qui militibus armaturam providit	p. 558, 39:	ὁπλοπάροχοϲ: insignarius, armiger
p. 342, 58:	Inglutinatus: non iunctus	p. 372, 2:	ἀκόλλητοϲ: inglutinatus
p. 343, 90:	Incolor: sine colore	p. 407, 9:	ἀχρῶοϲ: incolor, decolor
p. 343, 105:	Invenalis: quod venale non est	p. 394, 15:	ἄπρατοϲ: invenalis

[1]) Sic scr. pro *humanitas*.

p. 343, 128:	Inpuges: qui minores naticas habet	p. 394, 42:	ἄπυγος: inpuges
p. 15a:	Cultellarius: cultellarum opifex	p. 534, 41:	μαχαιροποιός: cultellarius
p. 15b:	Deo perosus: deo odibilis	p. 490, 3:	θεοστυγής: deo perosus

Non numquam integrae series in 'Cyrilli' glossis exstant: velut omnes hae *decessus*: *obitus, mors* *dediticius*: *tormentis redditus* *decissio*: *incisio cassus* *delassatio*: *tiurung.* Sed etiam cum Philoxeni et eis glossis, quae apud Labbaeum *e* nota insigniuntur, communes habet multas hoc glossarium. Velut compara glossas p. 292, 97 *cibicida*: *stercus comedens* [sic frgm. Deycks., *comeda* cod. Ampl.] cum 'Philoxeno' p. 39, 6 *ciuicida*: σκατοφάγος; p. 342, 30 *inquinabulum*: *pollutio* et p. 343, 92 *infenditor*: *unius causae cum alio conpar* cum Labbaei *e* glossis: p. 96a *inquinabulum*: μόλυμμα, p. 92b *infenditor*: σύνδικος.

Sed longius etiam progredimur. Demonstrari enim potest multa glossarioli interpretamenta e graeco in latinum sermonem translata esse, ut e glossis latinograecis mere latinae factae sint. Id quod re vera ita esse demonstrant menda vel errata, quae nisi graecum fuisse exemplum sumimus explicari nequeunt. Velut p. 279, 4 miram habes hanc glossam[1]): *babylonicum*: *sine aspiratione.* Peccavit misere qui transferre volebat *babylonicum*: ψιλή; ψιλή enim hoc loco genus tegumenti est, non grammaticorum terminus. P. 279, 45 quae exstat glossa *blanx* [hoc est βλάξ]: *bene moratus* non minus singularis est: ibi *bene moratus* debetur male intellecto graeco vocabulo εὐήθης. Cf. Philoxenum p. 30, 52: *blanx*: εὐήθης. P. 291, 62 *caducifer*: *praedicationis portator*: prorsus novum interpretamentum! Illustrat hominis stupidi errorem Cyrilli p. 515, 15 glossa κηρυκιοφόρος: *caducifer*, ubi κηρύκιον: ὃ βαστάζουσιν οἱ πρέσβεις (Cyr. p. 515, 13) et κήρυγμα: *haec praedicacio* (ibidem p. 515, 12) permutavit. P. 291, 21 habes *caulinum*: *catulus diminut̃* (*diminutive* frgm. Deycksii). Parum placet *catulinum* deminutivum: neque exstitit. Apud Cyrillum p. 610, 16 σκυλάκειον: *catulinum* illud σκυλάκειον non *catellus* est, sed *ad catulum pertinens, catulinum.* Iam

[1]) Cf. Ritschelii Act. soc. philol. Lips. t. IV p. 341 sq.

satis: scatet enim glossarium eius modi mendis. Hinc facile credideris multas glossas ad perspiciendum difficiles facillime posse explicari. Omnino autem qui bene memor est necessitudinis quae inter has et bilingues glossas intercedit, sine ulla difficultate maiorem corruptelarum partem emendare potest. Cuius rei exempla nunc non proferimus.

IV. Non neglegendum est denique illud quod codex archetypus figuris exornatus fuisse videtur, id quod iam Oehlerus e glossa p. 348, 50: *lancx*: *patina*, *tali figura* conclusit. Restat ut addamus neque in 'librum glossarum' fluxisse glossariolum, neque Scaligerum eius modi codice in excerpendis 'Isidori' glossis usum esse.

4. Glossarum Amplonianarum emendatiunculae.

1. Codicis Amploniani[2] p. 386, 16 glossa *vergentes*: *fortes* aperte corrupta et — ni fallor — etiam truncata est. Non displiceret mihi certe sic scripta: *veragines*: *fortes* [*feminae*]. *Veri vero verum* cet. ut vulgus ita etiam codices, quo ex numero Palatinos Plauti iam supra p. 75 commemoravimus. Cf. etiam ipsius Amploniani[1] glossas p. 385, 86 *veritim*: *singillatim* et 89 *viri cordati*: *bono corde*, ubi *viri* in codice ex *veri* factum est.

2. Foede corruptae sunt quas Oehlerus ibidem 19 sq. edidit glossae haec:

Veretrum: *virilia masculi quasi numen ignisque colabatur*
Vestiarium: *erogatio vestis urbe roma quam accipit miles*

Sciendum est in codice haec potius scripta exstare:

Veretrum: *virilia masculi quasi numen ignisquae colobatur in urbe roma*
Vectigal: *tributum fiscale, peculiaris erogatio paecuniae quae fuit in specul'o*[1])
Vestiarius: *qui vestibus preest*
Versanus[2]): *minus sanus*
Vestiarium: *erogatio vestis, quam accipit miles*

Alteram iam glossam, cuius lemma *vestiarium* est, codicis ope ab Oehleri corruptela vindicavimus: restat prior. Ibi

[1]) Scribendumne *quae fit in peculio*?
[2]) *Versanus* muta in *vessanus*.

medela mihi videtur afferri non posse nisi ita ut duae glossae compositae hunc fere in modum dirimantur:

Veretrum: *virilia masculi*

[*Vesta*: *dea*,] *quae colebatur in urbe Roma quasi numen ignis*

3. Ibidem *v* litterae glossa undecima sic edita est: *Vale*: *balnae lituralis*, neque aliter scriptam in codice repperi. Nemo est quin videat integram glossam fuisse talem *Baiae*: *balneae litorales*.

4. Amploniani[2] p. 357, 122 *pitecus*: *monstrum id sumit*. Scribe *id est simia*, quod cum vel qui caecutiat facile viderit non commemorassem, nisi exemplum esset satis planum *a* litterae formae quae est *u* male permutatae.

5. Amplonianus[1] p. 361, 168 exhibet: *prositinculo* (s supra n) *malleo*, hoc est *portisculo*: *malleo*. *Malleo* nimirum 'aegeatorum'.

6. Paulo ante hanc glossam p. 360, 144: *pudorem*: *tunicam talarem* pudorem paene movet dicere, *poderem t. t.* scribendam esse.

7. P. 341, 36 pro *inuechillis*: *sanguidus* scribe *inbecillis*: *languidus*.

8. P. 332, 16 *fanu*: *implet*: emenda *farcit*: *implet*.

9. P. 296, 104 *ditala*: *docto vel varia* e glossis a *di-* incipientibus eice, cum scribenda sit *daedala*: *docta vel varia* collato Pauli Festo p. 68, 6: 'daedalam a varietate rerum artificiorumque dictam esse apud Lucretium terram, apud Ennium Minervam, apud Vergilium Circen, facile est intellegere . . .'

10. *Imbrium collectio* uno verbo appellatur non *contiquiate*, quod p. 290, 270 habes, sed *conliquiae*.

11. *Lacus* dicebatur vas variis usibus inserviens. Huius vocis deminutivum vide num in glossa Amploniana[1] p. 344, 4[1]) *luculum*: *vas ligneum* lateat. Ibi quamquam una litterula mutata *laculum* scribere licet, tamen fortasse ne hac quidem mutatione opus est. Ut enim *lucuna* pro *lacuna*[2]) saepius co-

---

[1]) Apud Oehlerum *l* litterae quarta est: in codice vero non item, qui eam secundo loco scriptam exhibeat.

[2]) Vide Lachmannum ad Lucretium III, 1031 p. 205, cuius exem-

dices scriptum exhibent, sic de *lucus* forma pro *lacus* posita hoc quoque loco quispiam cogitaverit, quae tamen coniectura neminem fugit quam infirmo fundamento nitatur.

12. P. 346, 119, ubi Amplonianus *lepus laeporis, haera quae cum intro canit*, Epinalensem Moneus auctor est nihil nisi *lepus, leporis, hara* exhibere: ac re vera *quae . . . canit* verba ad aliud lemma referenda sunt, quod intercidit. Scribo autem sic:

[*Liticen*:] *qui cum lituo canit*[1])

13. P. 361, 151 *posticia*: *modica ianua*: cum Apuleius *posticula* voce usus sit non dubitabis lemma *posticla* scribere.

14. P. 373, 71: *rumen*: *quidam sinus in regula certorum animalium in quo servant cibos quos propterea narrandus*: glossa intellegi nequit nisi sic scripseris *rumen*: *quidam sinus in gula certorum animalium, in quo servant cibos, quos postea ruminantur.*

15. P. 290, 314 glossa exstat, quae diu mihi obscura fuit, haec: *curritis*: *qui ovem mutriere.* Nunc scio sine ulla dubitatione scribendum esse: *Curetes*: *qui Iovem nutrierunt*; *mutriere* enim Oehlerus, non ipse codex, qui *mutrierunt* exhibet.

16. Non unam glossam esse apparet hanc apud Oehlerum p. 267, 98: *acutum*: *sine mora summotum vel turris sarcula tacerva fra quod sacri ficiis adibebatur.* Quae si me sequeris sic in integrum restitues:

Actutum: *sine mora, summotum*
Acerra: *turis arcula*
Acera: *far, quod sacrificiis adhibebatur*

17. P. 267, 95: *aconi*: *populi.* Populus ut videtur non notus. Scribe *aconae*: *scopuli.*

18. P. 332, 48: *figulina*: *siglina* non in ipso codice scriptum exstat, sed *figulina*: *non siglina.* Itaque *s* litterula in *f* mutata restitue *figulina*: *non figlina.* Praeceptum est grammatici cuiusdam, pleniorem illam formam praeferentis.

19. P. 335, 67: *gerulus*: *suaspor negatio.* Huius glossae

---

plis adde codicis Amploniani[2] ined. p. 348 post 82 glossam *lucunaria*: *tectum deauratum.* Quod quidem testimonium fortasse certius etiam est Lachmannianis, cum *lu-* illud litterarum ordine defendatur.

[1]) Adde eiusdem glossarii p. 346, 144 glossam *liticines*: *cornicines.*

interpretamentum Leoni anglosaxonicum esse videtur, id quod non verum est. Emenda: *gerulus*: *suassor negotii.*

20. Ibidem 87: *gratae*: *caellae apium et gratiae.* Sic codex, non *vel gratiae.* Duo vocabula vides explicari: alterum *crates*: *cellae apium* (cf. Vergilii de apibus versus Georgic. IV, 212 sqq.: 'rege incolumi mens omnibus una est: Amisso rupere fidem, constructaque mella Diripuere ipsae et crates solvere favorum'), *grates*: *gratiae* alterum.

21. P. 290, 271 *conclavia*: *cubila adversarius usus clausa.* Emenda: *cubilia ad varios usus clausa.*

22. Corruptissimam glossam p. 269, 255 *amellum*: *caterva ruinarum* sic scriptam *armillum*: *crater, vas vinarium* e glossis ab *am-* incipientibus eice. Ceterum propius ad verum ipse codex accedit, cum *ruinarium* exhibeat.

23. P. 270, 309: *areartustuus*: *hereticus erictus.* Nullam novi glossam quae foedius corrupta sit. Priorem interpretamenti vocem missam faciemus, utpote in codice lineola deletam. Restat *areartustuus*: *erictus*, quod sic emendaverim: *arrectus*: *arduus, erectus.* Qua coniectura qui evidentiorem protulerit, facile me habebit assentientem.

24. P. 368, 149: *pos inter superfluum conpositum opere quadratum* codex exhibet, ubi Oehlerus *quadrato* tacite correxit. Locus sic persanandus est: *pos*: *iter super fluvium, conpositum opere quadrato.*

§ 6.

De glossario quodam optimo, unde pendent codd. Vindobonensis 2404, Vaticanus 3320, Sangallensis 912, alii.

Exstitisse videtur glossarium egregium, quod non iniuria ob glossarum ad antiquissimos scriptores spectantium copiam cum Placidi glossis comparaveris. Cuius glossarii hoc proprium est quod omnes illae glossae a 'libro glossarum' absunt. Non iam exstare videtur: ut autem re vera exstitisse credam ea ratione permoveor, quod in certis quibusdam codicibus easdem semper redire video bonae notae glossas. Quodsi ex uno quodam glossario has glossographorum reliquias fluxisse negaveris, nihilo tamen minus eos quos

in mente habeo codices inter se cognatos esse tibi concedendum est.

Codex Vaticanus 3320[1]) m. saec. IX f. 1—212r glossarium exhibet integrum, quocum proximae necessitudinis vinculo coniunctum esse codicis Vindobonensis 2404 [CDXIX Endlicheri] fragmentum octo foliorum 4° m. saec. IX scriptorum et ad *A B* litteras tantum spectantium non difficile est ad demonstrandum. Paene idem utriusque glossarii titulus:

Vindobonensis:	Vaticanus:
Incipit liber aethimologi, id est de proprietate sermonum vel glosa, hec est hermeneumata ab A usque Z	In nomine domini incipit liber ethymologiarum, id est de proprietate sermonum vel glosa. hoc est hernineumata ab A usque in Z

Neque minus consentiunt *a* litterae utrobique principia:

Vindobonensis:	Vaticanus:
Aa: uox dolentis est idê uacuae	Aa: uox dolentis est id est ueue
Ab: ablatiui casus idest absens	Ab: ablatiui casus est id est absens
Abba: pater. Abacta: immolata	
Abacta: expulsa, exclusa	Abacta: expulsa, exclusa

Denique glossas exquisitas permultas et in Vindobonensi et in Vaticano exstare scio. Endlicherus enim in catalogo codd. philol. lat. bibliothecae Vindobonensis a. 1839 evulgato p. 295 'notabiliores' glossas ex illo edidit 64[2]): alias Hartelius mihi commodavit. Longum est enumerare omnia ac ne opus quidem, cum titulum et principium adeo consentire viderimus.

[1]) V. Augustum Wilmanns in Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 381. Ex eodem codice non nulla enotata debeo Guilelmo Meyer. In singulis eius paginis binas 'columnas' habes, quarum in marginibus *aba abc abd* . . . litterae rubro colore pictae sunt. Ac priore quidem columna glossae continentur ad hunc fere ordinem *aa ab ac* . . . digestae, altera autem eae, quae glossarii scriptori non latinae esse videbantur, ordine litterarum multo minus accurate observato.

[2]) His glossis ducibus facile demonstrari potest Angelum Mai codicem Vaticanum 3320 in Class. Auct. t. VI p. 501 — 551 excerpsisse. Ex eis enim, quas Endlicherus e gemello plane codice Vindobonensi edidit, viginti sex apud Maium quoque exstant: atque *b* quidem litterae glossae Endlicheranae una excepta omnes. Accedit quod codicem aliquem Vaticanum saeculi IX se expilasse Maius ipse dicit in praefatione p. VII.

Cum horum codicum glossario (non glossariis) proxime cognatam esse Leidensem quandam memoriam nunc demonstrabimus. In codice Vossiano 8⁰ 24 chartaceo, cuius indicem habes in catalogo p. 387a, post 'glossarii opus egregium totius linguae latinae vocabulorum copiosissimum' aliud glossarium sequitur in catalogo non commemoratum, cuius apographo Burmanniano usus sum. Incipit *abante nocte*: *vespera incidente*, explicit *vadimonium, evadimonium.* Codex ille Vossianus, unde descripsit Burmannus, procul dubio vetustioris memoriae apographon est. Glossarium non nimis amplum duas materias plane diversas exhibet: notarum Tironianarum lemmata permulta[1]) et glossas optimae notae fere totidem. Hanc autem glossarii partem una cum Vaticano et Vindobonensi ex eodem fonte pendere vel principium glossarii cum his collatum ostendit:

Vossianus:	Vindobonensis:
abante nocte: vespera incidente	abante nocte: uespere incidente
ab alneatibus: a praesentibus	abaluearibus: apresepibus
abantes: mortui, quos Graeci aliquantes appellant	abantes: mortui, quos graeci alibantes appellant
ab arce: ab urbe	ab arce: ab urbe
abaruncit: abalienit	abaruncit: abalienit, auertat
abcrepitus: signum, quod cum pavore solemus audire	abstrepitum: signa, quę cum pavore solemus audire

In eodem glossario Vossiano permultae insunt glossae ad Terentium spectantes, sicut etiam in Maianis tomi VI excerptis, id quod pluribus demonstrare longum est. Ceterum Terentianae illae apud Maium glossae e Vaticano 3320 fluxisse possunt, possunt etiam aliunde derivatae esse: Vossiani memoriam cum Vaticano Vindobonensique artissimo cohaerere vinculo certum est.

Cum codicibus Vaticano Vindobonensique consentit etiam codicis Sangallensis 912[2]) praecipua glossarum materia. Sangallensis praeter Vaticanum 3321 omnium codicum quotquot hac usque noti sunt vetustissimus, membr. saec. VII—VIII litteris uncialibus scriptus, 12⁰ 14 vel 15 in singulis paginis

[1]) De his plura alibi dabimus.
[2]) Cf. catalogum a. 1875 editum p. 330 sq.

versibus, p. 4—320 unum glossarium exhibet inde ab 'abba: pater ababus: tritaui pater abacta: immolata' usque ad 'zelus: emolatio zizania: lolium zirotha: series zima: olla zipherus: uentus' pertinens. Subscriptum est 'EXPL. ERMENEUMATA | DÕ GRATIAS AMEN.' Largissimam glossarum inde excerptarum copiam Usenero debeo. Principium glossarii exscribam et Vindobonenses glossas iuxta apponam:

Sangallensis 912:	Vindobonensis 2404:
1 Abba: pater	3 Abba: pater
2 Ababus: tritaui pater	
3 Abacta: immolata	4 Abacta: immolata
4 Abactus: ab acto remotus	7 Abactus: abactoremotus
5 Abantes: mortui	11 Abantes: mortui quos greci alibantes appellant
6 Abaso: infirma domus	12 Abaso: infirma domus

Addam exquisitiores nonnullas glossas utrobique traditas:

Sangallensis 912:	Vindobonensis 2404:
p. 4 Abellum: agnus recens n[a]tus	Abellum: agnus recens natus
p. 4 Abigeius: qui tollerem aliena	Abigeius: qui tollit rem aut peculium alienum
p. 6 Abunda: panici et millei follicoli	Ablunda: panici et mellei folliculi
p. 6 Abrepticius: furiosus	Abreptius: furiosus, ariolus
p. 8 Abstote: recedite, abite	Abstote: recedite, abite
p. 13 Aelam: porticum	Aelam [1]: porticum
p. 14 Aeuitas: aetas	Aeuitas: aetas

Vides codicem s. IX scriptum pleniores glossas exhibere Sangallensi membrana duobus paene saeculis vetustiore.

Sangallensis glossarii ordo hic est *aba- abb- abc- abd- abe-* ..., hoc est trium litterarum ab initio primarum ratio habetur. Non rarus autem hic potius ordo: *ab- ac- ad- ae-* ... Non desunt denique illius ordinis vestigia ubi praeter primam litteram vocalis tantum respicitur: cf. *b* litterae lemmata: 'b*a*bigera b*a*rginę bl*a*sto b*a*ccilatix b*a*xem b*a*ntridę b*a*ltha b*a*rcus b*a*ssarides b*a*riona br*a*uium br*a*cata br*a*beuta bl*a*x bl*a*ttet b*e*tere br*e*fotrofium bl*e*nones bl*e*sus'. Rarissime glossas si non e Nonio, at certe ex eisdem una cum hoc fontibus petitas repperisse mihi videor. His qui glossis utitur,

[1]) Hebraicum est.

ei non neglegenda est copiosissimi cuiusdam glossarii Leidensis aliqua pars.

Codice Leidensi bibliothecae publicae 191 (v. catalogum p. 333a) membr. tres materiae glossematicae continentur:

1) glossarium latinum: incipit 'abicier: abici, proici abies: dan. bom abiciatorium: alphabetum', explicit 'ydor grece, latine aqua dicitur; inde ydropisis infirmitas et ydropicus infirmus et ydria vas aquaticum ystrio: ioculator'. Hoc glossarium ego non novi. Videtur non malum esse.

2) 'Festi collectanea' inde ab 'augustus: locus sanctus' usque ad 'zabulus: diabolus zaberna: mantica'. Excerpta sunt e Paulo petita et cum aliis glossis (bonae notae, ut videtur) ita coniuncta, ut Pauli 'collectanea' praecedant, subsequantur in singularum litterarum finibus aliae glossae.

3) Copiosum glossarium 'incipit de diversis vocabulis' inscriptum, cuius prima glossa est: 'Alleluia in latinum sonat laudate dominum: ia unum est ex decem nominibus dei, quae apud Hebraeos habentur'. In severiorem ordinem redegit et descripsit Burmannus, usus ille eiusdem glossarii alio codice, quem puto esse librum in Geelii catalogo p. 155 n. 492 descriptum: 'XVIII Per. Q. 90. cod. chart. XVIII saec. 81 fol. in 4°.' Apographon est cod. membr. bibl. publ. Traiectinae N. 283B a P. Bondamo confectum. Glossarium autem duobus hisce codicibus[1]) servatum 'voces exhibet quae in vulgata latina versione s. scripturae et etiam in prologis Hieronymi occurrunt, secundum ordinem librorum'. Hinc vides unde factum sit ut excitentur 'vetus versio' (frequentissime) 'alia editio' 'Symmachus et Theodotion' 'Septuaginta' 'Adrianus' 'Theodorus' 'liber Hebraicarum quaestionum' 'Sanctus Hieronymus' 'Hieronymus in vita sanctae Paulae'. Praeterea afferuntur 'liber Antonii' (53 locis), 'liber officiorum' (4 locis), 'liber rotarum' (12 locis), Pomponius (Carmelum Pomponius fluvium dicit). Haec omnia ad doctrinam glossematicam investigandam nihil faciunt: sed restat glossarii particula, qua glossae hoc nomine re vera dignae continentur. Inter has

[1]) Non dubito quin plures etiam codices exstent. Velut unus erat penes Goldastum, qui in Paraeneticis p. 136 haec excitat: 'glossae veteres *in lib. Rotarum faria: eloquia*'. Eadem glossa in Leidensi exstat.

autem et Sangallensis 912 glossarium proxima intercedit necessitudo. Compara, quae ex utroque fonte petita composuimus:

cod. Leidensis 191[3]:	cod. Sangallensis 912:
Abas: infirma domus	p. 4 Abaso: infirma domus
Alux: polix in pede	p. 18 Alux: pollex in pede
Arseria: vas vinarium	p. 25 Arceria: uas uinarium, cum quo uinum ad aras ferebat
Discerniculum: ornamentum capitis mulierum	p. 83 Discerniculum: ornamentum capiti mulierum
Exvertuam: pauper factus sum	p. 98 Exumptuaui: pauper factus sum
Iocima: viscera	p. 126 Iocinora: uiscera

Sed non deest ni fallor quartus earundem bonae notae glossarum fons. Montefalconius enim in bibliothecae bibliothecarum t. I Parisiis a. 1739 ed. p. 216a e glossario quodam Casinensi excerpta protulit, quorum in prima parte[1]) permulta exstant ad eas de quibus loquimur glossas spectantia.

Glossae Casinenses:	Glossae Vindobonenses et Vossianae:
abencat: eradicat	abemeat: eradicat (Vi.)
abellus: agnus recens natus	abellum: agnus recens natus (Vi.)
abigellus: quod tollit rem aut peculium alienum	abigeius: qui tollit rem aut peculium alienum (Vi.)
abunda: panici et mellei folliculi	ablunda: panici et mellei folliculi (Vi.)
aripus: gladius falcatus	aribus: gladius falcatus (Vi.)
arillator: id est mercator	arillator: mercator (Vo.)
ascer: sanguis cruor	ascer: sanguis cruor (Vo.)

[1]) Sic nempe Montefalconius: 'Vocabularium insigne annorum circiter 700. Incipit *abba syre, graece pater, latine genitor*. Haec selectiora notavi [secuntur 30 glossae]; secunda manu 500 annorum [ex his multae ad μέτρα — *emina vini*, *olei* — spectant]; secunda manu 400 annorum [paene omnes ad pondera et mensuras spectant]'. Ceterum glossaria Casinensia digna sunt in quae accuratius inquiratur, inprimis codices 218 et 402 saec. IX, 401 saec. X, 217 (num forte Montefalconii liber?) saec. XI—XII scripti, quibus omnibus glossaria contineri scio e libri 'bibliotheca Casinensis seu codicum mss. qui in talario Casinensi asservantur series . . .' inscripti t. I a. 1873 edito. Ipsius autem huius glossarii cuius in memoriam nunc inquirimus codices in bibliotheca illa exstare vel certe exstitisse videntur. In 'catalogo enim mss. quos bibl. Casinensis habebat a. 1532' inter alia haec glossaria enumerantur: 'lib. vocabulor. sine princip. incip. *a A vox*' [cf. Vindobonensis et Vaticani

Has glossas optimas esse vel ex eis quae modo excerpsimus apparet. Omnium autem minime notae sunt propterea quod neque in 'librum glossarum' manarunt, neque inter Isidorianarum fontes fuerunt. Dignissimas autem esse quae accurate colligantur mihi persuasissimum est. Tam saepe enim una cum Festo ex eisdem antiquissimis fluxerunt scriptoribus, ut inter pretiosissimas glossographorum reliquias eas referre non dubitem. Quod autem Festi memoriam feci cavendum est ne quis glossas ex hoc vel Verrio Flacco derivatas esse opinetur: quae quidem opinio non minus perversa esset quam si quis idem de Placido statueret. Similes nempe sunt, utpote eorundem locorum scholia a diversis glossographis adnotata. Ut autem quam non vulgares sint ipse videas, scito glossas *aptra*: *folia vinea* ad Titinium, *aceries*: *securis quam flamines aut pontifices habent* ad Plauti nescio quam comoediam, *axitiosae*: *consupplicatrices dictae* ad eiusdem Astrabam[1]), *agea*: *via in navi longa, qua remiges hortantur cum nolunt ambulare*[2]) ad Ennium referendas esse.

§ 7.

De glossariis codicum Vaticani 3321 et Leidensis 67 E.

Omnium codicum glossas mere latinas exhibentium vetustissimus esse videtur Vaticanus 3321 membr. saec. VII litteris uncialibus scriptus, quode Wilmannsius in Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 381 egit. A—P litteras Mendels-

---

principium: *aa uox dolentis est* . . .] et 'al. anticus inc. *aa dolent*' [cf. idem principium].

[1]) Vel ut accuratius dicam, Servii Claudii interpretamentum est ad illius fabulae versum spectans.

[2]) Glossa non omni ex parte plana, qua tamen duce Isidorus Orig. XIX, 2, 4 emendari potest. Ibi habes: 'agea viae sunt vel loca in naui, per quae ad remiges hortator accedit. De qua Ennius [annal. v. 484 p. 72 V.]: *multa foro ponit et agea longa repletur*'. Permira verba *vel loca* sive ipse Isidorus iam corrupta repperit sive librarii demum corruperunt, nata sunt e *longa*, ut scribendum sit: 'agea: via est longa in naui, per quam ad remiges hortator accedit'. Comprobat scripturam versus Ennianus, suadet glossa supra excitata, non dissuadet Pauli Festus p. 10, 10.

sohnius meum in usum excerpsit. Titulus est f. 1^v^: '... isalectorio. In nomine dei summi incipiunt glossulas diversarum rerum nominibus seu uocabulis per singulis litteras appellandis ab A usq. V recapitulantes singulas per vocales et semivocales et liquidis et mutis recte per ordinem consequentes'. Incipit f. 2^r^ 'abstrusa: abscondita abdicat: alienat uel respuit abactus: ab actore motus abstemius: sobrius' (proxima lemmata sunt: 'abrogare absistit abaso abiit abstinet abutitur abutimur abusitatus abnepos'), explicit f. 163^r^: 'ulne: brachia ũ. inferi uuerta: satieta uulgo: populi passim ũ. omnes.' Lemmata et interpretamenta singulis versibus continentur. Ordo est: *ab- ac- ad- ae-*; tertiarum a principio vocum litterarum ratio non habetur. Rubris litteris inscribi solet: 'DE A ET D' (f. 5^r^) 'DE A ET E' (f. 9^r^), 'PER H ET E' (f. 69^v^), similia. Quaternio tertius intercidit, unde maxima inter *ap-* et *bu-* lacuna nata est.

Liber omnium vetustissimus non solum plenam glossarum formam saepe solus servavit, sed etiam perbonae notae glossas aliunde non notas multas. Utriusque generis exempla infra poteris colligere, ubi ad formas vocesque e glossariis hauriendas perventum erit. Nunc nihil moneo praeterquam quod glossae Apuleianae non paucae inesse videntur. E minoribus glossariis librum collectum esse eaedem glossae saepissime repetitae docent. Disci autem potest e tam vetusta membrana, quam foede corruptae fuerint glossae iam saeculo VII: dici enim nequit quot quam paene horridis corruptelis glossarium scateat. Pauca delibabo e sescentis exempla: *adycla* et *adycle* f. 5^v^ = *adsecla adseclae*; *conti euete* f. 29^r^ = *conticuere*; *deterimi* f. 41^r^ = *decermina*; *histispidem* f. 70^v^ = *hostispices*; *naur* f. 101^r^ = *nauus*; al. Permulta corrupta repperisse iam eum qui glossas collegit ordo litterarum ostendit. Hic illic insertas habes glossas graecolatinas, velut *admaton*: *inpossiuile* (f. 7^r^), *adtaforos*: *communis* (f. 7^r^), *epte*: *septe* (f. 51^r^).

Hoc e codice nunc demonstrabimus Angelum Mai multas glossas in Cl. Auct. t. VI (a. 1834) p. 501—551 edidisse. Quibus quidem excerptis satis incuriose[1]) titulum ille

[1]) Titulus non nullos fefellit, velut Ant. Millerum qui in diurnis

praescripsit 'glossarium vetus ex membranis bibliothecae Vaticanae', cum in praefatione p. VII ipse narret hoc non unum glossarium esse, sed collectanea ex octo codicibus Vaticanis derivata. Quo ex numero tres 'ab initio ad calcem expilavit: codicem unum mirabilem litteris grandibus saeculi ferme VI, alterum saeculi IX, tertium denique saeculi XI'; reliquorum quinque (unius s. X, trium s. XI, unius s. XII) *A* et *B* litteras tantum excerpsit[1]). Codicem autem illum 'mirabilem' Vaticanum 3321 esse inde apparet, quod glossae quaedam alibi non traditae et in hoc codice et inter Mai excerpta exstant. Accedit quod earundem glossarum easdem corruptelas et hic et illic habes. Res tam plana est, ut exempla proferre nolim. Permultas glossas Maium ex hoc fonte hausisse atque neglegenter quidem excerptas non minus facile demonstrari potest.

Cum vetusto hoc glossario artissimo necessitudinis vinculo coniunctum est egregium quoddam Leidense. Codex Leidensis 67 E membr. s. IX 65 foliorum, olim 'bibliothecae Bartholdi Nicolai Krohn, Past. ad D. Mar. Magdal. Hamburgi', bipertitis paginis ita scriptus est ut singulis 28 versus contineantur. Librariorum manus variant. Hic illic posterioris aetatis manus paucas glossulas interpolavit, velut f. 1ʳa; 12ʳb; 19ʳa; alibi, quae additamenta pallidiore atramento quam reliqua scripta sunt. Pertinet inde a f. 1ʳa 'abutere: male utere ab usu: trahere abnepus: qui natus de pronepote' usque ad f. 61ᵛa 'zelotipus: ab omnibus timens uel

---

bav. t. VI (a. 1870) p. 296 haec scripsit: 'Mai VI . . . ein Glossar das, wenn Mai's Annahme richtig ist, als das aelteste der jetzt vorhandenen zu bezeichnen waere.'

[1]) Sic cum rem instituerit non mirum est quod glossas arte inter se cohaerentes dissecuit, velut *limbunculus*: *quod supra* (p. 532 a), *parimola*: *quod supra* (p. 538 a), *praeante*: *ut supra* (p. 540 b). Ibi deest quo 'quod supra' referri possit. Discerpsit Maius talia glossarum paria, qualia velut in Leidensi 67 F¹ f. 41ᵛb et 46ᵛb habes:

praecellit: excellentior cunctis
praesedit: quod supra

salsus: sapiens aut ornatus temperatus
sale conditus: quod supra

suspicans zona: cinculum zypheri: uenti'. Excipit parvulum alterum multo minoris momenti inde ab 'Incipiunt glo|se noni cum | ciceronis. | accusat . .' usque ad f. 65^va 'yperbaton: circuitus' pertinens atque e Ciceronis personati synonymis maximam partem derivatum. Denique in f. 65^vb variae manus varia scripserunt, velut 'Ego gislebertus'.

Glossarium prius 60 fere foliorum ac paene 6000 glossarum multa continet singularis bonitatis vestigia. Integrum librum Lipsiam transmissum descripsi. Eiusdem glossarii codice aliquo Scaligerum in excerpendis 'Isidori' glossis usum esse supra demonstravimus. Scaligeri memoria videtur praestare cum ab ubertate tum a scripturarum indole. Leidensis enim codex in finibus *c p s t* litterarum aperte truncatus est: desunt nempe glossae a *cr- cu- cy-*, *ps- pu- py-*, *sp- st- su-*, *tu- ty-* incipientes. In fine *s* litterae olim exstiterunt cum aliae tum glossae a Vulcanio p. 695, 34—40 editae. Praeterea autem non nullas Leidensis breviatas exhibet, integras Scaligeranus, quode cf. supra p. 6. Ordo litterarum est *ab- ac- ad-* . . . Insertae sunt glossae hebraicolatinae non paucae (f. 1^vb—2^ra 28 eius modi glossarum series continua exstat); graecolatinae tales quales in Vaticano 3321 (f. 6^rb *amortulus*: *peccator*); synonymicae (f. 9^rb *auidus*: *auarus*, *apetens alieni*, *insaciabilis*, *inexplebilis*); Vergilianae multae. Exquisitarum glossarum series a vulgarium grege secludi possunt, velut f. 12^vb eae quarum prima est *caput tangens culicis*, quam scribe *cataputia*: *genus calicis*. Non desunt glossae quae aliquo modo ad Festum redire videantur, sed paucae sunt, quo in numero *cappe*: *equi marini* f. 12^vb; *uitilico*: *macula alba in corpore; alfon grece et proran uocant* f. 60^ra; *tolleno*: *genus machinae aquariae* f. 57^ra; aliae. Glossas miserrimum in modum corruptas ipse codex facit ut facile emendare possimus; saepissime enim easdem bis recepit. Quam rationem gravissimi ad κρίσιν exercendam momenti exemplis non nullis illustrabimus.

f. 43^vb: obrituit: obstipuit	f. 44^ra: obrutuit: obstipuit
f. 44^ra: obconi uere: mori	f. 44^rb: obcumbere [1]: cadere, mori

[1]) *ob-* in *oc-* mutatum est.

f. 26^{v}b: flegoas : nomen sacerdotis	f. 26^{v}b: flegotis : nomen serpentis
f. 53^{v}b: scirus : uas poculi	f. 54^{r}a: scyfus : uas poculi
f. 53^{v}a: sanna[1] : sponsor	f. 54^{r}a: sconnor : sponsor
f. 45^{v}a: palla : uestis superior	f. 46^{r}a: palla : uestis superioris, clamid̃

Vides hoc modo corruptelas facile sanari posse[2]. Praeter talia glossarum paria alia exstant, quorum lemmata utrobique eadem sunt, interpretamenta tamen paullulum discrepant. Haec indicia esse solent, unde glossarium e duobus maxime fontibus conlectum esse conicias. Cf. supra p. 20 glossas, quarum lemma est *quisquilias* et praeterea hasce:

f. 58^{v}b: uelites : qui portant lanceas tantum	f. 59^{r}a: uelites : qui portant leuia tela
f. 58^{r}b: uesperugo : stella horae primae noctis	f. 58^{v}a: uesperugo : stella uesperae
f. 53^{v}a: scrupus : lapidum minutorum cumulus	f. 53^{v}a: scrupus : terra minuta dura[3]
f. 22^{r}a: ergastulum : locus damnatorum, ubi marmora secantur, id est metallum[4]: siue priuata custodia	f. 22^{r}a: ergastulum : locus ubi damnati aut marmora secant uel aliquid operantur; nam graecum est et latine metallum appellatur[5]

Non raro lemmata in falsas litteras inserta sunt, principio vocis corrupto: *bacti* : *conpulsi* (f. 9^{v}b = *coacti*), *dadis* : *erumna* (f. 15^{r}a = *clades*), *facax* : *acutus* (f. 25^{r}b = *sagax*), alia. Glossarium e pluribus contaminatum esse inde facillime perspici potest, quod non nullae glossae aliis insertis in duas partes separatae sunt. Cf. f. 25^{v}b:

Fauonius : uentus
Fabulones : fabularum inuentores
Fabonius : etiam dicitur solius radius, qui non numquam aut uitro aut argento percusso uagica tremuli fulgoris emula claritatis resplendet

Fabulones : *fabularum inuentores* glossa continuam vides inter-

[1]) *sanna* cod., sed inter *sc-*.
[2]) Primae glossae lemma scribe *obmutuit*, quintae *sculna*.
[3]) Codicis corruptelas tacens correxi.
[4]) Cod. *ubi metalla secunt idẽ marmora*.
[5]) Cod. *edatinẽ etalluma pellatur*.

10*

rumpi hanc glossam: *Fauonius: uentus; fauonius etiam dicitur solis radius, qui non numquam aut uitro aut argento percusso, magice tremuli fulgoris aemula claritate resplendet*[1]). Non aliter comparatus est hic locus f. 24ʳa:

exasse: heres esto
extorris: exul quod extra terras suus
exintegro: ex omni patrimonio

ubi eiecta hac glossa 'extorris: exul, quod extra terram suam .... [interciderunt non nulla]' particulas disiectas sic coniunge: 'ex asse heres esto: ex integro, ex omni patrimonio'. Memorabile hoc glossarium si cum aliis comparaveris videbis

I. optimas, h. e. exquisitas et huic memoriae proprias glossas in 'librum glossarum' non receptas esse, id quod item cadit in codicem Vaticanum 3321;
II. permultas harum glossarum etiam in glossario Amploniano secundo comparere,
III. multo etiam plures in Vaticano 3321.

Atque cum hoc quidem codice proxima intercedit necessitudo, quam rationem lectori ante oculos ponam exscripta continua codicis Leidensis glossarum serie, cui quae in Vaticano respondent iuxta apponam:

Leidensis 67 E f. 1ᵛ sqq.:	Vaticanus 3321 f. 2ʳ sqq.:
48 Abolire: de memoria tollere	
49 Abusiue: dispecte	76 Abusibae: dispectae
50 Ab ineunte aetate: ab ipsis rudimentis infanciae	23 Ab ineunte etate: ab ipsis rudimentis infantiae
51 Absalute: manifestae	24 Absolute: manifeste
52 Adducit: abstrahit, absportat	29 Abducit: abstrahit uel asportat
53 Abditi: absconditi, tecti	
54 Abiunt: redeunt, uadunt	66 Abeunt: uadunt ū ueniunt
55 Abis: recedis, uadis	68 Abis: recedis
56 Abnueram: non reciperam, refelleram	69 Abnueram: non receperam
57 Ab stirpe: ab origine	70 Ab stirpe: ab origine uel a genere
58 Absono: praepostero, absurdo	71 Absono: absurdum ū prospero

[1]) Memorabilis glossa, quam nondum persanavi.

59 Abscedit: discedit	54 Abscedit: discedit
60 Abicione: discessione	72 Abitione: discensione
61 Abira coeptabat: ire incipiebat	83 A$\stackrel{b}{c}$ceptabat: ire incipiebat (*b* manu prima superscr.)
62 Abitudo: abitus corporis s̃ cultus uestimentorum	73 Abitudo: abitus corporis ū uestium
63 Abdicatus: condempnatus	74 Ablegatus: condemnatus
64 Abicitur: contemnitur	
65 Abiurgare: negare	87 Abiurgare: negare
66 Abolicio: delicio gestorum	35 Abolitio: dilectio iustorum
67 Abusi: male usi	75 Abusi: male usi
68 Abstrusum: cecum	
69 Abolet: detollet abstergit	
70 Abstracte: eiecte abducte	95 Abstractae: aeiectae
71 Abiurate: furate	84 Abiurȩ: furare
72 Abesto: absens esto	41 Abesto: absens esto
73 Absitis: queritis (ultimis quattuor litteris parum certis)	
74 Abietē: genus ligni	42 Abietem: genus ligni
75 Ab origine: a genere	85 Ab origine: a genere
76 Absurdum: turpem	
77 Abolita: abstersa deleta	32 Abolita: abstersa ū deleta
78 Abdicatus: alienus a fide	

Non potest diversorum glossariorum planior esse consensus. Quamquam negari nequit alias utriusque particulas prorsus dissimiles esse. Illud autem satis mirum — neque tamen in dubium vocari potest —, quod Leidensis memoria fere ubique non emendatior solum, sed etiam plenior est Vaticano libro duobus saeculis ante scripto. Necessitudine quam inter duo glossaria intercedere ostendimus perspecta utriusque libri emendatio evadit facillima. Velut quid facies Vaticani f. 8^r glossae *adhortis*: *sacrificus*? Ex codice Leidensi f. 3^vb, qui habet *adoreis*: *sacrificiis idē adorent*, scribes *adoreis*: *sacrificiis*. Non ita multo ante hanc glossam in Leidensi haec exstant: *adsuissent*: *adnexuissent*, *consuissent*[1]) *siue triumphat*

[1]) Adsuendi verbum cum praeter Horatii locum art. poet. v. 15 sq. 'unus et alter adsuitur pannus' nusquam traditum exstare videatur, glossae memoriam cum lectoribus communicandam putamus:

Adsuissent: adnexuissent, consuissent

Leid. 67 E f. 3^vb; Leid. 67 F f. 9^rc (*adsuiscent a. uel c.*); Bernensis 258 f. 52^ra (*adsuiscent a. ū ɔfuissent*: *adsuissent* correxit

laudes, quae aperte contaminata sunt alterius alicuius glossae lemmate omisso, quam opinionem Vaticanus comprobat, *adoreas*: *triumphum uel laudes* f. 8r exhibens. Itaque *triumphat laudes* ex *triumphũ̄t laudes* natum esse videtur.

Restat glossariolum aliquod non malum, quod item cum Vaticano 'cognatum' est. Exstat in codice Bernensi 258 fol. membr. saec. X, olim Petri Danielis, ubi decimum est inter quattuordecim glossaria. Pertinet autem inde a f. 177v 'amoenum: fertile, iocundum archanum: secretum alioquin: atque ideo' usque ad f. 183v 'vicissim: inuicem uiolentia: uim ualida uastitas: contritio.' Intra singularum litterarum ambitum nullus ordo observatur. Inde excerpta suppeditarunt Usenerus (A—M) et Hagenus (N—U). Insunt glossae Vergilianae, geographicae (praeter triviales multas etiam haec: *scaptensulas*: *argentifodinas*[1]), exquisitae non paucae[2]): atque hac in parte posita est glossarioli cum Vaticano necessitudo. Iudica ipse:

cod. Bernensis 258[10]:	cod. Vaticanus 3321:
f. 178ve: duunt: dant, tribuunt	f. 45v: dunt: dant, tribuunt
decipulum: deceptione	f. 38r: decipulum: deceptionem

---

manus posterior); glossae post Salom. f. 241ra (*adfuissent*, sed inter *adsu-*).

Nihil tribuendum est Osberno p. 525: 'suo componitur . . . assuo .is.; inde assutus .a. um', cum innumerabilia composita ille fingat. At fide dignae sunt hae glossae: 'assuere, consuere, suere ita differunt: assuere corium, consuere vestem, suere codicem' glossarii Salomonis f. 4va et 'assumentum: additamentum sive pars assuenda' Vincentii Bellovacensis, quarum alterius originem ostendit 'vocabularius breviloquus' haec exhibens: 'assumentum .n. s. [hoc est: 'neutrius generis, secundae declinationis'] est illa pars, quę de aliquo accipitur vel assumitur ad aliquid faciendum vel reparandum; unde Marci 2: *nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri*, quasi diceret: nemo sapiens coniungit panno veteri partem noui panni, quam assumpsit de aliquo nouo panno'.

[1]) Cf. Pauli Festum p. 331, 4: 'Scaptensula locus ubi argentum effoditur . . .' et Lachmannum ad Lucretium VI, 810 p. 395.

[2]) Velut *barritus*: *uox exercitus*; *broca*: *labrosa uel quae dentem labro propellit*; *lubentia*: *libidinc uel uoluntate*; *geminasium*: *scola philosophorum*; id genus multae.

f. 179r:	diribere : dinumerare	Mai VI p. 521 a:	diribere : denumerare
	dextimus : dexter	f. 38v:	dextimus : dexter
	depigisse : defixisse	Mai VI p. 520 a:	depegisse : defixisse
	displosa : percussa	f. 44r:	diploso : percusso
	depicisci : pactione transigere	f. 38r:	depisci : pactione transigere

§ 8.

De Placidi glossis.

De Placidi glossis optima indole plenis[1]) breviter hic agere licet, quoniam Ritschelii, Kettneri, Deuerlingii, aliorum studiis non pauca de eis iam explanata habemus. Accedit quod quae a Deuerlingio nondum observata vel minus recte administrata esse nobis viderentur, in Diurnis Ienensibus a. 1875 art. 598 exposuimus itemque coniectanea quaedam Musei Rhenani t. XXXI (a. 1876) p. 55—75 inseruimus.

Placidi grammatici[2]) glossis primus usus est Fulvius Ursinus ad Festum enarrandum[3]). Editae sunt longo demum

[1]) Non possum non mirari Scaligerum a. 1603 Carolo Labbaeo haec scripsisse: 'illae glossae Placidii non magni momenti sunt, de quibus mecum agis postremis tuis, Karole: poterunt tamen sine fraude ad calcem magni lexici subici: sed selectiores, non omnes. In glossarii autem graecolatini et latinograeci civitatem non sunt admittendi scriptores proletarii, sed classici'. Non putaverim haec illum propterea scripsisse quod Ursinus, Scaligeri 'simia', primus eis usus esset: quae opinio Scaligero indigna est. Num aliae erant glossae, ab Ursinianis Maianisque diversae? Tam enim egregiae Placidi glossae sunt, tanto meliores quam integrum 'Cyrilli' (non loquor nunc de 'Philoxeno') glossarium, ut verba illa me non intellegere profitear.

[2]) De Placidi aetate vide Deuerlingium praefationis p. VIII sqq. disputantem.

[3]) 'Sexti Pompei Festi . . . fragmentum . . . ex bibliotheca Fulvi Ursini . . . apud Petrum Santandreanum a. 1583'. Glossas ab Ursino prolatas si cum Mai editione contuleris, non nulla discrepare videbis: atque duas ex Ursinianis apud Maium omnino non reperio. Ursinus codicis sui margini emendationes adscripsit: vide Angeli Mai adnotationes marginales in Cl. Auct. t. III p. 441. 475. 485. 503, et quae idem in t. VI p. 553 commemorat. Ceterum post Ursinum hic illic Placidi glossae a viris doctis commemorantur. Talia Petri Burmanni sedulitas non nulla collegit in loco quodam apographorum: cf. Goldastum in Pa-

post hunc intervallo ab Angelo Mai in Class. Auct. t. III Romae a. 1831 p. 427—503, quae editio in Germania repetita est a Reinoldo Klotz in Iahnii et Seebodii Nov. annal. tom. suppl. II (a. 1833) p. 439—471 et 485—492. Maius in edendo Placido codicibus usus est[1]) Vaticanis 1552 s. XV f. 94^r—125^v; 1889 s. XV f. 91—108; 3441 s. XV (cod. miscell. Ursini); 5216 s. XVI[2]). Quinti eiusdem prosapiae codicis eiusque Vaticanis vetustioris (s. XIV nempe scripti) scripturas Iosephus Corsi in Annalium universitatis toscanae t. I a. 1846 evulgato p. 149—174 edidit, cuius rei memoriam renovavit Fridericus Ritschl egregia commentatione 'Zu Placidus und lateinischer Glossographie' Musei Rhenani t. XXV (a. 1870) p. 456—463 inserta. Quo in codice gravissimi momenti illud est quod glossarii titulus talis exstat: 'glossae Luctatii Placidi grammatici in Plauti comoedias', qua de re infra plura, ubi ad glossas Lucilianas perventum erit. Sextum denique codicem Deuerlingius adhibuit Hamburgensem s. XV chart.

Praeter novicios hos codices multo vetustior memoria in 'libro glossarum' saec. VII/VIII fere collecto exstat. Praeter alia enim multa etiam Placidi glossarium in corpus illud receptum est, et ita quidem, ut a glossis singillatim traditis non mediocriter discrepet[3]). Cuius memoriae ope vel corruptissimas glossas facile emendari posse Maium non fugerat, qui in Class. Auct. t. VI Romae a. 1834 ed. p. 554—574 emendationes et novas glossas codice Palatino 1773 m. saec. X

---

raenet. vet. ad Columban. p. 83; Lindenbrogium ad Phormionem Terentianam p. 634b; Wouwerum ad Sidonium Apollinarem p. 401.

[1]) Cf. Augustum Wilmanns in Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 362 sqq.

[2]) Hunc quartum Mai codicem esse dicunt Hermannus Kettner in Hermae t. VI (a. 1872) p. 166 et Theodorus Mommsen in eiusdem VIII (a. 1873) p. 67; Vaticanum 2741 chart. saec. XVI f. 20 sqq. contra Wilmannsius l. s. s. p. 363. Quod discrimen inde fortasse explicari potest, quod Maius t. III p. 484 in margine adnotat: 'ita codd. 5'. Solet sane ceteroqui quattuor Vaticanos excitare: sed quintum illum semel commemoratum conicio cod. Vaticanum 2741 esse, quo excerpta tantum e Placidi glossis contineri Wilmannsius auctor est.

[3]) De hac re cf. Deuerlingii praefationem p. V sqq. et nos in Mus. Rhen. l. s. s.

usus evulgavit, qua in re neglegentissime eum versatum esse Wilmannsius l. s. s. p. 373 sqq. ostendit. Deinde O. Muellerus a Duebnero *a* litterae glossas e codice Parisino 7644 excerptas impetraverat[1]), unde non multa p. 383 Festi protulit. Codice Monacensi 14429 s. IX aliisque subsidiis item e libro glossarum derivatis usus Hermannus Kettner laeto cum successu emendandis Placidi glossis operam navavit: cf. programmata 'Kritische Bemerkungen zu Varro und lat. Glossaren' p. 25—37 Halae a. 1868 et 'Zur Kritik der Glossae Placidi' Berolini a. 1872 ed., atque commentationem 'Zu den Glossae Placidi' Hermae t. VI (a. 1872) p. 165 sqq. insertam. Denique eodem illo saeculi noni duobusque aliis duodecimi codicibus Monacensibus (cod. lat. 13002 et 22201) adhibitis A. Deuerlingius de glossis foedissime corruptis bene meritus est: vide scriptionem 'Zur Emendation und Ergaenzung der Placidusglossen' in Diurnis gymn. bavar. t. VIII (a. 1872) p. 150—163 et 319—329. Idem Deuerlingius quod nuperrime Placidi glossas (Lipsiae a. 1875) edidit maximopere laetamur.

Restat tertius Placidi fonticulus[3]). 'Praefationem' enim, quae exstat in anthologiae latinae (v. Riesium I p. 69 sq.) cod. Salmasiano s. VII/VIII scripto Placidi glossis refertam esse[2]) Fridericus Duebner intellexit idemque primus eam edidit et collatis Placidi Maiani glossis enarravit in Musei Rhen. a Welckero et Naekio editi t. III (a. 1835) p. 470 sqq. Plura de hac praefatione dedimus in Mus. Rhen. l. s. s. Videtur

---

[1]) Cf. Festi praefationem p. XXXIII.

[2]) Vetustissimum hoc eius usus exemplum esse videtur, quem postea secuti sunt velut Abbo monachus in carmine de bello Parisiaco scripto (cf. Kettnerum in programmate a. 1872 evulgato) et Osbernus in Panormiae praefatione: sermonis nimirum exornandi vocabulorum e glossariis petitorum luminibus vel potius tenebris. Eodem spectant Hincmari archiepiscopi Remensis ad Hincmarum episcopum Laudunensem verba haec: 'verba quoque abstrusa et undecumque per glossulas collecta et sine ratione posita, quae in hoc scripto tuo posuisti, sicut in aliis Domino Regi et mihi olim directis congessisti, redarguunt te typo iactantiae'.

[3]) De quarta quadam memoria alibi agemus. Ostendemus nempe in cod. Ambrosianum C 243 inf. saec. ut videtur X praeter alia multa quadraginta fere Placidi glossas receptas esse.

autem eius scriptor pleniore, quam nostrum est, glossario usus esse.

Adiciam non nulla, quae alibi vel demonstravisse mihi videor vel demonstraturum me esse spero, sine ullis argumentis.

I. Placidi glossae duas exhibent materias plane diversas: adnotatiunculas grammaticas et glossas quas proprie dicimus.

II. Glossarum medullam Plautinam esse non credendum est libri Corsiniani titulo: spectat potius ad antiquissimos scriptores omnes, velut Livium, Naevium, Ennium, Catonem, imprimis autem ad Plautum et Lucilium.

III. Non derivatae hae bonae notae glossae e Festo vel Verrio Flacco, sed scholia sunt e vetustissimis glossographis conlecta et excerpta, ipsis scriptorum verbis in lemmatis scholiorum nihil mutatis.

IV. Placidi glossae in alia glossaria non translatae sunt[1]), quamquam persimiles sane alibi quoque exstant. Quod ubi usu venit ex eisdem utrobique fontibus haustum est.

§ 9.

De minoribus non nullis glossariis aliorumque fragmentis.

1. Codicis Leidensis 67F saec. VIII/IX glossariolum altero loco traditum bonis glossis non caret. Insunt autem 1183, inde a f. 54^rb 'ab: absens abdicat filium: pellit de suo iure ab ineunt aetate: ab infantia' usque ad f. 62^rc 'uulgare: adsiduum, cottidianum zema: ulla zizanium: lolium' pertinentes. Subscriptum est ΔΩZAG | ΩΘEΩC | AMIN, h. e. δόξα coι, ὦ θεόc. Ἀμήν. Hoc glossario Scaligerum in excerpendis 'Isidori' glossis usum esse supra vidimus. Eiusdem fragmentum habes in codice Bernensi 258 membr. saec. X f. 128^r—131^v, ubi extrema glossa est *mimografus: quę mimoscribit.* Deest igitur dimidia paene pars. Qui glossas collegit deminutiva adamasse videtur; exstant enim velut haec: causula, corpusculum, gestiuncula, Graeculus, munus-

[1]) Eximendus est 'liber glossarum' eiusque epitomae paene innumerabiles, quo integrae Placidi glossae receptae sunt. Loquor de veteribus glossariis a 'libro glossarum' non pendentibus.

culum, nepticula, plaustellum, scurrula, sigilla, summula, suspectiuncula, taxatiuncula.

2. In bibliotheca academica Bonnensi glossarii fragmentum exstat, de quo Antonius Klette in catalogi particula I p. 52 haec narrat: '217 (62, d) fol. Fragmentum codicis saeculi X, foliorum 2. Glossarii latini fragmentum. Incipit: *video intellego sentio*, explicit: *pondere vel.* Et utrumque folium in superiore parte perforatum est, et in utraque pagina versa dimidii superioris scriptura ita deleta, ut vix legi queat. Donum Trossii Hammensis.' Qualis glossarii pars sit nescio, cum fragmentum Bonnae nuper reperiri non potuerit.

3. Bibliothecae gymnasii Francofurtensis ad Moenum[1]) duo folia membr. saec. XIV, ut videntur, bipertitis paginis scripta fragmenta sunt glossarii mere latini. Quae quidem folia ut libri integumentis inservirent interiore margine privata, postea autem dissolvendo gravissime laesa sunt. Litterarum ordo is est, ut priore loco *a e i o u* vocalium, postea demum reliquarum litterarum ratio habeatur, id quod ex eis quae subieci exemplis ipse facile colliges:

b litterae partis extremae glossae non a *bu-* vel *by-*, sed a *br-* incipiunt: *brit-*, *brom-*, *bruccus*, *bruma*, *brundisium*, *brucia*, *brutus*;

*caa*tice, *cai*phas, *cao-*, *cauc*asus, *cauda*, *caula*, *cauma*, *caupo*, *caus*a, *caut*erium, *cab-*, *cac*ca, cet.;

*caca*bra, *cace*lticus, *caci-*, *caco-*, *cacu-*, *cacr*eos;

cala-, *cale*th, *cali-*, *calo-*, *calu-*, *calc-*, *call-*, *calm*ana, *calp*is, *calt-*, *calv*us, *calx*;

colc-, *coli-*, *colo-*, *colu-*, *colc-*, *coll-*.

Spectant haec folia ad *b* (ad eam nihil nisi folii 1ra novem versus) et *c* litteras. Iam cum prioris folii glossae inde a *brit-* usque ad *camella*: *uas ad mulgendum*, alterius inde a *cis-* usque ad *collobium* pertineant, unum folium inter ea olim interfuisse videtur, ut hic ordo probabiliter constitui possit:

[1]) Duos et viginti foliorum manu scriptorum fasciculos bibliothecae Francofurtensi a Georgio Kloss donatos Henricus Rumpf indagavit et programmatis Francofurtensis a. 1868 'Tres commentationes' inscripti prima parte quae est 'de foliis quibusdam m. scriptis, quae in bibliotheca gymn. Franc. servantur' p. 1—18 descripsit.

folium I (α, 1 et α, 2 a Rumpfio insignitum);
folium x (deperditum);
folium II (α, 3 et α, 4 Rumpfii).

Multo plures glossarium exhibet nominum quam verborum explicationes, quo in numero 'derivationes' haud paucas, velut f. 1ᵛa:

calco calcavi calcatum: calcatorium, locus ubi uue calcantur. inde calx, calcis, calcar, calcaneum et calceus;
calceo calceavi calceatum calceamentum;
calcitro calcitraui calcitratum calcittrosus:

et f. 2ʳb (v. *coccus*); f. 2ᵛb (v. *coctum*; *coluber*; *colloco*). Praeter derivationes insunt glossae sacrae et spiritales (f. 2ʳb: *cobar*); herbales e Dioscoride latino petitae (f. 2ᵛb: *colcia*: *bulbus agrestis diascorides* et 1ᵛb: *camebalanos*: *in diascoride rafanus agrestis*); grammaticae (earum una infra utemur; insunt etiam versus, velut f. 2ʳb: 'est codex suber arboris atque liber'); aliae multae non certae originis, e quibus non nullas proferimus:

crisomila[1]): milgali prouincialium amoriata
cocodrillus: species serpentis, pro quo utimur lacerta
colurus[2]): a corilus
collegiati: idem quod corporati
cadusa est meretrix
calamistrum: acus
calones: calciamenta comedorum
calcedonense concilium: tempore leonis pape
caluisiana[3]) actio est, per quam ea revocantur, que libertus in fraudem alienavit.

Praeter locos e sacra scriptura petitos et 'Diascoridem' afferuntur Priscianus (f. 2ʳb v. *coylon*); Isidorus (f. 2ʳb v. *coaspis*, f. 1ᵛa v. *calcantum*, f. 1ʳb v. *cacabus*); Alexander (f. 1ᵛb: 'camelaea est secundum alexandrum unde colligitur coronidium semen laureole ...'); legenda sancti Germani Parisiensis (f. 1ʳb: 'cacuma uel carimia in legenda sancti

---

1) Inter '*cobar*' et '*cochitus*'.
2) Sic scribendum est ex ordine litterarum.
3) *calinsiana* cod., *caluisiana* cum ordine litterarum tum sententia flagitatur.

germani parisiensis'); ad Persii prologum spectat 'fons caballinus' in glossa f. 1ʳb: 'caballacio id est exercitatio. Item fons caballinus, ubi muse studebant. Item ungula caballina herba'.

4. Inter schedas apographis Burmannianis adiectas glossarii fragmentum exstat membr. saec. XIV ut videtur scriptum. Duae partes sunt unius folii, cuius superior pars deest. Compositis hisce particulis latitudinem libri magnam fuisse apparet: non minor videtur fuisse altitudo, ut forma fuerit 'in folio'. Grandis autem voluminis quoque glossarium fuisse hae reliquiae utpote ad perparvam *i* litterae partem spectantes docent. Pertinet inde a lemmatis *in ina innare inaccessus* . . . usque ad . . . *indicare indicatiuus.* Singulae paginae tripertitae sunt. De origine fragmenti inscriptum est: 'Fragmentum glossarii vetusti, quo librum quemdam bibliopegus involverat'. Integrum glossarium Papiam fuisse haec glossarum series (est autem fragmentorum sexta pars) doceat:

Incensum . dictum quia igne consumitur

Incentiua . desideria . carnis . stimuli luxurie . ab incitando. dicta.

Incentiuum . irritamentum . aculeus carnis cupiditas.

Incentor . suasor . stimulator ab eo quo [*scr.* quod] incendat

Incentiua . incitamenta inflammationes

Incertus . dubius . obscurus.

Incessere . inquietare . redarguere . accusare . incesso . is . incestus. dicitur.

Incessit . inuadit. ingruit.

Incedo . is . incessi.

Incestare . coinquinare . polluere.

Incestus. .stus. in uirgines īuiduas sacratas. uel sanguine propinquas constitutum est. Dictum est quasi in castum. uel a ceno [ceno *ut vid., scr.* cesto] quod dicitur zona pellicia veneris que legitimas nuptias. ligat. Si quis igitur legitimi . matrimonii . iura violauerit incestus dicitur

Incestus . a. um. qui facit incestum dicitur

Quae glossae eodem omnes ordine in Papiae lexico exstant.

5. Inter easdem schedas exstant 'Glossae MSS. Boxhornianae'. Ipsius Boxhornii manu ad legendum difficillima scriptae sunt, et eaedem procul dubio quas 'ad Tacitum de mor. Germ. cap. 8' editurum se esse promittit[1]). Sunt autem $4^3/_4$ paginae formae maximae. Charta asperrima, nunc subflava. Atramentum perpallidum. Hoc glossarium iure quispiam militare appellaverit: nihil enim inest praeter glossas ad adcensos, adscripticios, advosem, amenta, arma, Bellonam, caculam, excubias, exercitum, exuvias, ferentarium, similia spectantes. Atque prima quidem pars inde ab initio (*adcensi dicebantur* ... = Paulus p. 18) usque ad *endo procinctu* (= idem p. 77) integra e Festi epitome hausta est. Reliquae glossae inde ab *excubiae*: *vigiliae custodiae insidiae* usque ad finem (*sica*: *gladius brevis* EXPLICIT) e variis fontibus fluxerunt, ita tamen ut (id quod iam commemoravimus) nulla reciperetur glossa non militaris. Fontes autem sunt Isidori (cuius tamen mentio non fit) Origines, sacra scriptura, Iuvenalis, Lucanus (quater excitatur), Palladius, Ambrosius super 'Egesippum', Prudentius, frequenter etiam Papias (v. *exuuiae, foecialis, procinctus, romphea, sagum*), unde non vetustum glossarium esse apparet. Ceterum post EXPLICIT subscriptum est: MARCI ZVERII BOXHORNII ANIMADVERSIONES, sed nihil eius modi post haec verba adiectum habes.

6. Militare glossarium sequantur miscellanea, h. e. glossae sive brevioris sive amplioris ambitus, modo mere latinae modo graecolatinae, litterarum ordine plerumque neglecto ita in unum coacervatae ut eiusdem coloris atque originis particulae — eaeque non nunquam per litteras digestae — sat saepe discerni possint. Cuius quidem generis duo exempla hucusque mihi innotuerunt:

1) Glossarium codicis Bernensis miscellanei A 91, nr. 18 s. IX—X scripti, quod apud Sinnerum frustra quaesiveris, cum nuper demum Hermanno Hagen in libros Bernenses denuo inquirenti apparuerit. Apographo usus sum ab eodem liberalissime mihi transmisso.

---

[1]) Notitiam loci debeo Burmanni in margine anotationi.

Incipit f. 1r:

'IN NOMINE DOMINI NRĪ IESV CRISTI INCIPIT GLOSARIVM ROBORATVM SṼMA AVGTORITATE

ΠΡΗΠΟΤΗΤΑ	Pulcritudo
ΙΑΗΑ	forma
ΗΠΙCΤΙΜΙΝ	disciplinam . habet autem nomen a discendo
CωΠhIΔ	sapientia
Cωphos	sapiens hic dicitur a sapiendo
ΠΙCΤωC	fidelis
NΔPωC	templum (fuerat IΔPωC; correxit m. 2)
IΔPHIC	sacerdos (correxit m. 1 IЄPHIC)
ЄVSHBIΔ	pietas',

explicit f. 7v: 'tosofotatus: sapientissimus ceremonias: quasi queremonias sal infatuatum: doctor iniquus melancolian: nigrum e uestigio: statim compilator: qui aliena dicta suis permiscet penula: lacerna in modum coculle fucata: mendaciis ornata inconsultum: non interrogatum pastoforie: parue domus extorres: qui in exilio mituntur entheca: supellectile'. Folium octavum bipertitis paginis novi glossarii per litteras digesti principium continet, cuius et lemmatum et interpretamentorum primam. quamque litteram ut minio suppleretur librarius omisit. Incipit f. 8r: '(A)bsida: lucida eo quod lumen accepto partum resplendeat (A)cataleptus: inuisibilis (A)cefali: (s)ine capite (A)ęcclęsia: (c)onuocacio (A)coliti: (c)erofarii (A)egida: (c)apra (A)egia: (p)luuia (A)eus: (o)rientalis (A)eoi: (o)rientis (A)eolus: (r)ex uentalis', explicit f. 8v: '(A)ntitetō est (u)bi contrariis contraria obponuntur, ut illut: frigida pugnabant calidis, umencia siccis, mollia cum duris, sine pondere habencia pondus (A)ntrophon: (h)ominem dicunt eo quod erectus incedat (A)pocope: (a)bscisio de fine uerbi, ut sat pro satis (A)pocrisis: (r)epulsio (A)podixen: (o)stensio (A)potasin et caphasin: (i)d est negacio et adfirmacio (A)pocrifa: (s)ecreta eo quod origo eorum non patead oculta uel remota'. Haec pars est illius glossarii quod integrum exstat in codice Bernensi 357 f. 1r a — 7v a.

Sic autem glossarium illud miscellaneum currit. Prima

pars quadraginta glossae sunt graecolatinae ad nomina substantiva tantum spectantes, quae primum folium complent integrum: f. 1ʳ 'ΠΡΗΠΟΤΗΤΑ pulcritudo' (cf. supra) ... f. 1ᵛc 'Λ Λ////ѠΜΑ dignitas O OL////ѠΡΙΑ iniuria C CLIѠC fama ꝺ ꝺfPѠC spuma S (excidit vox graeca) flebilitas'. f. 2ʳ viginti tres glossas latinas continet, ab *a*-littera incipientes omnes: 'Agirastas: grecarum acciones amartigenia: deprecatorum origine Amartia: Peccatum Antimema: figura Aluncina: uana somniaria auctio: uendicio eo quod augeat ementem' .... usque ad: 'Anopa: ·i· quem nos anaphum dicimus Alalagma: Cantilena uel iubilacio Abigere: ·e· Schicare inde abiectores schitores Arundo: ·i· ros'. f. 2ᵛ viginti glossas continet, quarum ordo ad alphabetum non accommodatus est: 'Ardea: iuxta aquas moratur semper et tamen nescit innare Cauillare: Decipere inde cauillacio Gracior: Gracias ago Babiger: stultus Eliocomus: sol' .... 'Viculigines: sunt uenule circa ungues digitorum Venerandosus: Veneracione dignus'. Vel ex his quas modo exscripsi glossis non vulgares apparet hic explicari voces; adde exempli gratia: 'Fustigari: fustibus cedi Fabilia: Purgamenta fabarum Puppup: Interiectio deridentis'. f. 3ʳ post enuntiatum 'Nam sicut. palato discernimus dulcẽ rẽ et amaram Ita per sapienciam bonam et malam' secuntur 88 glossae quae ab *a* incipiunt omnes nullo ceteroquin ordine, inde a f. 3ʳ: 'A litera in omnibus gentibus ideo prior est, quia nascentibus iter prebet loquendi Abba sirum nomen est quod pater dicitur Aborigine: a principio Apex: lana que ponebatur in pilleo quando sacerdos immolabat; ponitur pro dignitate Alluuio: inundacio Aequiuocares: equalem uocem habens in diuersis accionibus Agoniteta: preliator uel praemii auctor Agmen: exercitus procedens ad bellum ab agendo dictus Aeuitas: perpetuitas' ... usque ad f. 4ᵛ: 'Alterplex: alterna Armatura: instruccio armorum Archiates Adelfi Alipes Auspicium Accipens [horum quinque lemmatum interpretamenta interciderunt, id quod non raro in hoc glossario factum est] Astera: stella Auxesin: augmenta Abiurare: ab iure ęclesię abducere Apocrisarius: fertor secroetarum'.

Sed nondum omnia quae his quattuor foliis continentur descripsimus: etenim in f. 1^v—3^r praeter ea quae supra enumeravimus quinquaginta septem glossae mere latinae exstant in spatiis vacuis exterioris cuiusque paginae non observato litterarum ordine additae, velut f. 1^v 'Precurrere: antecurrere Marsupium: saculus numorum Aporior: afligor Almitas: sanctitas Linificus: dulcis, lenis'. Eius modi glossas in f. 1^v viginti sex, f. 2^r duodecim, f. 2^v quattuordecim, f. 3^r quinque habes.

Extrema glossarii pars centum et viginti tres glossas latinas neglecto ordine litterarum congestas comprehendit: f. 5^r 'philoxenia: amor est donorum stroma: uarietas diaphonia: dissonancia gumnia: nuditas ganimedus: puer raptus a turpem usum; ponitur uero pro omni turpitudine' usque ad f. 7^v 'ent^{r}eca: supellectile'. Haec est optima totius glossarii pars, quae memorabiles glossas haud paucas continet. Ceterum f. 6^v glossae tredecim extremae ex Fulgentii sermonum antiquorum expositione haustae sunt. Velut cf. sex primas:

Glossae:	Fulgentius:
frigutare: subtiliter adgarrire	p. 562, 22: friguttire dicitur subtiliter aggarrire
catillare: alięnas domus circuire, a catulis tractum	p. 563, 4: catillare dicitur per alienas domus infrontate girare, a catulis tractum
promus et contus: cellaria, eo quod intus condant	p. 563, 18: promos et condos dici voluerunt cellaria, eo quod deintus promant et intus condant
suppetię: auxilia	p. 563, 24: suppetias dicimus auxilium
anasiterna: aquę urna, i· urceum	p. 563, 28: mnasiternam dicunt aquae urnam, id est urceum
lęmbus est: genus nauicule uelocissimę	p. 564, 4: lembus est genus nauicellae velocissimae

II) Alterum glossarium miscellaneum simillimum est ab externa specie, alias tamen glossas undique congestas exhibet. Exstat in bibliothecae Leidensis cod. Vossiano Oct. 88, de

quo in catalogo p. 390a scriptum est: 'glossae quorundam auctorum; sequitur carmen de loco Iohannis ... in membr.' Apographo usus sum illo, quod inter schedas Burmannianas exstat. Ei inscriptum habes: 'glossae ex cod. ms. Petri Danielis qui est in biblioth. Leidensi'. Unde in Danielis manus pervenerit ex ipsius in Queroli editione Parisiensi a. 1564 verbis colligi potest. Ibi de libelli illius scriptore disserens cum haec dicit: 'praeterea eiusdem [Queroli] fit mentio in vetustissimo libro glossarum, quem mihi una cum hac comoedia suppeditavit amplissima fani Benedicti Floriacensis ad Ligerim bibliotheca' ipsas has glossas miscellas Danielem innuere facile est ad demonstrandum. Adscriptae sunt enim in codice (certe in eius apographo) Danielis ad glossas non nullas adnotationes eaeque *D* nota insignitae. Velut ad glossas

Sinastria: constellatio
Pseudotirum: ostium remotum a publico
Inoforum: vas vinarium

adpictum habes: 'haec tria verba eodem ordine reperiuntur in Querulo Plauti D'. Ac re vera exstant in Aulularia p. 35, 22; 44, 19[1]); 38, 5 ed. Peiper.

Longum est huius quoque glossarii multiplicem materiam describere. Itaque alias edam has glossas. Hoc loco commemoro inesse multas e Ciceronis orationibus, non nullas e Paullo Festi, quindecim ex Isidori Originibus petitas, viginti unius glossarum seriem ab *a-* incipere, excitari Servium et Plinium Secundum, denique graeca in fine totius farraginis esse.

7. Codex Vindobonensis 89 (Endlicheri CCCII) membr. saec. IX f. 10v—163vb copiosissimum glossarium exhibet, cuius prima lemmata haec sunt: *a aaron ab abauu abacuc abacta abactus abasu abmatertera abamita*, extrema: *zemelantes zema zephyrus zeuma zezabel zoelum zona zozyaticum zyzania zynzigia.* Praeter eas glossas quarum lemmata exscripsi nullas novi. Multae ad sacram scripturam pertinent.

---

1) Eandem prorsus glossam e codice Parisino haustam Peiperus adnotat: *p.: ostium remotum a publico.*

Num forte simile est ei glossario, quod in codice Leidensi 191[3] exstat, supra p. 141 sq. descriptum? In Vindobonensi 804 f. 160^{v} sqq. 'derivationes' insunt.

8. In A. W. Crameri libello 'Haus-Chronik, meinen Anverwandten und Freunden zum Andenken gewidmet. Hamburg 1822' inscripto p. 196—202 ex codice membr. saec. X 4^{0} olim Gottwicensi nunc Vindobonensi CDXXI Endlicheri[1]) p. 302, quo e Paulo excerpta intermixtis aliunde glossis continentur, septuaginta glossae ad *a* litteram pertinentes excerptae sunt, quo in numero non nullae non malae. Quarum glossarum apparet certos ordines esse, non difficiles eos ad discriminandum. Atque 28 quidem ab initio primas omnes ex Isidori Originum libro decimo glossematico petitas esse nisi Cramerum fugisset, facili negotio corruptam illam p. 199 glossam: *ambo*: *ab eo* ἄμφω *nomen de graeco latinum factum, littera etiam demutata* Isidoro l. s. s. 21 duce sic emendasset: 'Ambo ab eo quod est ἄμφω, nomen de graeco latinum factum, littera tertia demutata'. Secuntur quattuor glossae ab *am-* incipientes, sex vocum hebraicarum interpretamenta, undecim glossae variae[2]), denique glossarii latini fragmentum viginti unius glossarum sic ordinatarum: *ab- ac- ad-*; ultimae enim lemma *assiduos* scribendum est *adsiduos*. Haec Crameri excerptorum pars optima selectiora non nulla exhibet, quae tamen satis corrupta sunt. Sic p. 201 *abactor*: *fulminator* scribe *fur, minator*; *abegiata*: *in voluta* scr. *involata*; p. 202 *adrumavit*: *rumorem obtulit* scr. *a.*: *r. attulit.* Omnium autem facile corruptissima est *adseptonus*: *terribilis*, quam emenda *abstrepitus*: *sonus terribilis. Abstrepitus* enim vox hucusque non nota significabat *signum, quod cum pavore solemus audire*: vide Maium VI p. 502a et excerpta ex Vindobonensi 2404 apud Endlicherum p. 295.

9. Ex Havniensibus glossariis nihil novi praeter unam

---

[1]) De singulari huius codicis Paulini ratione Endlicherus nihil commemorat.

[2]) Quo in numero p. 201 glossam *alene*: *corrigia* habes, cuius lemma ad vocem ἄλημα aliquo modo spectare cave cum Cramero statuas, sed ita potius emenda: *antela*: *corrigia.*

glossulam, quam Fridericus Osann in indice lectionum Gissensi a. 1826 protulit: *amplustra*: *ornamenta uel armamenta nauis*. Hausta est e 'glossario antiquo in Hafniensi bibliotheca servato et cum illo ab Olao Blochio, viro eruditissimo, communicato'.

10. Caspar Barthius in Adversariis commentariis XXXVII, 5 glossarium Vergilianum 'nequaquam indoctum' (ut Ritschelius ait opusc. II p. 233) edidit, quo praeter Vergiliana non pauca multa continentur ex aliis scriptoribus petita. Idem glossarium emendatius et non interpolatum exstat in codice Vaticano 2730 chart. s. XV inde a f. 41r (*abiurare abrogatur abhominari* prima lemmata sunt) usque ad f. 102r (*mola mollis* extrema lemmata) pertinens, quode Theodorus Mommsenus disseruit in Hermae t. VIII (a. 1873) p. 67 sqq.: 'Lateinisches Glossar des Cod. Vat. 2730'. Barthianae glossae ad omnes alphabeti litteras spectabant, in Vaticano *a—m* tantum insunt. Tertium codicem in bibliotheca Mediolanensi repperi Ambrosianum D 8 sup. bombycinum saec. XV scriptum, quo praeterea 'Bonaeurii de vera voluptate dialogus' et 'vocabula Guarini extracta a Seruio' continentur. Libri hodierna condicio tam misera est, ut sine chartae detrimento omnino legi nequeat. Qui collegit vir non indoctus Livii prima decade, Ciceronis orationibus et ad familiares epistulis, Pliniorum naturali historia et epistulis, Valerio Maximo, Suetonio, Gellio, Apuleio, Nonio, Prisciano, Servio et Philargyrio scholiastis usus est. Non nimis vetustum esse glossarium putaverim.

11. Non dissimiles sunt glossae quae vocantur Petronii. Est autem 'colluvies glossarum e Gellii Isidori Hieronymi ecclesiasticorum scriptorum lectione nata', quae in archetypum Petronianum olim recepta nihil cum ipso Petronio commune habet. V. Buechelerum in Petronii praefatione p. XII. Excitantur Plautus, Vergilius, Martialis, Cicero. Editae sunt glossae Petronianae a Carolo Beck Cantabrigii (Americae) a. 1860, quo de libello cf. A. Reifferscheidum in Musei Rhenani t. XVI (a. 1861) p. 1 sqq., et iterum e cod. Vatic. Urbin. 452 in Appendice operum Maianorum (a. 1871) p. 68—70.

12. Glossarium Macri cuiusdam, quod 'multa cum Papia habebat communia', Isaacus Vossius Nicolao Heinsio a. 1683 transmisit: cf. Syll. Burmann. t. III. p. 558.

13. In codice ecclesiae Metropolitanae Coloniensi XIX (Darmstadiensi 98) membr. saec. IX 4⁰ foliorum 146 (v. catalogum Berolini a. 1874 ab Iaffeo et Wattenbachio editum p. 8) folia 5—6 glossarium exhibent, quod maximam partem ad Bedae historiam ecclesiasticam Anglorum pertinere Iaffeus vidit. Ex eo non nullas glossas editas habes appendice III p. 103 sq.[1]).

14. Post Angeli Mai mortem Romae a. 1871 Appendix ad opera ab eo edita prodiit. Ibi p. 69 sq. ex codice Vaticano Urbinate 452 prolatae sunt 70 fere glossae, quae sex exceptis a *p* incipientibus omnes ad primas quattuor alphabeti litteras spectant. Pertinent autem inde ab: 'ab imo: deorsum abhorret: discrepat abice: expelle abile: aptum' usque ad: 'primipilus: qui primam hastam portat privo: adimo, decerpo probe: honeste et bene', hoc titulo praefixo 'Imogontes de vetustis vocabulis'. 'Imogontes' ille Guilelmo Schmitzio ex ЄΤΥΜΟΛΟΓΟΥΝΤЄϹ natus esse videtur.

15. A 'libro glossarum' pendere dicitur Fausti Romani cuiusdam glossarium, quo Caspar Barthius in Adversariis commentariis frequenter utitur. Hoc enim 'minime breve' a 'minorum gentium rhapsodo magistro Papia' exscriptum esse ille narrat. Praeterea de indole glossarii haec scripsit p. 511: 'sunt apud me in conditoriis veterum memoriarum Fausti Romani — scriptoris adeo probi et eruditi, ut nullum adhuc viderim quem illi praeferre velim, eius quidem generis — glossae, non quidem multis verbis, sed plurima tamen vocabula enarrantes'. Num re vera Fausti Romani glossarium exstiterit admodum dubium est, cum Barthius vir sublestae fidei illud penes se exstare dicat. Quae inde protulit cum 'libro glossarum' nihil fere commune habent, neque tamen omnia ficta esse videntur.

---

[1]). Ibi p. 104a in glossa *plecto unde percuntur thara*, quam Iaffeus sic scribit: 'plectro: unde percutiuntur *thara*', 'thara' illud non est vox germanica, cum emendandum sit *plectro*: *unde percutitur cithara.*

16. Adicio glossarium sine ullo dubio ficticium, quod a Guilelmo Fornerio Icto se accepisse mentitus est Paulus Merula. Quo ex fonte in Enni annalium fragmentorum editione Lugdunensi a. 1595 multos poetae versus usque ad illud tempus non notos protulit. Eos e talibus glossis hauserat, qualis est: 'armipotens: ὁπλοκράτωρ. Ennius: *armis conditur Alba potens*'. Omnia haec Merula finxit, sicut etiam exquisitum illum 'Calpurnii Pisonis de continentia veterum poetarum ad Traianum principem tractatum'.

17. Angelus Maius in 'Scriptorum veterum novae collectionis' t. VI Romae a. 1832 edito p. 43—59 'Attonis Iunioris Vercellensis Episcopi Polypticum quod appellatur perpendiculum cum antiquis glossis et scholiis' evulgavit. Permira illa scriptio undecimi saeculi initio nata 'satira quaedam est seu censura Attonis temporum, praesertim adversus principes, quorum ambitio et cetera vitia castigantur'. Libelli in codice Vaticano duplicem memoriam exstare Maius ait, alteram obscurissimam sine glossis, paulo planiorem et scholiis enarratam alteram. Illam Maius edidit et huius glossas adiecit. Ante eum ex eodem codice non nulla iam protulerat Io. Dominicus Mansius in appendice t. II miscellaneorum Balutii Lucae a. 1761. Attonis scribendi genus obscuratum est frequentissimo glossarum usu. Iam cum ipse scriptor harum vocum interpretamenta addiderit — absque quo esset, ne hilum quidem intellegi posset —, una cum γλώccαιc e glossariis aperte petita, libellus ille in studiis glossematicis non neglegendus est. Nescio num forte 'libro glossarum' Atto usus sit: quamquam multas glossas inseruit ex hoc fonte sine ullo dubio non derivatas. Glossaria autem re vera ei praesto fuisse demonstrant huius modi scholia:

exippitare: id est hiare, os operire et tractum est ab avibus
tegularium: veneficia, quae super tegulas sacrificabantur
terribola: formidolosa
buteones: iuvenes
caltudia: dies festus

18. Codicum Guelferbitanorum Gudianus 323 membr. 8° saec. XIII 'derivationes', Gudianus 310 membr. 8° saec. XV

indicem verborum (inde ab *abarceo* usque ad *zelonio*) exhibent. Similes indices exeunte saec. XV etiam typis impressi sunt.

19. Glossae Divionenses ubi commemorentur vide supra p. 30 adn. 3.

20. Glossas mss. coenobii Antoniani Venetas Gronovius commemorat Observationum II, 24 p. 418.

21. Isidori Originum liber X, qui e glossario petitus esse videtur, etiam separatim describebatur et cum aliis glossis contaminabatur. Sic natum est glossariolum etymologicum cod. Bernensis membr. 4^0 $3^1/_2$ foliorum saec. XII/XIII scriptum.

22. E Parisinorum glossariorum largissima copia pauca mihi nota sunt. Praeter libri glossarum codicem Sangermanensem epitomasque, glossarium ab Hildebrando editum 'bibliothecae Parisinae antiquissimum', cod. Parisinum 7680, de quibus suis locis agitur, horum glossariorum non nullas certe glossas novi:

1) Cod. Sangermanensis 118^2 4^0 saec. IX glossarium exhibet 75 foliorum. Lemmatum seriem exscribam: *kalesdas kalyps kyrius kyrieleison labat labes labescit labefacit labefactare labefactor labentem labentibus labentia laberna labernas laberetur.* Idem codex f. 77—97 minusculum glossarium continet, in quo velut haec lemmata habes: *tabentis artus talentus unus tala tandem* (bis) *tantundem tantidem tangit tantillus.*

2) Cod. Parisinus 'ancien fonds' 2341 = Colbertinus 323 fol. saec. IX f. 257—269 glossas exhibet. Lemmata insunt talia: *kanarides kapesas kamene kalippio karmina kasses kassiculum kalibem kadere karistia kai kalones kadentia kaltulum kauernas karinantes kapax kanser kappadinarius kadere kaos kassus.* Inter meliora glossarium videtur esse referendum.

3) 'Glossario vetere bibliothecae s. Genovefae saec. X inedito' praeter alia glossaria Parisiensia usus excerpta protulit L. Quicheratius in libro Parisiis a. 1862 evulgato cuius titulus est 'Addenda lexicis latinis'. Nescio an forte ille codex a 'libro glossarum' pendeat.

§ 10.

Appendix.

Non inutile esse duco codicum non nullorum Leidensium et Bernensium, quibus glossariorum copia largissima continetur, accuratum proponere indicem. Horum codicum supra cum de singulis glossariis ageremus mentionem iam fecimus. Sed cum multo plura insint quam commemoravimus, eaque partim trivialia partim nobis nondum nota partim denique aliqua de ratione hinc aliena, principia et fines certe singularum codicum particularum proponemus, quo facilius cum glossariis in bibliothecis adhuc latentibus comparatio institui possit. Bibliotheca Leidensis quanta glossariorum copia instructa sit more paene tralaticio comprobari solet notissimis illis Ruhnkenii in praefatione Apuleii Oudendorpiani[1]) verbis: 'qua de re [de singularibus quibusdam Apuleii vocabulis] liquidius iudicari poterit tum, cum quis iuniorum literatorum, qui nunc subitariis coniecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati tamen literis et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut glossaria latina in Leidensi bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate vel praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet linguamque latinam, de cuius inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis nondum cognitis locupletet'[2]). Non iniuria Ruhnkenium tantis laudibus illa extulisse hoc nostro libello puto apparebit, quippe cuius fundamenta principalia

[1]) Praefatio a. 1786 scripta et in Ruhnkenii opusculorum² t. II p. 653 sq. (Lugd. Bat. a. 1823) iterata est.

[2]) Pergit: 'quamquam quae iuventutis nostrae mollities est, magnopere vereor ne haec surdis auribus canam'. Non eum fefellit opinio: neque enim hucusque quisquam verbis Ruhnkenii adhortantis obsecutus est. Denuo surdis auribus cecinit Guilelmus Leonardus Mahne in Miscellaneorum latinitatis parte altera Lugd. Bat. a. 1852 edita p. 77: 'hos igitur indices . . . subiungere constitui, non quod illa opera aliquam industriae laudem vel gloriam aucupari velim, sed ut iuniores eruditos ad glossaria Lugduno-Batava attentos reddam et hoc veluti gustu si fieri queat ad illa glossaria interius cognoscenda et aliquando corrigenda edendaque alliciam'. Ceterum Ruhnkenius non ad apogra-

ipsa glossaria Leidensia sint. Atque eis quidem codicibus, quos in Geelii catalogo descriptos habes, Lipsiam transmissis ipsis usus sum, vetustiore catalogo quae continentur multo plura et ex parte certe meliora, eorum apographa Burmanniana accurate ut videntur confecta praesto fuerunt. Quae fontium nostrorum ratio aegre ad has quaestiones, nullo autem modo ad edenda glossaria sufficit. Atque pauca quidem Leidensia Burmannus non descripsit. Breviter indicabo quae eius apographis contineantur.

Codices 'XXI. Burm. Q. 5' duo spissa volumina sunt 4° nitide scripta[1]), quae Petrus Burmannus Secundus haud dubie edenda destinaverat, 'opus' ut iure suo ait Geelius 'maximae diligentiae, quo carere non poterit, si quando inveniatur, qui Corpus Glossariorum condere velit'. Insunt:

Vol. I, 1 p. 1—159 = cod. Vossianus Fol. 26 (cf. supra p. 110). *A* et *B* litteris adscriptae sunt glossae e cod. Leidensi 191 petitae itemque coniecturae N. Heinsii et Petri Burmanni patrui.

Vol. I, 2 p. 161—323: 'glossarium in SS. Biblia ex duobus Leidensibus ... collectum'. Cf. supra p. 141.

Vol. I, 3 p. 329—379: cf. supra p. 110. Has glossas Lindenbrogius Placido falso tribuit.

p. 380—385: glossae a Turnebo in Adv. XXVIII, 5 et 6 editae.

p. 385—391: minora non nulla, non nimis gravis momenti, de quibus alibi fortasse plura. Omnia quae inde a p. 329 usque ad 391 pertinent Hamburgi ex schedis Ioh. Alb. Fabricii descripta Ruhnkenius cum Burmanno communicaverat.

p. 392—394 et 395: voces variae animantium.

Vol. I, 4 p. 396—412 et 413—429: duo glossaria e Vossiano Oct. 24 petita.

---

pha Burmanniana (quae est Hildebrandi in commentatione Muetzelliana, ut breviter dicam, perversa opinio), sed ad ipsos bibliothecae Leidensis codices membraneos respicit.

[1]) Hariolatur Hildebrandus, qui ad legendum ea difficillima et parum accurate scripta esse contendat in praefatione gloss. Paris. p. VIII et in commentatione Muetzelliana.

Vol. I, 5 p. 425—483: 'liber glossarum ex variis glossariis collectus': apographon particulae codicis Scaligerani 61.
Vol. I, 6 p. 495—552: Dosithei glossae latinograecae.
p. 553—555: Eucherii glossarum spiritalium fragmentum.
p. 557—569: eiusdem glossae spiritales ex codice Leidensi descriptae.
Vol. I, 7 p. 571 sqq.: glossae graecolatinae Dosithei.
p. 635—711: epitome 'Philoxeni' glossarum a Scaligero e codice Parisino 7651 excerptarum.
p. 712—716: vocabula graeca rariora e glossis Philoxeni a Scaligero collecta.
Vol. II, 8 p. 1—380: glossarium codicis Vossiani Fol. 82.
Vol. II, 9 p. 1—19: particula codicis Vossiani Fol. 26.
Vol. II, 10 p. 1—252: glossarium codicis Vossiani Fol. 24.
Additae sunt 'schedae ad apographa Burmanni pertinentes', inter quas habes glossas Servii grammatici, glossarium manu Boxhornii scriptum, duo fragmenta membranea Papiae, alia.

Haec de apographis: transimus ad ipsos codices, quorum uberrimus est Leidensis 67 F [1]) olim Krohnianus membr. saec. VIII/IX 158 foliorum quadripertitis paginis ita scriptus, ut usque ad f. 102^v triceni singulis paginis versus contineantur, inde a f. 103^r autem usque ad finem modo 30 modo 31 modo 32. Integer codex viginti quaternionum erat: vicesimi folia septimum et octavum, quae vacua fuisse videntur, nunc excisa sunt. Quaternionum notas in octavi cuiusque folii versi margine inferiore perscriptas habes, praeter vicesimi scilicet quae una cum extremis duobus foliis intercidit. Insunt circiter 23000 glossae. Haec sunt variae huius membranae particulae:

1) f. 1^{r}a—54^{r}b: 'affatim' glossarium: v. supra p. 109.

2) f. 54^{r}b—62^{r}c: illud glossariolum, quod breviter descripsimus p. 154 sq.

---

[1]) In Geelii catalogo n. 496. Hoc ex codice Theodorus Mommsenus notarum laterculos Lugdunenses edidit in Keilii Grammaticorum t. V p. 277 sqq., et I. B. Pitra Eucherii glossas in Spicil. Solesm. t. III p. 400. Cf. etiam Lucianum Muellerum in Nov. annal. a. 1866 p. 390 et 397 eundemque in praefatione Lucili p. XXXVI.

3) f. 62^{r}d—104^{v}a: 'abavus' glossarium, de quo explicatius egimus p. 87 sqq.

4) f. 104^{v}a: 'Abector: exportatus Abeuntibus: discedentibus Abire: circuere' usque ad f. 118^{r}d 'Vultus: facies Vxorius: uxori deditus Xystarcha: substantiae princeps'. Hoc glossarium ad severum litterarum ordinem redactum praeter paucas γλώccαc quas proprie dicimus, velut 'Dunt: dant, tribuunt' 'Enica: adultera', nihil fere continet nisi glossas Vergilianas, inter quas haec exstant:

Agenoris urbe: chartago est, a turis condita [Aen. I, 338]
Agetate fugam: fuge consilium habete [Aen. II, 640]
Aqui rotissimummas leuibus perlabitur undas: aque sociatis leuibus summas undas perlabitur [Aen. I, 147]
Caeco carpitur igni: occulto amore consumitur [Aen. IV, 2]
Cymera: chifonis et aechidne filia, prima leo postrema draco media capra [cf. Lucr. V, 902], quam bello fantes occidit [Aen. VI, 288]

5) f. 119^{r}a: 'INCPIUNT | GLOSAE PRO|PIETATUM | Arma: bellũ iđ ẽ pugna Albani patris: abbani senatoris Aperit: ostendit' usque ad f. 128^{r}b 'Functus ministerio: seruiens Fictio: simulatio Fucus: circumuentio'. f. 128^{r}c-d et 128^{v} scriptura carent. 'Glosis propietatum' corruptissimis[1]) duo maxime glossarum genera continentur:

a) Vergilianarum larga copia, velut 'Aeternum uulnus: antiqua indignatio [Aen. I, 36] Accestes: accessistes [Aen. I, 201] Atra subegit hiems: obscura conpellit tempestas [Aen. VII, 214] Auri sacra famis: auri exegranda cupitas [Aen. III, 57]'.

b) 'Γλῶccαι' non paucae: 'Agrippa: qui in pedis nascitur Aquilum: fuscum, nigrum Catax: axaxo cludus Falconit: qui pollices pedum intro curuus habent Bisultis: porcos fissis unculis', aliae. Saepe *hic* vocula addita glossator ad certos locos respicit in hunc modum: 'Aestus: hic inundatio' 'Auleis: hic parastromatis' 'Agmine: hic ordine'.

6) f. 129^{r}: 'Collegi ea quae pluribus modis dicerentur ....

---

[1]) Cf. 'emulis: in hodie cominentibus' h. e. 'eminulis: modice eminentibus'.

[praefatio synonymis 'Ciceronis' saepe praemissa] ... initium capimus. Orator: auctor defensor [ipsa illa synonyma]' usque ad f. 140ʳc: 'Obuiat occurrit presto ẽ ad tempus addiẽ ad constitutũ adẽ ^{d}a locũ ad rem. EXPLICIT | SYNONIMA | ARTIS | RETORICAE | FELICITER | AMEN ΛƆ·CHN | Z DEO | GRATIAS | ... ' f. 140ʳd uacuum est.

7) f. 140ᵛ: 'Cycero uetere suo salutem collegi ea quae pluribus modis dicerentur ... Igitur ab oratore inicium incipiamus. Orator actor defensor patronus [synonyma Ciceronis alphabetico ordine conscripta]' usque ad fol. 141ᵛd: 'Consilia placida sensa disa EXPLICIT'.

8) f. 147ʳa: 'INCPVNT GLOSAS AGELLI E MRCELLI | Aput: iuxta Abstenens: subrius Adipatum: pinguae' usque ad f. 147ʳa: 'Uiere: uincere Undulatũ: dilatatum purum Zonatim: ingenuoꝝ'[1]).

9) f. 147ʳa: 'ITEMALIAS Abligare: a loco alinare unde et legati et legatio dicta Arcanum: secretum repositum ab arca dictum Austra: rotarum modii' usque ad f. 148ʳd: 'Unde exditi dicti Unde lixiuũ dictũ sit'.

10) f. 148ʳd: 'INCIPIUNT · GLOSE | IURE · Ap̃ . apud . argentũ' usque ad f. 149ʳd: 'U͞ᵐ . uerum Ū . uer. Ū uen.' Haec Th. Mommsenus l. s. s. edidit.

11) f. 149ʳd: 'INCIPIUNT | GLOSAE | SPITALIS | IUXTA | EUCHERIU'. f. 149ᵛa: 'Agricola: ds Ager: mundus Aures dm̃ exauditio diuina' usque ad f. 152ʳa: 'Uia: xps Zizania: scandala uel male uiuentes Zelum: indignatio'. Edidit Pitra l. s. s.

12) f. 152ʳa usque ad 152ʳb ⅓: 'UOCES UARIAE | ANIMANTIU Ouis . bobat Canis . latrat Lupus . ullulat' ... 'Cursus aquarũ murmorat Ferrum stridit Aes. tinnit'. f. 152ʳb ⅔ et 152ʳc-d uacua sunt.

13) f. 152ᵛ—158ᵛ med. scripta sunt:

---

[1]) De hoc glossario Noniano in Comment. philol. seminarii Lips. a. 1874 editis p. 244 sqq. egimus.

a) 'Exemplar fidei Niceni. Exēplar fidei chatolicę sc̄i Iheronimi presbiteri. Exemplar fidei catholicę sc̄i gregorii mart et ep̄i. Exemplar fidei catholicae. Itē sc̄i attanasii ep̄i. Item sc̄i ām̄brosii episcobi. Exēplar fidei catholicae sc̄i agustini ep̄i'. Haec pertinent usque ad f. 155^v med.: 'meritis . explicit'. Sequitur statim:

b) 'Incipit ꝓlogus de questiuncula sc̄i agustini' usque ad f. 158^v med.: 'non fulgit EXPŁ'.

14) Agmen claudunt duo alphabeta graeca, quorum alterum priore loco scriptum praeter litterarum formas nomina quoque addit. Subscripsit librarius:

ΓΑѠϹΘ ΜΑ ΡѠϹ · ΦЄΚ(Κ ex Ϲ)ΗΘ ΗϹΘΟ ΓΡЄΚΟ

quae si recte intellego significant: 'Gaostmaros fecit isto Greco'[1]).

Reliquorum codicum Leidensium describendorum occasio aut supra oblata est, aut infra offeretur: restant Bernenses non nulli. E glossariis Bernensibus pauca excerpserunt Sinnerus in catalogo et Ribbeckius in Tragicorum et Comicorum corollariis: multa ex eodem fonte petita mecum communicavit Usenerus. Non pauca etiam Hageno debeo.

I) Codex Bernensis 178 (cf. Sinnerum I p. 397, ubi 53 glossae inde proferuntur; Hageni catalogum p. 238; a Ribbeckio B^3 nota significatur) membr. fol. saec. IX/X 116 foliorum, quorum primum et secundum ab hoc codice aliena sunt, bipertitis paginis scriptus est. Insunt praeter synonyma

---

[1]) Non intellexit Geelius in catalogo. Non rarae sunt in saec. VIII—X codicibus mere latinis huius modi subscriptiones. Veluti in Novarensi LXXI 'satis antiquo' (cf. 'Lettera dell' Abate Giovanni Andres . . . sopra alcuni codici delle biblioteche capitolari di Novara e di Vercelli' Parmae a. 1802 p. 42) habes: ΔѠΖΛ ΠΛΘΡΙ ΔѠΖΛ ΦΙΛΙѠ ΔѠΖΛ ϹΠΟΙ ϹΚ̄Ѡ. In Bernensi 236 (cf. Hageni catal. p. 279 sq.) scripta sunt f. 3^r: 'anno incarnationis dominice DCCCCXI in die Veneris fui initiatus et fecit me ΗΡΥΟΛΦΟϹ ΛΗΟΥΘΑ ΥΝΔΥΓΝΟϹ'; f. 22^r: ΥΚ ΗϹΘ ΛΥΒΗΡ ΓΛѠϹΛΡΟƆ·Ϲ; f. 112^r: ЄΧΠΛΙϹΙΘ. Λ.·ΙΝΚΙΠΙΘ Ɔ·Ϲ. Cf. etiam Luc. Muellerum in Nov. annal. t. 93 (a. 1866) p. 865.

quae vocantur Ciceronis (f. 7^vb—11), varia orthographica (f. 78^r—90^rb), tractatum theologicum nescio cuius (f. 90^v—108^ra), Martini Dumiensis de moribus tractatum (f. 108^ra—110^ra), collectanea quaedam (f. 110^va—111^rb et 116^ra), 'differentias Cyceronis' (f. 111^rb—116^ra), duo glossaria:

1) Glossarium titulo carens, quo graeca vocabula, intermixtis etiam latinis et hebraicis, explicantur: incipit f. 3 *Adonai*: *dne* *Agius*: *scs* *Angelus*: *nuncius*, explicit f. 7^vb *Ylin*: *prima materia*. Paucae insunt glossae, quae ad voces spectant in linguam latinam e graeca receptas, velut f. 3^va *Arthemon*: *malus nauis*; f. 5^ra *Elogium*: *fama uel ordo criminum ·s· textus gestorum ł benedictio eloquium prouerbium*; *Elogii*: *uersiculi pars carminis*.

2) Glossarium latinum ad litterarum ordinem severiter redactum: incipit f. 12 *Abactor*: *fur iumentorum* *Abacta*: *inuoluta furata*, explicit f. 77^v *Zepheri*: *uenti occidentalis* *Zizania*: *lolium* *Zona*: *cingulum*. Praesto mihi fuerunt excerpta Sinneri l. s. s. et Useneri ad *A*—*C* litteras spectantia, unde glossarium illud bonae notae esse et non nulla praebere aliunde mihi certe non nota (velut Persianum illud f. 22^va *ceue*: *inclina te*) apparuit.

II) Codicem Bernensem 258 (cf. Sinnerum I p. 401 et Hagenum p. 288 sqq.) fol. bipertitis maximam partem paginis saec. IX scriptum, olim Petri Danielis, postea Iacobi Bongarsii, quaternionum notae docent ex duabus compositum esse partibus, quarum prioris usque ad f. 47 pertinentis (f. 48 enim, quod vacuum fuerat, nunc excisum est) sex quaterniones veteris et novi testamenti glossas secundum librorum sacrorum ordinem congestas continent. Similes sunt codicis Bernensis 236 fol. membr. 180 foliorum ineunte saec. X scripti glossae. Alterius autem partis duodeviginti quaterniones (extremi nota intercidit) tredecim glossaria exhibent. Hanc codicis partem Leidensi 67 F simillimum esse videbis.

1) f. 48^r—83^r: 'affatim' glossarium: v. supra p. 110.

2) f. 83^r—115^r: 'abavus' glossarium: v. supra p. 90.

3) f. 115^r—128^r: 'abectus: exportatus' usque ad 'xistarcha: substantię princeps' = cod. Leidensis 67 F^4 f. 104^va—118^rd.

4) f. 128[r] — 131[v]: 'ab: absens' usque ad 'mimografus: quę mimoscribit' = cod. Leidensis 67 F[2] f. 54[r]b — 62[r]c, ubi glossarium integrum est. V. supra p. 154.

5) f. 131[v]: 'Aboris: afinibus. Arcebat: ꝓhibebat uetabat. Amendare: a patria excolare. Abdidit: abscondit clausit. Atris: tenebrosis nigris' usque ad f. 153[r]: 'Viridenti: uiridi. Ut pute: nam sicut. Zeperi: uenti. Zelum: inuidia. Zona: cingulũ'.

6) f. 153[r]: 'Audatia: temeritas . confidentia . improbitas . nequitia. Auidus: cupiđ rapax . auarus . sordiđ. A[p]petens alieni: insatiabił inexplebił' usque ad f. 159[r]: 'Vociferatur: clamat. Testatur . testificatur. Vindicta: ulcisci . ꝓsequi . squalor. Inluuies . pallor . macies . tabes. Afflixit . ꝓstrauit . ꝑcussit. oppręssit . elisit . euertit . obruit . euellit.' Glossarium synonyma exhibet.

7) f. 159[r]: 'Arma . pugnas. Altum . mari. Abira . pręira. Astia . uero aretro. Accestis . accessisti. Annuit . promittit' usque ad f. 175[r]: 'Vrgit . prȩmit. Vris . bouis siluaticus. Venenum . tincture. Vocabula . nomina.' Harum glossarum *A* et *B* litterae (f. 159[r] — 171[r]) tantum uberiores sunt, reliquae (*C*—*V*) non tota quattuor folia (f. 171[r] — 175[r]) complent. Permultae insunt glossae biblicae, quibus nomina propria fusius explicantur.

8) f. 175[r]: 'Aerarium . thesaurũ. Arcet . uetat ꝓhibet. Apex . summitas. Abditum . absconditũ. Aether . sũma pars cęli. Adamans . lapis ferro durior' usque ad f. 177[v]: 'Vallari. circumdari. Xersis . rex ꝑsarum . Xystus . locus diãbulationis. Xansis . fluuius troiae. Zmaragđ . nom̃ gẽmę. Zelotipus . ab omnib: timens ł suspicans'.

9) f. 177[v] post glossam *Ars*: *grammatica* secuntur voces variae animantium hae: 'Elefans . barrit . Leo . rugit. Taurus. mugit. Capra . miccit. Ouis . balat. Anser . glancit. Gallina . glaccit'.

10) f. 177[v] — 183[v]: vide supra p. 150 sq.

11) f. 183[v]: 'Atumi: mare ł cęlum. Aerariũ: thesaurum publicum. Anna: infiectio ÷ deꝑcantis. Arcis: ędificia munita' usque ad f. 189[r]: 'Vspiam: alicubi. Victima: sa-

crificiũ. Vstio: ardor. Vrbs: circuitus ciuitatis. Zizania: scandalum ł male uiuentes. Zelum: indignatio'.

12) f. 189r: 'Agrestis: rusticani. Ausis: cõmissis. Auditu: ingressu. Acti: compulsi. Affectus: pietas' usque ad f. 190r: 'Vstus: membra. Voluens: tractans. Vulgata: publicata. Vna: simul'.

13) f. 190r: 'INCIPIVNT GLOSĘ SP̄ITA|LES IVXTA EVCHERIV̄ | EP̄M Agricola . ds̃ Ager . mundus. Auris dn̄i . exauditio diuina' usque ad f. 191v: 'Via . xp̄c. Zizania . scandalũ . ł male uiuentes. Zelum . indignatio'.

14) f. 191v: 'INCIPIT ꝑLOGVS SENONIMAE. Hec uerba qui plurimis modis in .... igitur ab oratore initium capiamus sic; INCIPIVNT GLOSĘ SENONIMĘ CICERONIS. Oratur: actur . defensor . patronus . causidicus . aduocatus' usque ad f. 192r: 'Imago: forma . species . similitudo. simulacrum. Sterilis: infructuosa . infecunda'.

III) Codex Bernensis 224 (cf. Hagenum p. 274 sq.; Ribbeckio est B^2) fol. saec. *X* ab uno eodemque ut videtur librario scriptus post varia Isidoriana et sacra f. 3r—189rb pertinentia Eucherii episcopi glossas spiritales (f. 189v—191va) et 'Ciceronis' synonyma (f. 191vb—193r) continet. Secuntur tria glossaria:

1) f. 193va: 'INCIPIUNT GLOSAE. Amoenum: iocundum. Aridum: siccum. Amissum: peccatum. Ademptum: adquaesitum. Arua: terra. Audax: praesumptiuus' usque ad f. 196rb: 'Uter: ambo Uacillo: non consisto'. De hoc glossario, in quod multae glossae ad Donati artem grammaticam spectantes receptae sunt, Usenerus in Musei Rhenani t. XXIII p. 223 sq. egit.

2) f. 196rb: 'ITEM ALIAS. Adfatim: abundanter Apex: summa capitis . uel nuntium. Abstrusa: absconsa. Auernus: infernus. Ale: aequites Aluus: uenter Ancile: scutum Aduliscit: crescit' usque ad f. 198va: 'Utrius: cuius. Uernat: floret. Uescitur: pascitur'. Excipiunt haec glossulae: 'Saltim: uehoc Alioquin: quodne. Uidelicet: profectu Quoq:: iterũ. Porro: certe. Quin: usq: SIN: sine. Nisi: interea. Praesertim: abundant̄. Quippe: certe scilicet sine

dubio. Perfere: porto. Ob: propter. Pube: barba. Exprimend: idmanifestandus.' Ex illis pauca excerpere iuvat: *aequilocus*: *iusta loquens* (f. 196^{v}a) *arcitenium*: *monastirium* (196^{v}b) *conpota*: *pariter biba* *cliscere*: *disiungere* *coruscis*: *fulgoribus* *dissicit*: *dispergit* (197^{r}a) *procas*: *qui post mortem patris nascitur* (198^{r}b) *prolectat*: *delectat* (198^{r}c).

3) f. 198^{v}b—226^{v}: 'affatim' glossarium. Cf. supra p. 111.

Agmen claudant glossaria Mediolanensia.

Mediolanensium bibliothecae Ambrosianae glossariorum fama maior esse videtur quam virtus. Quae mihi certe innotuerunt ut aliter iudicem faciunt atque Angelus Mai, qui illorum laudator est acerrimus. Pauca autem hucusque illius bibliothecae glossaria accuratius cognita habemus. Etenim post Amedeum Peyronem, qui in bibliothecae Bobiensis inventarii a. 1461 confecti enarratione[1]) p. 186 sqq. duos codices praecipuos descripsit, Angelus Mai in Spicilegii Romani t. V Romae a. 1841 ed. p. 244 sqq., ubi 'de nonnullis codicibus bibl. Ambr. Mediol.' agit, tredecim codicum 'lexica latina pervetusta' exhibentium tantum modo notas p. 248 protulit neque quidquam inde edidit praeter tenue 'Specimen glossographi veteris in codice mediolanensi' 33 glossarum[2]) in Class. auct. t. VII (a. 1835) p. 586 sq. Perpauca ex eis quae huc spectant etiam Augustus Reifferscheid in bibl. patr. lat. ital. II, 1 p. 48 attigit. Nos pleniorem notitiam Ludovico Mendelssohn et Rudolfo Schöll debemus.

Prae ceteris dicendum est de magnae molis quodam glossario, quode v. Peyronem l. s. s. p. 186 sq., Maium p. 248 et in 'Appendice' Romae a. 1871 edita p. 70, Reifferscheidum p. 48. Codex Ambrosianus C 243 inf. fol. membr. saec. X vel XI[3]) bipertitis paginis scriptus 309 foliorum e bibliotheca Bobiensi[4]) a Frid. Borromeo a. 1606 acquisitus est.

[1]) Ea praemissa est Ciceronis orationum fragmentis ineditis (Stuttgardiae et Tubingae a. 1824).

[2]) Insunt multa etymologica. Excitantur Prudentius, Pindarus ('Thebanus' scilicet), Priscianus, Eutychius.

[3]) Saeculo decimo Peyron, fere decimo Mendelssohnius, undecimo Schoellius tribuunt.

[4]) In 'inventario librorum monasterii S. Columbani de Bobio, quod

Lexicon exhibet latinum quod medium quasi locum tenet inter glossaria ex rerum ratione. et secundum litterarum ordinem conlecta. Secutus est enim qui composuit alphabeti ordinem ita, ut singulas litteras pro varia rerum declarandarum indole in certa capita distribueret, quorum in fine glossae a materia tractata alienae[1]) adduntur. Inc.: 'INCIPIUNT GLOSE DE DIUERSARŪ RERŪ SIGNIFICATIONIBUS · SED PRIMŪ DE NOMINIBUS QUE INDÕ PROPRIE ET SECUNDUM QUANDAM SIMILITUDINEM DICUNTUR. | A et ω ideo uocatur filius di̅ quia primus et nouissimus est; alfa enim littera nulla praecedit: prima est enim litterarum sicut et filius . . .' Explicit in *Zephirus* glossa. Post initium supra exscriptum secuntur glossae dei nomina continentes: *Angelus filius di̅ dicitur* . . . *Aquila di̅ filius dicitur Adonai* . . . *Aeternus*; secundae particulae titulus est: 'de uocabulis et officiis angelorum'; tertiae: 'de hebreorum nominum interpretationibus' (*Adam* . . . *Abelluctus* . . . *Arptoxath* . . . sim.). Secuntur 'de ecclesiasticis ordinibus et ministeriis' (*Archiepiscopus* . . . *Antistes* . . .), 'de libris ecclesiasticis', 'de apocriphis', sim. Ut autem quaenam sit glossarum ratio perspiciatur, paucula quaedam ex *L* littera delibabo, ubi p. 305a habes:

de animalibus ferinis

Leo. Leo autem graece latine rex interpretatur eo quod princeps sit bestiarum omnium. Cuius genus trifarium dicitur . . .

Leonis uocabulum ex graeca origine inflexum est in latinam . . .

Leena [quod animal sit explicatur]

Linces [fusius depinguntur]

Lyciscae sunt, ut plinius dicit, canes nati ex lupis et canibus cum inter se forte misceantur

---

renovatum fuit in 1461' p. 25 ed. Peyr. hic codex sic describitur: 'Glose de diversarum rerum significationibus distincte secundum ordinem litterarum alphabeti. Et secundum formam ac similitudinem libri qui dicitur catholicon, cuius auctorem scire nequivimus [Iohannes Ianuensis est]. Et primo de nominibus, que in deo proprie et secundum quamdam similitudinem dicuntur. magni vol. asser.'

[1]) Etymologicae maximam partem ut videntur.

Lupi . . . Leontofonos bestia modica . . . Lepus . . .

de uermibus

Limax uermis limi dictus . . . Lumbricus Lendex Lacertus reptile genus . . . [Subito:] *Lardum eo quȯd in domo repositum conseruatur. nam antiqui domos lares dicebant. Lares* [caret interpretamento]

de instrumentis et aedificiis domorum . . .

Quando hoc corpus compositum sit inde colligi potest, quod praeter Plinium, Catonem 'in libris ad filium de agri cultura', Servium Vergilii, librum medicinalem Hippocratis, Orosium (de natura serpentum), ecclesiasticos scriptores (velut Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Bedam, Cassiodorium, Isidorum) afferuntur etiam Alcuinus, Ravanus, collatio abbatis Theodori, liber primus canonis Halitgarii episcopi de avaritia, liber Smaragdi in evangelia. Vetustae glossae ad nostra studia utiles praeter perpaucas abesse videntur.

Codex B 31 sup. membr. 12^0 fol. 215 saec. X (sic Reifferscheido II, 1 p. 48 videtur: Mendelssohnio saec. IX) f. 117^r—211^r glossarium continet, cuius principium est: 'Incipit glosa. | Allegoria: spiritalia Acolothin: ecclasten Ambrosia: diuina'. Non carere sua doctrina Mendelssohnio videtur.

Reliquorum codicum, quibus glossaria aut continentur aut contineri dicuntur, nihil ut videntur valentium indicem addo breviculum:

L 22 sup. membr. s. X olim Bobiensis: non glossarium inest, sed grammatica quaedam nullius pretii utpote medio aevo confecta, quemadmodum etiam in cod. H 15 sup. membr. s. XIV, item olim Bobiensi.

B 36 inf. membr. s. XI ingentis voluminis: 'dictionarium instar Calepini, in quo singulae dictiones per sua synonyma, etymologias et varias quas habent significationes explicantur'. 'Libri glossarum' exemplum est.

H 68 sup. s. XI 'libri glossarum' epitomam exhibet.

M 79 inf. membr. s. XI/XII: praeter alia multa inest etiam 'glossarium vocum latinarum', paucarum paginarum, pretii nullius.

F 97 sup. membr. s. XIII/XIV: glossae psalmorum et similes.

I 216 inf. membr. s. XIV: 'lexicon' in quo 'explicatio vocum moralium' inest.

A 50 inf. membr. s. XIV: 'Uguicii Pisani de nominum significationibus, origine, etymologia'; C 82 inf. s. XV: 'Ugucionis Pisani dictionarium'.

D 8 sup. bomb. s. XV: 'dictionarium latinum', quode supra p. 164 breviter egimus.

V 5 sup. membr. s. XV/XVI et H 91 sup. n. 3 membr. s. XVI excerpta exhibent ex Pauli epitoma, quae in codice H 91 sup. ad *A—C* litteras tantum spectant.

§ 11.

De glossariis latinograecis.

1. De 'Philoxeni' glossario.

Glossariorum bilinguium quotquot exstant omnium procul dubio optimum et ut ita dicam doctissimum[1]) illud est cui Philoxeni nomen falso inscribitur. Quae quidem doctrina et virtus vel inde luculentissime apparet, quod quadraginta octo fere locis glossarum fontes adscripti sunt: et quales ibi fontes habes! XII tabulae, Naevius, Plautus, Ennius, Lucilius aliique id genus scriptores excitantur. Nos hoc loco de 'Philoxeni' glossis brevissime agemus et non nulla quae repperisse nobis videmur ita proponemus, ut rationes nostras non explicemus. Pleniorem de egregio hoc glossario disputationem alibi daturi sumus.

1. Primus integrum glossarium edidit Henricus Stephanus in libro 'glossaria duo e situ vetustatis eruta, ad utriusque linguae cognitionem perutilia. Item de atticae linguae seu dialecti idiomatis comment. Henr. Steph. Utraque nunc primum in publicum prodeunt. a. 1573 excudebat Henr. Stephanus' inscripto p. 1—230 repetiitque B. Vulcanius nihil

[1]) Rectissime Scaliger ad Festum Pauli v. *ambactus*: 'glossarium illud non satis laudatum et quod magistellorum manibus teri non debet, sed tantum a doctioribus nocte et die versari'. Cf. etiam Scaligerana II, 94: 'glossaria Stephani omnium optima'; ibidem p. 125: 'les bonnes choses qu'il y a en ce glossaire de Saint Germain'.

mutatum[1]) in 'Thesauro utriusque linguae' p. 1—230. Post Vulcanium habes ad Thesauri graeci Stephaniani editionem Londinensem adiectum. Priusquam autem Stephanus integras ederet has glossas, pauca inde excerpta Adrianus Turnebus in 'Adversariorum' libris protulerat: cf. XVIII, 26 p. 616 sq.; XXVII, 10 p. 1013 sq.; XXVII, 15 p. 1017.

2. Edidit Stephanus Philoxenum e codice Parisino memb. 4° 7651 'de l'ancien fonds latin' 219 foliorum saec. IX ut catalogi auctori, VIII ut Rudorffio visus est scripto. De tota hac re vide Rudorffium disputantem in uberiore commentatione 'Die Glossare des Philoxenus und Cyrillus'. Idem Stephani editionem parum accurate paratam esse demonstravit, id quod dudum sciebatur Friderici Osanni opera[2]), qui duodetriginta ex illis glossis quibus fontium indiculi adscripti sunt e codice Parisino excerptas pro viribus suis enarraverat indice lectionum Gissensi a. 1826 'Glossarii latini specimen' inscripto[3]). Ceterum omnes illas glossas collectas et dispositas habes ab Iosepho Klein in Musei Rhenani t. XXIV (a. 1869) p. 289—302. Osanni et Rudorffii de male edito a Stephano cod. Parisino 7651 testimoniis adicio meum, quod

[1]) Vulcanius Stephani exemplar quam fideliter expresserit — neque enim quidquam mutavit nisi quod hic illic in graecis commata pro punctis posuit et rarissime accentus spiritusve correxit — vel e paginarum numeratione apparet. Vulcaniana nempe col. 1—666 integra e Stephano petita sunt, cuius libri prior pars item sunt columnae 666: Stephani de atticae linguae seu dialecti idiomatis liber 247 novis paginis (non 'columnis') continetur. Iam cum Vulcanius Stephani ad lectorem praefationem 'excerptis' praemissam quae p. 235 et 236 (exspectamus potius 233. 234, cum Philoxeni extremi folii pagina recta 229. 230 insignita, pagina versa autem vacua sit) continetur non repetierit, quaesiverit fortasse quispiam qui fieri potuerit ut Vulcanii liber nihilo setius 666 columnas exhibeat. Omisit ille simpliciter numeros 233—236, ita ut post Philoxeni extremum numerum qui est 232 sequatur 237.

[2]) Idem inde quoque colligi poterat, quod in castigationibus et emendationibus Labbaei glossariis subiectis non nullae e codice Parisino glossae promuntur a Stephano prorsus omissae, velut *altercatim*: ἐριστικῶς. Ceterum Stephani editio p r o i l l i u s a e t a t i s r a t i o n i b u s accuratissime parata est.

[3]) Osannus alibi quoque Parisini 7651 scripturas profert, velut in Auctario lexicorum graecorum Darmstadtiae a. 1824 ed. p. 43 et 49,

nititur glossis nonnullis ab Aemilio Bährens et Guilelmo Schmitz meum in usum benevolentissime excerptis. Novam glossarii editionem, qualem Franciscum Oehlerum et Mauritium Hauptium parasse[1]) scimus, nos aliquando evulgaturos esse speramus.

3. Flavium Theodorum Philoxenum anni p. Chr. 525 consulem huius glossarii auctorem esse Scaligeri, Salmasii, aliorum coniectura est, derivata illa e versibus quibusdam, quos in glossarum codice exstare putabant. Sunt autem hi:

τοιόῦτο δῶρον τῇ cοφῇ γερουcίᾳ
ὕπατοc ὑπάρχων προcφέρω Φιλόξενοc.

Hos versus in codice Parisino 7651 non exstare, sed diptycho cuidam inscriptos esse Du Cangius in Labbaei glossariorum praefatione exposuit et explicatius post eum Rudorffius l. s. s. Diptychon illud cum ad glossas latinograecas nihil pertineat, Philoxenum auctorem non esse facile apparet. Itaque nescimus cui tam egregiam doctissimarum glossarum copiam debeamus. Quo autem tempore natum esse videatur glossarium et in qua regione, de his aliisque rebus huc spectantibus consule Rudorffium.

4. Praeclari glossarii κρίcιc dolendum est quod usque ad hunc diem neglecta iacet. Exstant sane nonnulla tentamina critica, sed post eorum quos statim indicabimus virorum studia nemo fere curavit pretiosissimas antiquissimae doctrinae relliquias, id quod permirum est, cum Scaliger aliique toties glossarii virtutes summis laudibus extulerint. Consentaneum est sane multas 'Philoxeni' glossas in adversariis, coniectaneis, scriptorum commentariis quasi praetereundo tractari, quae quidem studia satis disiecta colligere eius erit qui glossarium edet. Nonnulla autem eius modi iam collecta habes in 'castigationibus et emendationibus in utrumque glossarium' Labbaei glossariis p. 207—246 adiectis. Maiorem glossarum partem emendandam proposuerunt Desiderius Heraldus in Adversariorum libris duobus: cf. prioris libri capita I p. 1—4 (editionis Parisinae a. 1699); IV p. 10—13; VI p. 19; VII p. 28—36; VIII p. 36—43;

[1]) Glossaria bilinguia cum edere sibi proposuisset 'non contemnenda istum in finem' congesserat Thomas Crenius: v. eius Animadversiones philol. et histor. part. IX Amstelaedami a. 1701 ed. p. 133.

XI p. 62—67, et Iohannes Meursius, qui in Critici Arnobiani libri III capite XIV (operum Florentiae a. 1745 editorum t. VI p. 159 sq.) specimen protulit emendationum[1]) Philoxeni glossarum, thesauri ut ait magni antiquitatis, magni mendarum. Praeterea autem nominandae sunt Bon. Vulcanii 'notae et castigationes in glossaria utriusque linguae' p. 1—70 adiectae, bonae frugis eae plenissimae. Ubi quae proferuntur corruptelarum foedissimarum ingeniosissimae emendationes nescio num notum sit eas non Vulcanio deberi, sed Iosepho Iusto Scaligero, quem huius glossarii sospitatorem non iniuria dixeris. Hanc autem rei rationem esse planissime demonstrari potest adhibitis Scaligeri ad Festum adnotationibus, ubi sescentos glossarii locos emendavit[2]). Multo certius etiam idem demonstrare possum propterea quod praesto mihi fuit Scaligeranorum e codice Parisino 7651 excerptorum apographon a P. Burmanno Secundo confectum. Exstat autem in bibliotheca Leidensi sic signatum: 'MS. Burmann Quarto N 5', quo in volumine septimum locum tenet p. 635 sqq. Descripsit Burmannus e codice Scaligerano 25 (cf. p. 340a catalogi Leidensis), qui continet 'carmina quaedam Ios. Scaligeri . . . glossarium latinograecum, descriptum ex vetusto codice coenobii S. Germani Parisiensis ad suburbia. vocabula descripta ex veteribus glossariis latinograecis[3]) . . . omnia ex chirographo ipsius Ios. Scaligeri . . .' Hic quas adscriptas habes *S* nota adpicta Scaligeri emendationes, prolatas illas aliqua ex parte etiam ad Festum, eas Vulcanius simpliciter suas fecit, unde eximia harum adnota-

---

[1]) Harum emendationum maiorem partem in Exercitationum criticarum parte secunda lib. IV cap. 15 p. 220—223 editionis Lugdunensis Batavorum a. 1599 repetiit.

[2]) Verum est si quidquam, quod Scaliger ait Scaligeranorum II p. 94 de Sangermanensibus illis glossis ad enarrandum Festum a se adhibitis: 'je m'en suis bien servi'. Cf. eundem ad Festum Pauli v. *adoriam*: 'glossarium vetus, cuius ope multa vetustatis situ sepulta eruimus'.

[3]) Haec quoque Burmannus descripsit. Pertinent autem inde ab ἀροτρίαcιc: *cuma* ἀρτόκρεαc: *visceratio* usque ad ψιλοβάφοc: *plumarius* ψηρτιῷ *burdit* γανειῷ. Spicilegium est quarundam 'Philoxeni' glossarum ob vocum graecarum raritatem insignium, lemmatum et interpretamentorum ordine nimirum permutato.

tionum laus ad Scaligerum transferenda est. Ad comprobandam hanc rationem exempla non adeo multa sufficiunt.

Glossae p. 30, 45 *bis dic bis sum*: ἀκαιρεον Scaliger adscripsit:

Bis: δίϲ

Bissum: ἀκέραιον

Hinc Vulcanius in adnotationibus p. 19, 6: 'bis dic bis sum, ἀκαιρεον: locus misere corruptus; lege *bis*, δίϲ. *bissum*, ἀκέραιον'.

Glossae p. 31, 13: *bosbuc*: Βοτεγεροι, ὡϲ οἱ Γάλλοι. Ingeniosissimam Scaligeri emendationem 'lege *Bos*: βοῦϲ *Boi*: ἑτεροίωϲ οἱ Γάλλοι' suam fecit Vulcanius p. 19, 23 'corruptissime: lege *bos*: βοῦϲ. *boi*: ἑτεροίωϲ, οἱ Γάλλοι'.

Glossae p. 29, 19: *betoraes*: ἄκανθαι. Emendavit glossam Scaliger '*bepres*'. Vulcanius p. 18, 17 ut de suo 'l. *bepres* pro *vepres*'.

Glossae p. 26, 25: *auris clarium*: ὠτογλυφίϲ. Scaliger 'auriscalpium'; Vulcanius p. 16, 59 'lege *auriscalpium*'.

Glossae p. 18, 32: *argentarius*: κομάκτωρ. Scaliger 'κοάκτωρ'; Vulcanius p. 12, 25 'lege κοάκτωρ'.

Plura addere non opus est. Quicunque autem has 'Philoxeni' glossas edere sibi proponet, Scaligeri illa excerpta Leidensia necesse est religiosissime adhibeat. Ceterum 'glossas Labbaei ... ex MS. auctas et correctas variis in locis a Scaligero beneficio Mentelii' se possidere dicit Gisbertus Cuperus Observationum Traiecti ad Rhenum a. 1670 editarum l. III p. 353. Denique excerpsisse glossas e 'Philoxeni' glossario eaque excerpta Mureto et Manutio ostendere se voluisse ipse Scaliger dicit Scaligeranorum II p. 94.

5. 'Philoxeni' glossarii cum praeter Parisinum 7651 nullus codex exstare videatur[1]) emendandi rationes ex ipsius

[1]) Nescio, num re vera harum glossarum cod. Vaticanus exstet. W. Froehnerum enim a. 1861 Oehlero scripsisse Useneri beneficio scio, in cod. Parisino supplem. graec. 83 decem paginis P. D. Huetii emendationes contineri ad Philoxeni glossas spectantes, emendationes autem illas niti cum ipsius Huetii coniecturis tum codicis cuiusdam Vaticani scripturis. Ceterum codicis Parisini 7651 apographa esse eiusdem bibliothecae libros 7662 (cod. chart. saec. XIV) et 7653 (cod.

glossarii indole derivandae sunt. Glossarum nempe multiplex materia in duas quasi classes discernenda mihi videtur esse, quarum altera exquisitas egregiaque doctrina insignes exhibet, altera multo minus memorabiles partim e scriptoribus etiamnum superstitibus petitas, partim tam triviales ut ad certos scriptorum locos referri non iam possint.

Sic, ut his defungar, cf. glossarum quandam seriem, quam nulla ex parte notabilem esse vides:

p. 31, 4 sqq.: bonus: ἀγαθός
bona: ἀγαθά
bona: ὑπάρχοντα
bonitas: ἀγαθότης

p. 126, 34 sqq.: iucunditas: ἡδύτης
iucundum: ἥδιστον, προσηνές
iucundus: ἡδύς, τερπνός
iudicatis: κρίνετε
iudicat: κρίνει
iudicaui: ἔκρινα
iudex: ἄρχων, κριτής
iudicatus: καταδικασθείς
iudicabo: κρινῶ
iudicat: ἄρχει, κρίνει, δικάζει
iudices: δικασταί

---

chart. saec. XVI a Petro Pithoeo scriptum) Rudorffius l. s. s. dicit, quocum non consentiunt quae Froehnerus l. s. s. scripsit: 'cod. Paris. 7653 ist eine im 16. Jahrh. von der Hand Pierre Pithou's gemachte Copie, nicht von 7651, sondern von einer andern schlechteren Hds. der in 7651 enthaltenen 'glosae per elementum'. Die zahlreichen Correcturen, welche Pithoeus an seiner Copie vornahm, zeigen gleichfalls, dass er 7651 (Puteaneus) nicht gekannt hat'. Glossa a Scriverio ad Martialem VIII, 45 excitata: *saccat ulisci*, hoc est *saccat*: ὑλίζει in Philoxeni glossis p. 189, 42 comparet. In catalogo Leidensi p. 400b enumerantur quae continentur 'mss. voluminibus, in quae Vossiani haeredes coniecerunt omne genus chartarum, in folio et aliis formis'. Ibi quinto loco exstat 'fragmentum glossarii latinograeci' incipiens a 'Tabanus ΜΥΜΨ ΤΟ ΖΩΙΟΝ ΟΙСΤΡΟС' usque ad 'Tuus СΟС'. Est haud dubie 'Philoxeni' glossarii *T* littera integra, quae incipit apud Stephanum p. 209, 17 a 'tabanus: μύωψ, τὸ ζῶον, οἶστρος', explicit p. 219, 39 'tuus: σός'. Utrum e codice Parisino 7651 an aliunde petitum sit fragmentum nescio.

iudiciarii: δικαστικοί
iudiciaria: δικαστικά
iudicium: κριτήριον, δικαστήριον
iudicia: κριτήρια, δικαστήρια
iubet: κελεύει

Huius modi glossarum bonam partem demonstrare possum e Ciceronis in Catilinam orationibus petitam esse. Habes enim in Cyrilli quod vocatur glossario graecolatino p. 452, 29 hanc glossam:

> ἐλέγχω: refuto, arguo, redarguo, convinco, insimulo, ut Cic. in Catelinaria: 'nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit'

quae ad tertiae Catilinariae § 12 spectat: 'Gabinius deinde introductus, cum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis quae Galli insimulabant negavit'. Iam quae in 'Philoxeni' glossario exstat glossa p. 120, 38: *insimulabant*: κατηγόρουν, ea non latet unde fluxerit. Neque tamen hac glossa duce rationem illam perspeximus, sed offendebat nos illud potius, quod earundem vocum eosdem casus utrobique reperiebamus. Iam cum frequentissimus sit talis consensus, casui tribui neutiquam potest. Sed iudica ipse.

Ciceronis Catilinariae:	Philoxeni glossae:
I, 1: Abiit, excessit, evasit, erupit.	[p. 89, 32 *excessit*: ὑπερέβη, παρέβη]
	p. 88, 37 *evasit*: ἐξέφυγεν
	p. 88, 18 *erupit*: ἐξέρρηξεν
I, 2 sq.: Quod vero cruentum mucronem,	p. 57, 22 *cruentum*: ἡμαγμένον
ut voluit, extulit,	p. 93, 1 *extulit*: ἐξήνεγκεν, ἐπῆρεν
quod vivis nobis egressus est,	p. 83, 34 *egressus est*: ὥρμησεν
quod ei ferrum e manibus extorsimus,	p. 92, 48 *extorsimus*: ἐξετινάξαμεν
quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit, quanto tandem illum maerore esse adflictum et profligatum putatis?	p. 272, 18 *profligatum*: προκεκομμένον
Iacet ille nunc	p. 108, 13 *iacet*: κεῖται
prostratusque est et se perculsum atque abiectum esse sentit et retorquet ocu-	p. 174, 26 *prostratus*: προεστρωμένος

los profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget: quae quidem mihi laeturi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit. Ac si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer accuset quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius quam emiserim, non est ista mea culpa, sed temporum.

IV, 7: O fortunatam rem publicam, si quidem hanc sentinam urbis eiecerit! Uno mehercule Catilina exhausto levata mihi et recreata res publica videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut cogitari potest quod non ille conceperit? Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector [2]), quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur?

p. 156, 40 *perculsum*: ἀπωςμένον
p. 187, 1 *retorquet*: ἀντιςτρέφει
p. 133, 50 *luget* [1]): πενθεῖ, ἀνιᾶται
p. 12, 34 *ac si quis*: ἐὰν δέ τις
p. 93, 10 *exultat*: γαυριᾷ
p. 86, 24 *emiserim*: ἐξέπεμψα
[p. 196, 7 *sentina*: ἀντλία πλοίου]
p. 90, 27 *exhausto*: ἐξαντληθέντος
p. 182, 26 *recreata*: ἀνακτηθεῖςα
p. 222, 1 *veneficus*: φαρμακός
p. 102, 37 *gladiator*: μονομάχος
p. 130, 10 *latro*: ληςτής
p. 197, 25 *sicarius*: ςφάκτης, ἀνδροφόνος, ςφαγεύς, ληςτής
p. 152, 39 *parricida*: πατροκτόνος, πατρολώας
p. 38, 48 *circumscriptor*: περιγραφεύς
p. 100, 26 *ganeo*: λίχιος, καταφαγάς, λωποδύτης, λίμβος, λαίμαργος
p. 8, 20 *adulter*: μοιχός
p. 56, 12 *corruptor*: φθορεύς
p. 156, 53 *perditus*: ἀπεγνωςμένος καὶ ἀπολωλώς
p. 94, 34 *familiarissime*: ςυγγενικώτατα

---

[1]) *lucet*: τίςει, καὶ πενθεῖ, ἀνιᾶται codex. Duae sunt glossae:
luet: τίςει
luget: πενθεῖ, ἀνιᾶται

[2]) Huc spectat 'Cyrillus' p. 646, 30: ὑποβολεύς: subiector, submissor.

Eodem modo Ciceronis orationibus Catilinariis et 'Philoxeni' glossis diligenter inter se collatis illarum scholia graeca sine ulla difficultate ex his erui possunt.

Paullo exquisitiorum glossarum materiam praebuerunt Vergilius et Horatius[1]). Vergilianae autem velut hae sunt:

Philoxenus:	Vergilius:
p. 202, 54: *stipata cohors*: συνελθὸν τάγμα	Aen. X, 328: ni fratrum stipata cohors foret obvia ...
p. 101, 25: *genialis hiemps*: [intercidit interpretamentum [2])]	Georg. I, 302: invitat genialis hiems curasque resolvit
p. 57, 39: *crudus pero* [3]): ὠμοβύρσιον	Aen. VII, 689 sq.: ... vestigia nuda sinistri | instituere pedis, crudus tegit altera pero

Memorabiliora etiam Horatiana sunt. Non paucae enim glossae exstant, quae aut mere latinae sunt, aut — ut fingere liceat vocem non usitatam — latinolatinograecae: hoc est, praeter interpretamentum latinum etiam graecum adiectum habent. Tales glossas demonstrari potest paene omnes ex Horatio sumptas esse.

Philoxenus:	Horatius:
p. 38, 35: *ciniflones*: *ornatrices*	Serm. I, 2, 98: custodes, lectica, ciniflones, parasitae
p. 94, 55: *fastidis*: *contemnis*	Serm. I, 2, 115: ... num esuriens fastidis omnia praeter | pavonem rhombumque?
p. 92, 53: *extricat*: *petendo* [4]) *colligit et parat*	Serm. I, 3, 87 sq.: qui nisi, cum tristes misero venere kalendae, | mercedem aut nummos undeunde extricat ...
p. 14, 12: *altercante*: *contendente*, φιλονεικοῦντος	Serm. II, 7, 57: altercante libidinibus tremis ossa pavore

[1]) Vergilius et Horatius nominatim hic illic excitantur, quode cf. Iosephum Klein l. s. s.

[2]) Cf. p. 101, 22 *genialis*: εὐφραντική.

[3]) *peno* cod.; emendavit Scaliger.

[4]) *patendo* cod., quod correxi.

p. 27, 7: *auspice*: *auctore, fautrice*[1])	Epist. I, 3, 13: Thebanos aptare modos studet. auspice Musa
p. 37, 57: *circumlita*: *circundata*	Epist. I, 10, 7: rivos et musco circumlita saxa nemusque
p. 47, 25: *congesta*: *plena, coacervata in unam partem*, πυκνά	Serm. I, 1, 32: cum sibi sint congesta cibaria ...
p. 53, 43: *contristat*: *tristem facit*, λυπεῖ[2])	Serm. I, 1, 36: ... simul inversum contristat Aquarius annum
p. 73, 9: *diffingit*[3]): *describit*	Serm. I, 10, 36 sq.: turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque | diffingit Rheni luteum caput...
p. 119, 42: *inritabile*: *litigiosum, iracundum*, ὀξύλον	Epist. II, 2, 102: multa fero, ut placem genus irritabile vatum
p. 132, 6: *limis*: *obliquis oculis*	Serm. II, 5, 53: sic tamen ut limis rapias quid prima secundo | cera velit versu
p. 207, 26: *suppetas*: *sufficias, sumministres*	Epod. XVII, 64: novis ut usque suppetas laboribus
p. 212, 19: *termes*: *termes dicitur proprie caulis olearum arborum*	Epod. XVI, 45: nunquam fallentis termes olivae

Ex eodem fonte praeterea permulta Horatii carminum scholia quodam modo ἀνέκδοτα[4]) peti possunt.

6. Transimus ad alterum glossarum genus, multo id gravioris momenti quoque nititur huius glossarii egregia boni-

---

[1]) *fauctrice* cod.

[2]) Hinc conicio interpretamenta graeca addita esse a glossarum collectore, non ab eo qui Horatiana latine interpretatus est. Ad versum enim supra excitatum optime quadrat 'tristem facit', nullo autem modo λυπεῖ illud.

[3]) Cf. Porphyrionem p. 240, 10 ed. Meyer. haec adnotantem: '*diffingit* autem *figurat* ac per hoc *describit* significat'.

[4]) In Acronis scholiorum codice Parisino γ saepissime Horatii verba graece explicantur, quode vide quae Michael Petschenig in programmate Gracensi a. 1873 'Zu den Scholiasten des Horaz' inscripto p. 4 sqq. disputavit. Nihil intercedit vinculi inter haec scholia graeca et Philoxeni glossas Horatianas.

tas. Dico illas glossas, quas ex antiquissimis Romanorum scriptoribus petitas esse vel fontis indiculo adiecto constat, vel externa earum species planissime docet. Glossarum quas supra exscripsimus 'trivialium' memorem non te latet quam longe ab eis distent tales ordines velut p. 27, 43 sqq.:

babit: γαυριᾷ
baro: ἀνήρ
baesis: προcέλθῃc
battatum: κοκκωτόν
batta: βάτοc
bauar: εἶδοc ἀγγείου
babulonicum: ψιλὴ πολύμιτοc
badius: χελιδονιαῖοc
balasce ⊦ Θρᾶκεc;

p. 86, 53 sqq. (ut lemmata tantum exscribam): *endoclusa* — *endopesciscas* — *enixi* — *enixe* — *enixa est* — *endodecarit* — *encautum* — *endofestabat* — *enecat* — *endoplorato* — *endoriguum* — *enuunt* — *enulum* — *enuunt* — ... *ennomio* — *en siet* — *enucleat* — *entoridia* — *ennomionae* — *Ennipater*; al.

Eius modi glossas sciendum est frequentissime bis traditas exstare, quam rationem qui probe respexerit is non paucas facili negotio emendabit. Exempla ex sescentis elegi haec:

p. 150, 57: Paga mater: Πανάκεια	p. 164, 52: Pora mater: Πανάκεια
p. 155, 5: Pedo: πλατύπουc	p. 155, 9: Pedo: plancus, πλατύπουc
p. 151, 48: Paleta: cφενδόνη δακτυλίων	p. 151, 29: Paleta: cφενδόνη δακτυλίου, ὡc Ὑγῖνοc ἐν τῷ
p. 104, 53: Grulli: εἶδοc πλοίου	p. 100, 33: Gauli: εἶδοc πλοίου
p. 156, 46: Perpennius: αὐθέντηc	p. 159, 22: Perpennius: αὐθέντηc
p. 209, 47: Talus: ἀcτράγαλοc	p. 209, 56: Talus: ἀcτράγαλοc
p. 217, 27: Tricodatum: τρίτομον	p. 218, 3: Tricotadum: τρίτομον
p. 166, 2: Postiecus [1]: ὄπιcθεν	p. 166, 25: Postescus [1]: ὄπιcθεν
p. 141, 35: Muttonius: προβαcκάνιον	p. 141, 44: Muttonium: προβαcκαντον, Λούκιοc
p. 21, 47: Atharna: ἰχθύοc εἶδοc	p. 22, 32: Attitarna: εἶδοc ἰχθύοc

[1]) Scribendum est ***postsecus***: cf. ***altrinsecus***, ***extrinsecus***, ***intrinsecus***, ***insecus*** (Philoxenus p. 120, 1. *insecus*: εἰc, ἐγγύc).

Quae quidem ratio cum saepissime usu veniat, exquisitas 'Philoxeni' glossas suspicor e fontibus duobus gemellis fluxisse quibus eaedem prorsus glossae continebantur, ita tamen ut altera memoria non raro fontium indiculos, h. e. scriptorum nomina — velut inter supra exscriptas Hygini et Lucilii — servasse censenda sit. Re autem vera egregias has 'Philoxeni' glossas e pluribus glossariolis collectas esse non solum ratione quam modo comprobavimus demonstrari potest, sed etiam inde quod non paucae glossae exstant inter se satis similes neque tamen prorsus eaedem. Velut confer quae subiecimus:

p. 28, 23: Bardei: Ἰλλύριοι δοῦλοι . . .	p. 28, 33: Bardes: δορύκτητος, Ἰλλύριος δοῦλος.
p. 165, 37: Postumus: ὁ ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς συλλαμβανόμενος, ἀποθανόντος δὲ γεννώμενος	p. 166, 22: Postumus: ἀπάτωρ, μετὰ θάνατον πατρὸς γεννηθείς
p. 108, 49: Iantaculum: ἀκράτισμα, ἐνάγισμα	p. 108, 57: Iantaculum: ἀκρατισμός

Praeterea autem duo in tractandis his glossis cave neglegas. Alterum illud est, quod non paucas ex eis certum est olim mere latinas fuisse, non latinograecas: id quod ita se habere vel per se satis probabile est. Fuerunt enim haud dubie latina Plauti, Naevi, Lucili, aliorum scholia a glossographis adscripta, e quibus multa in 'Philoxeni' glossas fluxerunt. Accedit quod eius modi scholiorum, quae in graecum sermonem translata inter Philoxeni glossas exstant, memoria mere latina etiamnum indagari potest. Velut p. 29, 45 habes: *bilibit*: ἐπισκιασμὸς φωνῆς, quae est glossa Naeviana, ad fragmentum ex incertis fabulis XVIII 'bilbit amphora' spectans. Cuius loci scholion latinum est *biliuit*: *adumbratio uocis aquae scaturientis* (cf. Mai VII p. 553a). Hinc truncatum est 'Philoxeni' illud ἐπισκιασμὸς φωνῆς.

P. 17, 34: *aptra*: ἀμπελόφυλλα, ὡς Τιτίννιος. Scholii Titiniani integra forma apud Maium VI p. 502a et alibi talis exstat: *abtra*: *folia uitis*.

Qui putas extricari posse p. 40, 2 glossam *clira*: ομοια? Mihi quidem ομοια nihil esse videtur nisi ὅμοια, quae est

corrupti interpretamenti latini interpretatio. Glossam enim, quae integra fuerat *clura*: *simia*, librarii corruperunt *clira*: *similia*, qua e corruptela natum est permirum illud ὅμοια.

Rationem, quam modo ostendimus, non puto mireris: prorsus autem singulare illud est, quod Philoxeni non nullas glossas olim e latino translatas novas procreasse videmus mere latinas. Quod ut appareat cf. glossam *ciuicida*: σκατοφάγος (p. 39, 6) cum illa, quam e tertio codicis Amploniani glossario et fragmento Deycksiano hausimus: **cibicida*: *stercus comedens*. Sed plura de necessitudinis ut ita dicam vinculis, quae hoc glossariolum inter et glossas bilingues intercedunt, supra iam protulimus p. 132 sqq., cum de codice Amploniano agebamus. Hoc loco — ne forte putes Amploniani glossas non e graeco translatas, sed ipsas illas esse mere latinas, unde pendeat Philoxenus — unam iterabo, de qua ambigi nullo modo potest: *blanx*: *bene moratus*. Quae glossa subobscura nata est *blax* (= stultus) vocabuli interpretamento quod est εὐήθης (h. e. 'stultus', non 'bene moratus') male intellecto. Comprobat sententiam Philoxenus p. 30, 52 *blanx*: εὐήθης.

Non adeo multae Philoxeni glossae in glossariolo illo exstant, quodcontra Cyrilli graecolatinarum inmensa paene copia. Multo autem plures Philoxeni glossas exquisitas illud glossarium exhibet, quod supra p. 116 sqq. descripsimus. Cuius quamquam parvula tantum pars nobis nunc nota est — eam integram dedimus ibidem —, nihilo tamen setius ad comprobandum sufficit. Compara sis utramque memoriam:

	Philoxenus:	Glossae Leidenses:
p. 100, 33:	*gauli*: εἶδος πλοίου	*gauli*: *genus nauis*
p. 100, 22:	*gallina rustica*: ἀττάγων	*gallina rustica*: *perdix*
p. 103, 45:	*gnarurem*: γνώριμον	*gnarorem*: *prudentem*
p. 103, 22:	*gnatus*: υἱός	*gnatus*: *filius*
p. 103, 20:	*gnata*: θυγάτηρ	*gnata*: *filia*
p. 101, 46:	*germen*: σπορά	*germen*: *semen holerum uel herbarum*
p. 105, 3:	*grumari*: καταστρέψαι, διορθῶσαι	*grumare*: *dirigere*
p. 104, 41:	*grunniunt*: γρύζουσιν	*grundiunt*: *strepunt*

Cum eisdem glossis Leidensibus quoniam cognatum esse

demonstravimus glossarium quoddam, cuius partes primo Amploniano insertae sunt, non mirum est quod etiam ibi Philoxeni glossarum vestigia exstant non caeca. Unum proferam exemplum: p. 129, 13 habes *lamuriliae*: ἑορταὶ τῆς Αστιας, ubi Vulcanius adnotationum p. 48, 53 *lemuria*: ἑορταὶ τῆς Ἀττίας (h. e. Accae Larentiae), Salmasius *lemuralia*: ἑορταὶ τῆς Ἑστίας scribendum proposuerunt. Vide num huc faciat Amploniana p. 346 a 136 glossa: *lemuriam*: *dies festes letitiae.*

Nondum omnia quae ad κρίσιν spectant exhausimus. Neque enim illud neglegendum quod Philoxeni glossarum pars lemmatis et interpretamenti ordine converso inter Cyrilli glossas graecolatinas exstat. Duplicis huius memoriae exempla haec sunto:

Philoxenus:	Cyrillus:
p. 34, 44: *capillamentum*: τρίχωμα	p. 639, 52: τρίχωμα: *capillamentum*
p. 140, 31: *motacilla*: σεισοπυγίς	p. 607, 30: σεισοπυγίς: *moticella, motacella*
p. 30, 52: *blanx*: εὐήθης	p. 477, 32: εὐήθης, ὁ μωρός: *blax, simplex*
p. 26, 56: *Auruncius*: θεὸς ἀποτρόπαιος	p. 489, 59: θεὸς ἀποτρόπαιος: *Auruncus*

7. Restat iam res gravissimi momenti: quaestionem dico, num inter exquisitarum glossarum ad vetustissimos scriptores spectantium fontes etiam Festus sive Verrius Flaccus referendus sit. Etenim eum qui glossas sive in linguam graecam transtulit, sive in 'Philoxeni' corpus redegit, non ex ipsis illis priscae aetatis scriptoribus, sed e fontibus plus minusve secundariis hausisse per se patet. Negari autem non potest Festi collectanea inter Philoxeni fontes fuisse. Tam enim frequenter eaedem utrobique singularis plane doctrinae reliquiae exstant, ut casui talis consensus tribui nequeat. Qua de ratione non dubitabit qui Scaligeri ad Festum adnotationes cum diligentia lectitaverit: locorum παραλλήλων e Philoxeno petitorum frequentia atque similitudo non poterit ei non persuadere. Quamquam concedendum est permulta quae in glossis habes paullulum discrepare a forma apud Festum

tradita, maxime quod ad interpretamenta attinet. Itaque non inepte videretur conici posse utramque memoriam e cognatis fontibus fluxisse, nisi ipsum Festi nomen etiamnum in glossis excitaretur. Nam dubitari vix potest quin Scaliger ad Paulum p. 3, 12 corruptissimam Philoxeni p. 6, 26 glossam:

Adoriosus: ἔνδοξος ἀcπομπιιος[1]) αδορνικηας πεμπιος
recte sic emendaverit:

Adoriosus: ἔνδοξος, ὡς Πομπήϊος
Ador: νίκη, ὡς Πομπήϊος

et haec e Pompeio Festo manasse censuerit, cuius breviator p. 3, 12 exhibet: 'adoriam laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret'. Praeter ea autem quae ex Festo fluxisse vel certo demonstrari potest vel saltem probabiliter conici tot restant exquisitissimae doctrinae praeclara testimonia, ut aliis quoque optimis fontibus illum cui hoc κειμήλιον debemus usum esse certum sit.

2. De Vulcanii 'Onomastico vocum latinograecarum'.

Praeter Philoxeni glossas omnium quotquot edita sunt glossariorum et copiosissimum — insunt enim 9652 glossae — et ut videtur sane optimum est 'Onomasticon vocum latinograecarum' a Bonaventura Vulcanio ad calcem 'Thesauri utriusque linguae' adiectum. Onomastici hunc ille novum titulum esse voluit: 'Onomasticon | vocum latino-graecarum, | prioribus illis glossariis praestan|tia selectissimorum vocabulorum | nihilo inferius; | olim quidem Argentorati An. M. D. XXXVI. editum, & Calepino | praefixum: Nunc vero ab innumeris iisque foedissimis mendis, | quibus scatebat, repurgatum. | Opera | Bon. Vulcanii Brugensis. | Lugduni Batavorum, | Ex Officina Ioannis Patii. | Anno cb. b. c.' Incipit col. 1: 'Abacti: ἀπωcθέντες Abactores: ἐλατῆρες Abaculus: ἀβά-

[1]) In ipso codice ἀcπομπιιος sic potius scriptum est: ΑC ΠΟΜΠΙ ΙΟC.

κιον Abacus: ἄβαξ, κος Abalienatus: ἀπηλλοτριωμένος', explicit col. 168: 'Vultur: γύψ Vultus: πρόσωπον Vulva: μήτρα, ὑστέρα Vxor: γυνή Vxorius: γυναικεῖος ΤΕΛΟΣ'. Ad emendandum hoc glossarium 'Bon. Vulcanii Brug. notarum et castigationum in glossaria utriusque linguae' col. 111—118 spectant. Non primum edidisse Vulcanium, sed iterasse praeter titulum supra exscriptum docent verba castigationibus praemissa: 'Cum in edendis glossariis veteribus versarer, amice lector, nactus sum a Ioanne Lydio iuvene docto mihique amicissimo etiam hoc onomasticum, excusum quidem illud olim Argentorati et Calepino praefixum, vetus tamen quodque prioribus illis glossariis proprietate praestantiaque vocabulorum tam latinorum quam graecorum nequaquam cedit'. Iam quo ex codice 'vetus' illud glossarium fluxisset non inepte videbatur inde conici posse, quod Vulcanius in 'castigationibus et notis' col. 111 haec scripsit: 'adiunxi vero etiam notas et castigationes aliquot, quas boni consules tantisper dum ms. aliquod exemplar nactus fuero, cuius ope et castigatius et auctius hoc onomasticon edi possit. Nam in Argentoratensi illa editione typographus ipse testatur vocabula omnia quorum initium erat a litera *X* et *Z*, quod mere graeca essent, consulto a se omissa'. Hinc enim cum concludendum videretur typographum Argentoratensem ipso libri codice manu scripto usum esse, huc spectare olim putabam G. Haenelii verba in 'Catalogo librorum manu scriptorum qui in bibliothecis Gallicis . . . asseruantur' p. 463 de codicibus Argentoratensibus agentis: 'Isidorus de summo bono 1449; Seneca ad Lucilium; Vocabularium Latino-Graecum 1222; Hebraicum 1230; fol.' Quae coniectura quam falsa sit iam videamus.

Dudum hoc lexicon permirum mihi visum erat. Diligentius enim in fontes eius inquirenti mihi apparuit singularem inesse Plautinarum glossarum copiam, quales sine ulla difficultate centum et quinque investigavi certo ad certos Plauti versus spectantes, haud paucas etiam quae non sine aliqua probabilitate eodem referri possunt. Sic, ut nonnullas afferamus, glossa col. 17 *beluata*: ζωωτά revocanda est ad Pseuduli v. 146 (I, 2, 14); col. 18 *blandidicus*: χρη-

στολόγος ad Poenuli I, 1, 10; col. 21 *carcerarius*: εἱρκτικός ad Captivorum v. 129 (I, 2, 20); col. 24 *cincticulus*: διαζωμάτιον ad Bacchidum v. 432 (III, 3, 28); col. 26 *collativus*: συναγώγιμος ad Curculionis v. 231 (II, 1, 16); col. 36 *denaso*: ἀπορρινέω ad Captivorum v. 604 (III, 4, 72); col. 38 *desudasco*: κατιδίω ad Bacchidum v. 66 (I, 1, 33); col. 44 *elinguo as*: ἀπογλωττίζω ad Aululariae II, 2, 72; col. 49 *exoculasso*: ἐξοφθαλμίζω ad Rudentis v. 731 (III, 4, 26); col. 61 *hamatilis*: ἀγκιστριώδης ad eiusdem v. 299 (II, 1, 19); col. 71 *inopiosus*: ἄπορος ad Poenuli I, 1, 2; col. 72 *insultura*: ἐπιπήδησις ad Militis v. 280 (II, 3, 9); col. 72 *interbibo*: διαπίνω ad Aululariae III, 6, 22; col. 73 *interpremo*: διαπιέζω ad Rudentis v. 655 (III, 2, 41); col. 73 *intertraho*: διελκύω ad Amphitruonis v. 673 (II, 2, 41); col. 77 *lamentarius*: θρηνητικός ad Captivorum v. 96 (I, 1, 28); col. 79 *legirupio*: παράνομος ad Rudentis v. 709 (III, 4, 4). Cf. praeterea ne longi simus lemmata *lenulus levifidus linteones lucrifuga missiculo obsequiosus obsipo obvagio occilare oculitus offlecto opprobramentum pandiculor plectilis plumatile polentarius postilena praepedimentum quadruplor recalvus ruro scalpturio scutigerulus solearii soricinus spissigradus sumptifacio tintinaculi trahax translego tusculum vapularis venditarius veruina viaticor violarius* alia permulta, quae omnia apud Plautum habere quod respondeat facile videbis ipse. Quae larga glossarum Plautinarum seges vel propterea non potest non offendere, quod novi quidquam inde non redundat, sed omnia ad vulgatam quae vocatur comoediarum speciem spectant. Praeterea autem demonstrari potest — cuius rei argumenta hic accumulare nolo, ne oleum perdam et operam — Pauli Festum et Nonium onomastici auctori suos aperuisse thesauros, quorum societas haud sane placet. Nec desunt glossae ad alios scriptores latinos referendae, ut fontium copia eorundemque cum scriptorum editionibus consensus non possit non gravem suspicionem movere. Haec dudum non sine aliquo labore enucleaveram frustraque Calepini illam Argentoratensem a. 1536 editionem Lipsiae Ienae Gottingae quaesiveram, cum nuper Caroli Halmii liberalitate contigit, ut illius libri rarissimi exemplo ex inexhaustis bybliothecae Monacensis thesauris deprompto

uti mihi liceret. Cuius titulus hic est, circumdatus ille 'Marci Imp., Aristotelis, Socratis, Salvii Iul. Iurecons. Rom., Calepini auditorii' imaginibus: 'AMBR. | CALEPINI | LEXICON | Recens, candori pristino | restitutum. | Praescripta illi VOCVM | mere Latinarum Graeca | nomenclatura, uice | Auctarij. | ARGENT. apud | Ioannem Schottum. | Anno M. D. XXXVII'[1]). Ubi quae de 'vocum mere latinarum graeca nomenclatura vice auctarii' addita legebam, non removebant certe suspicionem, augebant autem admodum quae in fine huius 'nomenclaturae' (cuius quaterni glossarum ordines in singulis paginis numeris non insignitis exstant) post *V* litterae glossas subiecta reperiebam: '*X* & *Z*, quoniam nõ nisi uoces mere graecas habent, ex professo missa fecimus, remittentes ad Lexica Graecolatina. τέλος' Quod autem verum huius 'onomastici' consilium quaeque ratio sit, planum et perspicuum fit Iacobi Spiegel praefantis verbis hisce (fol. 1[v]): 'Iac. Spiegel Selestadien. Iurecons. Caes. Regiusque ab Epistolis, Lectori Candido S. P. Emendatiorem tibi, quisquis es candide lector, authorem hunc etiamnum recepti nominis in Italia, optimarum literarum vere parente atque altrice, a multis eo quo vides charactere desyderatum, cui ut nihil subtractum ita et nihil alieni additum, bona fide offerimus: atque is talis ecce qualis ab initio

---

[1]) Erravit igitur Vulcanius, cum non a. 1536 editus, sed exeunte demum mense novembri a. 1537 usque ad finem perductus sit. Ceterum in fine Onomastici habes 'Ambrosii Calepini vitam ex additionibus in librum, quem Ioannes Tritemius de Ecclesiasticis scriptoribus ędidit, excerptam'; fol. vers. vacuum excipit Calepini lexicon, cuius in calce haec scripta sunt: 'ARGENT. apud Ioannem Schottum, penult. | Nouemb. Anno M. D. XXXVII'. Sequitur 'APOSTROPHE ad Librum. | I Liber, CALEPINO tuo haec refer. Se candori pristino, et | quos post Euangelistas, Paulumque publico iam olim con|sensu receptos Catholicae Ecclesiae Doctores, testes cita|uerat, suis honoribus restitutos,

Originem Ambrosium
Cyprianum Augustinum
Hieronymum Leonem
Damasum Bedam

Iosephum item, Boetium et cęteros id genus Scriptores',

editus est prodit ex officina Io. Schotti typographi. Quod vero illi Onomasticon Latinogrecum accessit, auctarii quidem vice factum ab eo est, consilio tamen meo: non quo liber grandesceret, sed et ut graecissantibus satis fieret. Nam de iis quę indifferenter et graece et latine scribuntur, existimabam supervacaneum fore chartas illis oblinire'. Sequitur querela de truncato saepenumero ab editoribus malae notae Calepino et 'Caesarea praerogativa' a Carolo quinto 'in civitate sua Panormo, die decima quarta mensis septembris anno quingentesimo quinto' data. Itaque adiecit Iacobus Spiegel onomasticon illud recens natum graecissantium in usum, non edidit 'vetus' glossarium doctorum in usum. Iam reputanti mihi qui tale quid dare vellet probabile esse eum ad Calepini lexicon ut fundamentum operis rediisse, re vera apparuit Vulcanii onomasticon nihil esse, nisi Calepini lemmata mere latina a viro docto nescio quo[1]) saeculo sexto decimo in graecum sermonem conversa, qua in re vocabula graeca et hebraica, quae latinis litteris scribi solent, omittebantur omnia, nomina propria pleraque, rarae et obscurae voces non nullae. Compara enim:

Onomasticon:	Calepinus:
In: ἐν εἰϲ	In, praepositio est . . .
	Inaccessa, insula Aegypti . . .
	Inachia, regio quae . . .
	Inachis, ipsa Io . . .
	Inachus, penul. cor. Iouis . . .
Inanesco: κενοῦμαι	Inanesco, scis, inanis fio, quod ab inaneo, nes, fieri certum est . . .
Inaniloquus: κενολόγοϲ	Inaniloquus, qui inania loquitur. Plautus . . .
Inanimus: ἄψυχοϲ	Inanimus, a, um, quod non habet animam. Cice. lib. 2. Offi. . . .
Inanio: κενόω	Inanio, nis, niui, nitum, uacuo. unde inanitus . . .
Inanis: διάκενοϲ	Inanis, penul. prod. uacuus. August. lib. 4. Confessio. Haec omnia . . .
Inanitas: κένωϲιϲ	Inanitas, et inanitio, pro uacuitate. Plautus in Cistellaria . . .

[1]) Fortasse ab ipso Iacobo Spiegel.

Inaresco : ἀπαυαίνομαι	Inaresco. Vide in dictione Aresco.
	Inarime, penul. correp. insula . . .
	Inaudio, dis. Vide in dictione Audio.
Inauris : ἐνώτιον	Inauris, ornamentum quod ab aure pendet. Nam in Oriente . . .
Inauro : χρυcόω	Inauro, as, ex in et auro. Auró uero ab aurum fit . . .
	Inauspicato, aduerbium usurpatum . . .
Incaeduus : ἄτμητοc	Incaeduus, dua, duum, cum diphthongo, quod non caeditur, ex in et cęduus. Cato . . .
incero : κηρόω	Incaero, ras, aliquid caera tego. Persius. Genua incaerare Deorum.
incalesco : διαθερμαίνομαι	Incalesco, scis, incalui, ualde calidus fio. Hierony. in li. Hester. Itaque die septimo . . .
incallidus : ἄδοχοc	Incallidus, per duplex ll, non astutus. Cicero in arte ueteri. Sed quum a summis uiris . . .
	Incandesco, descis, incandui. Vide supra . . .
incanto : ἐπάδω	Incanto, tas, significat uerbis solis, uel etiam rebus quibusdam adiunctis, aliquid supra naturam molior. Plinius . . .
incapistro : φιμόω	Incapistrare, illigare, a capistro formatum uerbum.
incassum : φρούδωc	Incassum, per duplex ss, significat frustra. Vide in dictione Casses.
	Incasum, per simplex s, supinum est uerbi incido . . .
incautus : φιλάπλουc	Incautus. Vide supra in dictione Cautus.
incedo : εἰcέρχομαι	Incedo, cedis, cessi, cessum, pen. pro. ingredior, subeo. ut, Scribēdi libido incessit me. Interdum . . .

Quo autem modo Vulcanius Onomasticon iteraverit, utrum diligenter an parum accurate, emendatius an corruptius, in hoc inquirere nihil iam refert. Multa eum correxisse negari non potest, cum sane editionis principis cum lemmata tum maxime interpretamenta graeca mendis typographicis scateant. Qua in re quas glossas Vulcanius emendaverit, quas male tractaverit e Calepini lexico facile nunc cognosci potest. Quod si evolveris, verum illum aliquotiens non vidisse tibi apparebit. Velut ad onomastici p. 16 glossam *Aviarium* : ἀνοδία haec illum adnotantem notarum p. 112: 'lege *avia*, *orum*:

ut significetur *avia* vocabulum esse neutrum pluralis numeri; vel lege *avia locorum*' refutant Calepini haec verba: 'Auiarium, locus syluester, sine uia. Serui.: *Auiaria secreta nemora, quę aues frequentant.* Verg. lib. 2 Geor.: *Sanguineis inculta rubent auiaria baccis.* Item Auiaria dicuntur loca, ubi pennata nutriuntur uel clauduntur uel custodiuntur, vel quo se aves recipiunt, et columbi et passeres: sicut apiaria quo apes; graece ornithones uocantur. Col. lib. 9: *Quae nos similiter adpellamus apum cubilia, apiaria: uel nantium uolucrum, quae stagnis piscinisque laetantur, auiaria: uel etiam pecudum syluestrium quę nemoribus clausis custodiuntur, uiuaria. Hoc modo auiarium et auiarius ab auibus sunt*'.

Onomastici 9652 glossis e medio sublatis omnia quae hoc glossario nituntur vana ac novicia sunt. Velut graeca vocabula quae solius onomastici testimonio debemus e thesauris linguae graecae removenda sunt: esse autem talia in omnibus lexicis multa si accuratius inquisiveris facile cognosces[1]). Largam enim illarum paene 10000 glossarum copiam bis in glossaria recepit Labbaeus, quorum a parte graecolatina voces in graecae linguae thesauros manaverunt. Praeterea autem viri docti non pauci[2]) Onomastici glossis usi sunt — qua in re fere semper e Labbaeo hauserunt —, sive in re critica factitanda sive in quaestionibus grammaticis lexicographicisve materia glossematica substruendis: eos non iam puto hoc ex fonte hausuros; Onomasticon enim fons esse desiit.

3. De minoribus non nullis glossariis latinograecis aliorumque fragmentis.

I. Glossae Servii grammatici appellantur[3]) septem

---

[1]) Sic γ et ο litterarum formae ac vocabula haec e lexicis eicienda sunt, utpote sola Onomastici auctoritate nitentia: νεατίϲ νεφελώδηϲ νεφίον νηπιαχώδηϲ νηττοφύλαξ νηχεῖον νικήτρια νιφοψυχήϲ νομιϲματικόϲ νυκτολαμπίϲ οἰκοτριβικόϲ οἰωνοπόληϲιϲ οἰωνοπολία ὁμαλία ὁμαλίϲτρα ὁμαλόω ὁμοροφία ὁμοχώριοϲ ὀνίϲκη ὀπιϲθοκέφαλον ὀρεοπόλοϲ ὀρεϲιγενήϲ ὀρθόγωνοϲ ὁρκωτόϲ ὀρυγμάτιον ὀϲέτιοϲ ὀϲτοδοχεῖον ὀϲτολογία οὐρηϲείω ὀχηματικόϲ.

[2]) Nomina multa afferre possum: sed cui bono?

[3]) Concedendum est sane in codicibus nihil subscribi solere praeter

minora glossaria latinograeca, quorum primum incipit 'ab abs: ἀπό abavus: ἀπόπαππος abavia: προμάμμη', explicit septimum 'pulvinar: κλίνη θεῶν puteal: περιστομὶς φρέατος'. Edita sunt ab Ant. Matthaeo Analectorum t. III p. 663—678 eademque in Labbaei glossaria recepta, ubi *S* nota insigniuntur. Hac enim littera non Vulcanii p. 803—820 'Συναγωγὴν τῶν πρὸς διάφορον σημασίαν διαφόρως τονουμένων λέξεων, κατὰ στοιχεῖον' significari — qui est Du Cangii in praefatione Labbaei error —, demonstravit Franciscus Oehler in commentatione 'Glossae Seruii Grammatici' Musei Rhenani t. XVIII (a. 1863) inserta, ubi etiam de codicibus egit. Multa esse in excerptis Charisianis, quae hisce glossis respondeant, idem ostendit: multo etiam plura reperies Cyrilli glossis simillima. Ceterum Oehlerus quominus Servii glossas ederet morte impeditus est. Libros manu scriptos novi hosce:

1) In bibliotheca Claudii Puteani harum glossarum codex exstabat, in quo etiam graeca vocabula latinis litteris perscripta erant. Huius apographon Carolus Labbaeus confecit[1]) et Scaligero misit, cuius inter codices etiamnum exstat n. 63[2]). Restauratarum ab hoc glossarum apographon inter schedas illas Burmannianas habes. Quattuor est foliorum in fol., tripertitae singulae paginae. De origine glossarum subscriptum est: 'In Bat. e Galliis importarunt ornatissimi fratres Labbaei. Omnia erant Latinis literis scripta, qua Graeca qua Latina, ordini et verbis suis restituit Doctorum Phoenix IOS. SCAL. IUL. CAES. F.' Puteani codex periisse dicitur Oehlero l. s. s. et Rudorffio in commentatione De Philoxeni

haec verba: 'explicit feliciter. Seruii Grammatici'. Quam subscriptionem qui coniecerit ita natam esse: '. . . explicit feliciter. Seruii Grammatici [...... incipit feliciter]', ut 'Servii Grammatici' ad librum aliquem Servianum olim spectaverit, parum probabiliter ille coniciat.

1) Ad finem perduxisse videtur die 24 mensis Iulii a. 1600. Subscriptum est enim: 'Ex MS. Bibliothecae V. C. CL. Puteani Anno 1600 XXIV Iulii die'.

2) Cf. Catalogum p. 343a: 'Glossae Servii grammatici latinograecae, sed latinis omnia literis, quas ex MS. bibliothecae Cl. Puteani descripsit Carolus Labbaeus. in charta. 63'.

et. Cyrilli glossariis. Coniecerim eundem esse ac Parisinum 7530 saec. VIII, in quo Servii grammatici glossas inesse scio, praeterea nihil. In Puteani codice subscriptum erat: 'Huc usque ꝑ œni'n^{s} [sic fere apographon illud Burmannianum: longe aliud procul dubio in Puteani codice scriptum erat] | XII Milia | Expliciunt Feliciter | Servii Grammatici'.

2) Codex Harleianus 2773 olim Nicolai de Cusa membr. fol. saec. XII. Primum glossarium deest. Incipit f. 1^{r}:

M̄ . as . assanon . assis	. F̄ . arx . acropolis̄ . arcis̄ .
. F̄ . ars . texni artis	. H̄ . aęs . chalkos ^{a}eris

Explicit f. 4^{v}: 'Puluinar . clynotheoн. | Puteal. peristomis fleatos:, | Hvcvsq; post MVH | ·XII· ΜILIΑ· EXPLICIT | FELICITER SERVII | GRΑΜΜΑTICI·;' Huius quoque codicis apographon Lugduni exstat: cf. Geelii catalogum p. 156.

3) Fortasse ad easdem Servii glossas spectant quae Oehlerus l. s. s. indicavit:

a) 'Seruii vocabularium s. XV chart. 4' in Thomae Phillips Middlehillensis bibliotheca exstare refert Haenelius in catalogo p. 892;

b) in catalogo quodam saeculi decimi ab Oehlero commemorato mentio fit 'glossae grecae . . Servii'.

II. Excerpta e glossariis latinograecis Henricus Stephanus edidit eumque secutus repetiit Bonaventura Vulcanius haec:

a) 'Vocabula graeca cum latina interpretatione, ex diuersis libris glossariorum nomine inscriptis collecta' inde a p. 303 'ab initio: ἀπ' ἀρχῆϲ' usque ad p. 347 'zelotypus: ζηλωτήϲ';

b) 'Vocabulorum aliquot interpretationes superioribus addendae' inde a p. 348 'acer: δριμύϲ' usque ad p. 359 'uulturnus: εὖροϲ'.

De his excerptis editor in altera (h. e. excerptis et glossario graecolatino praemissa) praefatione haec narrat: '. . . varias voces attexui, ex diversis exemplaribus collectas: sed quum ibi nullus ordo servetur, ego alphabeticum ser-

vavi... In depravatis porro vocabulis — quorum magnus numerus erat, praesertim quum literis latinis pleraque scripta ibi essent — eadem religione qua et in mendis praecedentis lexici usus sum'. Praeterea de eorum origine nihil scitur.

III. In catalogo Leidensi inter 'codices Vossianos Latinos in Octavo' commemorantur 'excerpta ex vetusto quodam lexico latinograeco in charta. 22'.

IV. Exstant etiam 45 fere glossae pervetustae quas papyro saec. V vel VI scriptae debemus, collectae illae in cotidiani sermonis usum. Editae sunt in 'Notices et extraits des manuscrits de la bibl. Imper. et autres bibl. t. XVIII second. part. Paris 1865' p. 125, hoc praefixo titulo: 'Fragm. de lexique latin rustique et grec'. Nullus earum ordo, formae utriusque linguae vulgares: cf. *da mesa*: *parates* = *da mensam*: παράθεϲ; *iana*: *tira*; *colomba*: *peristeri*; *cubiclu*: *clindi*. Denuo papyrum inspexit, iterum edidit, egregie enarravit glossas Franciscus Buechelerus in Fleckeiseni Annal. t. 111 (a. 1875) p. 309 sqq.

Subiungimus glossaria ex rerum ratione in certa capita digesta, quae non ita multa sunt.

I. Primus talia edidit Henricus Stephanus in libro saepissime iam commemorato p. 237—281. Titulum superscripsit hunc: 'Excerpta ex aliis veteribus lexicis graecolatinis seu glossariis (ut tunc temporis vocabant) vocabula, in certa capita, veluti in communes locos, digesta. Unum ex illis inscriptum est *glossarium beati Benedicti, abbatis Floriacensis*'. Agitur autem p. 237 'de caelo', p. 238 'de deis et deabus', p. 239 'de homine', p. 240 'de membris humanis', p. 244 'de studiis', id genus aliis rebus. Simillimae materiae bina capita ubique fere habes, ut vel hinc duobus fontibus Stephanum usum esse appareat. Accuratiora ex praefatione altera discimus, quae cum plura de fonte nunc non comperta habeamus integra exscribo. Sunt autem haec: 'sequentes vocum quarundam interpretationes in antiquis pergamenis depravatissime scriptas libuit superioribus adicere.... Quin etiam quod variae ad eandem rem pertinentes appellationes in certa quaedam capita velut in communes locos

redactae sint, eo gratius tibi glossarium istud fore putavi. Sed cum de una eademque re — verbi gratia de navigatione, de agricultura — in duobus eius locis agatur, et ita quidem ut in uno latina, in altero graeca vocabula praecedant, ego potius capita quibus eadem materia tractanda proposita est, simul ponenda, id est unum alteri subiungendum — adposita particula *iterum* — existimavi. Glossarium autem appellavi, quod unum exemplarium inscriptionem istam haberet *glossarium beati Benedicti, abbatis Floriacensis.* Quem titulum excipit hic: *liber primus glossarum graecarum*, primaque sunt haec verba: *de conversatione* περὶ συναναστροφῆς; *conversatio* συναναστροφή; *dies* ἡμέρα; *sol* ἥλιος; *ortus est* ἀνέτειλεν; *solis ortus* ἡλίου ἀνατολή. Eadem vero in alio quoque exemplari habentur, non in principio tamen, sed circa medium; verum ibi ista praefixa sunt: ἀρχώμεθα γράφειν ὅλης τῆς ἡμέρας ἀναστροφήν[1]). Quibus subiunguntur eadem illa verba ἡμέρα, ἥλιος, ἀνέτειλεν etc. itidem praecedente ubique latina interpretatione. Quin etiam in certum quendam librorum numerum haec vocum graecarum interpretamenta in exemplaribus illis dividuntur, cuius divisionis rationem minime habendam existimavi: ac ne habere quidem potui, cum nec omnia quae illis exemplaribus continentur ederem, nec — propter illam quam paulo ante attuli rationem — ordinem servarem. Illis quae dixi capitibus eos subiunxi locos, qui sub quadam dialogi forma multa vocabula habent ad res in quotidiano sermone occurrentes pertinentia'. Non sine certa ratione haec integra repetii: neque enim dubito quin duo illi Stephani codices ab ipso tam accurate descripti[2]) etiamnum investigari possint. Praeterea autem non nulla inde disci possunt non nimis nota[3]). Namque quae de codicibus refert et inde edi-

---

[1]) συναναστροφήν in ipsa editione p. 281, 31.

[2]) De Philoxeni et Cyrilli codicibus nihil profert.

[3]) Velut hoc quoque: Mauritius Haupt indice lectionum Berolinensi a. 1871/2 e codice quodam Montepessulano colloquia edidit (p. 4—10), quae eodem fere tempore (a. 1872) ex eodem codice evulgata habes ab A. Boucherie in libro quem mox indicabimus. Doctissime de similibus collectaneis Hauptius praefatus est: non debebat autem de colloquiis in

dit, ex eis non sine aliqua probabilitate conicere mihi videor multiplicem hanc materiam glossarum in certa capita digestarum, colloquiorum, narratiuncularum a Dositheï libro pendere. Atque ut gravissimum argumentum primo statim loco proferam, narratiunculae quas modo commemoravi sunt Ἁδριανοῦ ἀποφάσεις (p. 299—305), Dositheani libri propriae. Praeterea autem ibidem inest καθημερινὴ συναναστροφή, insunt etiam 'glossae certis rubricis distributae'. Atque de his quidem, quoniam solae ad nostrum hoc munus pertinent, nunc agendum est.

Dosithei Grammaticae codex omnium plenissimus Sangallensis 902 s. IX/X scriptus post indicem verborum latinorum cum interpretatione graeca ab Henrico Keilio editum[1]) f. 19—23 continet 'glossas certis rubricis distributas' inde a *De officiis.* Μοσχοτόμος *uictimarius* usque ad (περὶ ζῳδίων) αχθυες *pisces*, a Keilio nondum editas. Sunt autem similes eis, quas A. Boucherie e codice Montepessulano 306 memb. saec. IX 4⁰ 222 foliorum litteris uncialibus scripto in

---

Vulcanii thesauro editis et in glossariis illis, quae Londinensi Stephani thesauro adiecta sunt, repetitis haec scribere: 'Vulcanius unde illa colloquia sumpserit non dicit, non potest autem nisi passim ea interpolavit, sumpsisse ex impresso olim exemplari quod hodie fere ignoratur': Theodori Gazae nempe grammaticae institutionis libro primo a. 1516 Basileae edito, cui Beatus Rhenanus similia colloquia subiecerit. At nullo modo cogitari potest hoc libro Vulcanium usum esse: hausit potius e Stephani a. 1573 editione, quam fidelissime expressit. Stephanus autem unde deprompserit colloquia, verba supra exscripta docent: e codice nimirum eius simillimo, quo Beatus Rhenanus usus est. Adhibuit enim librum, cuius prima pars vocabula iuxta capita rerum instar Iulii Pollucis complectebatur, secunda habebat dictiones iuxta seriem elementariam digestas, tertia denique colloquia continebat.

[1]) V. Dosithei ars grammatica ex codice Sangallensi ab Henrico Keil Halae a. 1871 ed. p. 58—64. Ibidem p. 4 sq. indicem habes eorum quae Sangallensi membrana continentur. Inter largam illam verborum copiam sat multa exstant partim aliunde non nota, partim aliqua de causa memorabilia. P. 62, 14 ubi Sangallensis exhibet *delurgor*: ἀσωτεύομαι, Keilius scripsit *delargior*: ἀσωτεύομαι, ego potius *delurcor*: ἀσωτεύομαι emendaverim. Lucilius 'lurcari' verbo usus est. P. 64, 19 scribe *defico*: διυλίζω pro eo quod in Sangallensi est *deficio.*

'Notices et extraits' t. XXIII, 2 Parisiis a. 1872 p. 308—478 evulgavit[1]). Codicem illum Montepessulanum a Dosithei libro pendere docent fabula Aesopica et fragmentum ad ius spectans inde edita p. 495 sqq. Dositthei glossarium in certa capita digestum praeter alia Dositheana exstat etiam in codice Vossiano graeco in quarto 7, quo contineri 'glossas Dosithei graecolatinas' in catalogo p. 395 b scriptum est. Cuius codicis apographo a Burmanno confecto si fides habenda est, quae huc spectant sic incipiunt:

Ἐμῇ ἐπιμελείᾳ καὶ φιλοπονίᾳ μετέγραψα . . . περὶ θεῶν	Mea diligentia et studio transscripsi . . . de diis

'expliciunt': ὑδροχόος: *aquarius*; ἰχθύες: *pisces*.

Etiam in Vossiano latino in folio 26 Dositheana[2]) insunt (v. catalogum p. 369 b), quae inde ab 'Incipiunt interpretationes latinae, hoc est HERMINEOMATA GRECA. *ab initio*: *apoarches*; *ab alfa littera*: *apo alfa grāmatos*' usque ad *vetantur*: *colyontae*; *vetati sunt*: *ecolythesan* pertinere apographon Burmannianum me docuit. Vocabula graeca latinis litteris scripta esse vides.

Ut iam complectamur quae collegimus, Dositheani glossarii ad alphabeti ordinem digesti vel simillimorum glossa-

[1]) Multae insunt formae vulgares in eisque non paucae novae. Velut p. 351 formas habes contractas *nustertius nusquartus* pro *nudiustertius nudiusquartus*, quae eo minus dubiae sunt, quod pleniores ibidem exstant. P. 350 ubi editae sunt hae glossae: 'διετής bimus; τριετής trimus; τετραετής quatrimus; πενταετής quinquinnis' scribe *quinquimus*. Formas pulcherrimas A. Boucherie saepe ne intellexit quidem. Sic p. 351 'σήμερον: hodie; αὔριον: cras; εἰς τρίτην: perendiae; εἰς τετάρτην: de quarte; εἰς πέμπτην: de quinte; χθές: here' scribendum putat: 'de quarta' 'de quinta' 'heri'. Sed nihil mutandum: *de* pro *die* vulgus loquebatur quemadmodum *nudustertius*, et *quinte quarte here* locativi sunt.

[2]) 'Inscripsisse codici manum eruditam' Burmannus in apographo adnotat haec: 'Integrum hoc exemplar exstat in monasterio Sti Galli, nomine Dosithei grammatici, in quo graeca graece scripta sunt, multae phrases latinae et graecae, quae possunt supplere ea quae desunt apud Charisium. Nam eaedem omnino sunt phrases cum Charisianis. St. Gal, cis Genevam'. E Dositheanis quae Charisianis paria similiave sunt Keilius in imo singularum paginarum margine indicavit.

riorum e Dositheo ut videntur derivatorum[1]) codices vel exstant vel certe exstabant hi:

codex Sangallensis 902
codex Montepessulanus 306
codd. Vossiani graec. 4° 7 et lat. fol. 26
liber Beati Rhenani
liber Henrici Stephani.

Praeter hos libros duos codices novi, quibus item Dositheana contineri nondum notum est. Non multa autem scio de codice Harleiano 5642 membr. 4° saec. X (non IX, ut falso catalogus). Incipit:

INCIPIT DE ORATORE | Me (enneme) mautoπ. meminime ipsū

Inesse Divi Hadriani sententias et epistulas, et librum esse 'ein griechisch-lateinisches Lexikon und Uebersetzungsbuch' Ruehlius auctor est. Plura mihi innotuerunt de codice quodam Monacensi, in quo partes grammaticae Dositheanae (inter eas etiam glossarii illius frusta) inesse adhuc latet. Prorsus autem singularem horum fragmentorum rationem esse mox apparebit.

In catalogo codicum Monacensium latinorum I, 1 Monac. a. 1868 ed. p. 121 cum vidissem de Monacensi 601 4° s. X 82 foliorum haec scripta: '(Dares Phrygius . . . Iustinus . . .) f. 59 vocabularium graecolatinum; f. 70 locutiones et varia grammatica. Inc. *venit mihi in mentem huius rei. Pudet me amoris*', ut plura comperirem de vocabulario bilingui satis vetusto adii Carolum Halmium, cuius singularis benevolentia haec de codicis multiplici materia mecum communicavit. "Principium Onomastici deest. f. 59ʳa: 'ΑΡΟΥΡΑ Seges CTACIC Spica ΠΥΡΟC frumentum' aliaeque id genus glossae ad agri culturam spectantes. Secuntur glossae ΠЄΡΙ CTPATIAC DE MILITIA (f. 59ʳ), ΠЄΡΙ ΑΡΚΟΝΤΟΝ (f. 59ʳb), ΠЄΡΙ CYNΓЄΝΙΑC (ibidem), ΠЄΡΙ ΝΑΥΤΙΛΙΑC (f. 60ʳb), ΠЄΡΙ ΙΑΤΡΙΚЄC (f. 60ᵛ), f. 61ʳa:

[1]) Accuratiora hoc loco dare non possum. Inquirendum erit in rationem, quae inter libros Sangallensem Vossianumque (in quibus Dosithei glossarium exstare constat) et Stephanianum atque Montepessulanum intercedat. Quam comparationem ipse instituere nunc nequeo, cum Dositheani glossarii apographum penes me non sit.

ʽΠΕΡΙ ΞΩΔΙΩΝ
ΚΡΙΟϹ. Aries
ΘΑΥΜΑϹΤΟΝ ΕϹΤΙΝ. Mirandum est
ΚΑΙ ΕΠΑΙΝΙΤΟΝ. et laudandum

tanto [abhinc graeca omittam] ingenio hoc libro opus doctrinae interpretatum. ante hoc enim duobus libris conscripsi ...... haec erunt diui adriani sententiae et epistolae'. Haec habes f. 61^{v}. Narratiunculae abrupte desinunt f. 66^{v}b: ΒΛΕΠΕ ΟΥΝ ΙΝΑ ΤΑΧΙΟΝ. f. 67^{r}a glossae: ʽΕΓΕΝΟΜΗΤΑ fuimus ΕΓΕΝΕϹ fuistis' pertinentes usque ad f. 69, ubi adverbia et praepositiones scripta sunt. f. 73 novae glossae incipiunt· ʽΕΝΙϹΟϹ. ΩϹΤΟ Singułr. ut', quibus praecepta grammatica continentur et praepositiones, coniunctiones, similia enumerantur usque ad f. 78^{v}. f. 79^{r} variae locutiones (inc. ʽΕΥΘΥΜΕΙ Bono animo est'), varia grammatica, id genus alia secuntur. Explicit f. 82^{v}:

ΕΓΕΝΟΜΗΝ fui
ΕΓΕΝΟΥ fuisti
ΕΓΕΝΕΤΟ fuit."

Haec omnia e Dositheo petita sunt. Namque f. 59^{r}a — 61^{r}a habes glossarii supra commemorati particulas, f. 61^{r}a — 66^{v}b divi Hadriani sententias et epistulas, f. 67^{r}a — 82^{v}b Dosithei grammaticam a Keilio editam. Quae num integra codice Monacensi contineatur ex eis quae enotata habeo discernere non possum: si quid deest, non multum certe deesse videtur, cum totidem fere codicis Sangallensis folia ad grammaticam illam spectent. Quod autem ad glossas et Hadriani ἀποφάϲειϲ attinet non opus est pluribus rem comprobare. Sed accuratius demonstrandum erit inesse Dosithei grammaticam, quoniam usque ad hunc diem creditur praeter codicem Sangallensem huius Dositheani libri partis memoriam exstare nullam[1]). Compara sis quae composui:

---

[1]) Cf. Usenerum in Musei Rhenani t. XXIV (a. 1869) p. 99: '... ich wähle die Fassung des Dositheus ... und gebe sie genau nach der einzigen St. Galler Handschrift' et Keilium in editionis praefatione p. 3: 'Dosithei de arte grammatica liber latine et graece scriptus uno codice Sangallensi 902 servatus est'.

f. 67ʳa:	ЄΓЄΝΟΜΗΤΑ	fuimus	Dosithei gramm. p. 35, 21 sqq.
	ЄΓЄΝЄϹ	fuistis	
	ЄΓЄΝΟΝΤΟ	fuerunt	
	ΗΜΗΝ	eram	
	ΗϹ	eras	
	ΗΝ	erat	
f. 69:	adverbia et praepositiones		p. 37, 15 sqq. p. 41, 14 sqq.
f. 70:	'venit mihi in mentem ...'		p. 53, 8 sqq.
f. 73:	ЄΝΙϹΟϹ . ωϹΤΟ	Singułr. ut	p. 22, 21 sqq.
	ΟΥΤΟϹΟ ΚΑΤω̃	ut hic cato	
	ΠΛΗΘΥΤΙΚωϹ	Pluralis	
f. 79ʳ:	ЄΥΘΥΜЄΙ Bono animo est		p. 55, 3 sqq.
	ΒЄΛΤΙΟΝΑ ϹΟΙ ΚΑΤЄΓΓΙωΜΑΙ Meliora tibi spondeo		
f. 82ᵛb:	ЄΓЄΝΟΜΗΝ	fui	p. 35, 21.
	ЄΓЄΝΟΥ	fuisti	
	ЄΓЄΝЄΤΟ	fuit	

Exscripsi haec etiam eo consilio, ut codicis Monacensis foliorum ordinem graviter turbatum esse appareat. Namque pristinus ordo is erat procul dubio, ut post f. 82 sequeretur f. 67 (illic enim habes in fine folii versi *fui fuisti fuit*, hic in principio recti *fuimus fuistis fuerunt*) et f. 73 sqq. ante f. 67 sqq. posita essent. Plura facile enucleabit qui codicem ipsum inspexerit. Idem dicere poterit, num Dosithei κρίϲιϲ aliquid e nova hac memoria lucri percipiat.

II. Non raro glossaria manu scripta commemorantur, quae Dositheano similia esse videntur. Velut a Salmasio ad Ius Atticum p. 458 'vetustissimae glossae mss., quae separatis capitibus de supellectile, de penu, de veste et argento tractant' et a Samuele Bocharto 'glossarium latinograecum vetus per capita digestum more nomenclatorum', e cuius 'de bestiis' et 'de membris' partibus pauca proferuntur in illius libro 'Hierozoicon sive de animalibus s. scripturae' inscripto et ab E. F. C. Rosenmuellero Lipsiae a. 1793—1796 iterato t. II p. 125. 129. 347.

Restat ut uno verbo eas glossas commemoremus quae,

quamvis integrae graecis litteris scribi soleant, re tamen vera latinograecae sunt: ‘glossas verborum iuris’. Sunt autem tales: ἀβαδιτα νερεδιτάτε: μετὰ τὴν ὑπεισέλευσιν τῆς κληρονομίας; ἀβίστεις λέγεται ὁ ἀπελάτης; ἀγουΐνης: αἵματος, quarum lemmata latine scripta haec sunt: *ab adita hereditate*; *abigeus*; *sanguinis*. Eas primus Carolus Labbaeus e variis codicibus collegit ediditque singulari libello ‘veteres glossae verborum iuris, quae passim in basilicis reperiuntur’ Parisiis a. 1606 evulgato. Easdem iteratas habes post Labbaei glossaria a Du Cangio in lucem protracta. Denuo editae sunt non sine egregiis Scaligeri, aliorum non inutilibus coniecturis emendationibusque ab Antonio Schultingio in Ottonis Thesauri iuris Romani t. III[2] Traiecti ad Rhenum a. 1733 p. 1697 sqq., quae editio repetita est in glossariis Londinensibus Stephani thesauro subiectis p. 441—488.

§ 12.

De glossariis graecolatinis.

Praeter glossas quae hic illic (velut in cod. Amploniani primo glossario) inter mere latinas insertae sunt graecolatinas nihil novi nisi integrum quoddam ampli voluminis glossarium aliorumque pusilla fragmenta.

I. Henricus Stephanus in libro saepius iam commemorato p. 363—666 edidit et Vulcanius in Thesauro repetiit grande glossarium graecolatinum, quod Cyrilli appellari solet. Sunt autem 15800 fere glossae. Incipit: ‘ἄαπτος: intactus ἄβαξ: abacus ἀβαρής: non gravis ἀβάσκαντος: infascinabilis’, explicit ‘ὠχρίασις: pallor ὠχριῶ: palleo ὠχρός: pallidus ὠχρότης: palliditas ὠχυρωμένος: vallatus’.

1. Editum esse dicitur glossarium e codice Laudunensi[1])

[1]) E codice Laudunensi descriptos excerptosve esse codices Regium LXXXV = 2628 ‘de l’ancien fonds grec de la bibl. Imp.’ m. 395 foliorum s. XIV, quo etiam glossae aliunde petitae contineantur, et Regium LXXXVIII = 2627 s. XIII Rudorffius auctor est. Horum alterutro putaverim Du Cangium (hunc enim collegisse infra demonstrabimus) in ‘castigationibus et emendationibus in utrumque glossarium [Caroli Labbaei] ex codd. Sangermanensi et Regio ... et ex virorum doctorum coniectaneis’ usum esse. Uterque Du Cangii codex Cyrilli glossas continebat, id quod ex omnibus scripturis inde prolatis

444 s. IX[1]), nisi forte prius, scripto, cuius f. 6v—274 continetur. Minime accuratam esse Stephani editionem postquam Hildebrandus[2]) praef. gloss. Par. p. VII sq. contendit, Rudorffius l. s. s. multis exemplis luculentissime demonstravit, idemque dudum colligi poterat earum 24 glossarum ope, quas Montefalconius in Palaeographia graeca p. 248 edidit. Cf. enim quae subieci:

Montefalconius:		Stephanus:	
ΑΒΑΚΟΥΤΟϹ	inbacchatus	Ἄαπτος	intactus
ΑΒΑΞ	abacus	Ἄβαξ	abacus
ΑΒΑΡΗϹ	non gravis	Ἀβαρής	non gravis
ΑΒΑΡЄϹ	non grave		
ΑΒΑϹΚΑΝΤΟϹ	infascinabilis	Ἀβάσκαντος	infascinabilis
ΑΒΑϹΚΑΝΤΟΝ	infascinabile		
ΑΒΑϹΚΑΝΤΩϹ	sine fascino, infascinate	Ἀβασκάντως	sine fascino, infascinate
ΑΒΑΤΟϹ	inaccessus, inuia, deuia	Ἄβατος	inaccessus, inuia, deuia
ΑΒΑΦΟϹ	intinctus	Ἄβαφος	intinctus
ΑΒЄΒΙΟϹ	infirmus, incertus, instabilis	Ἀβέβαιος	infirmus, instabilis, incertus
ΑΒЄΒΑΙΟΤΗϹ	infirmitas	Ἀβεβαιότης	infirmitas
ΑΒЄΛΤЄΡΟϹ	insalsus, absurdus	Ἀβέλτερος	insalsus, absurdus

(sunt autem permultae) apparet. Du Cangii Parisinos cave indignos esse opineris qui ad emendandum glossarium adhibeantur. Ex eis enim quae Du Cangius inde excerpsit hos libros saepissime a Stephani editione ita discrepare discimus, ut et pleniora exhibeant et minus corrupta, id quod maxime in Sangermanensem cadit. Velut in glossa p. 419, 42, ubi Stephanus *haec victualia* e suo codice edidit, in Regio *vectualia,* in Sangermanensi autem *vactualia* esse Du Cangius p. 246 adnotat: omnium optima Sangermanensis memoria; verum enim est *battualia.* Quo autem facilius indagari possit, quibus codicibus Du Cangius usus sit, corruptissimi cuiusdam interpretamenti scripturas e castigationibus p. 214b promam:

Stephani 'Cyrillus' p. 650, 24:	cases huates jares
Du Cangii Sangermanensis:	casses hiates iates
eiusdem Regius:	casses hatesiales.

[1]) Rudorffius IX vel adeo priori saeculo tribuit; Montefalconius in Palaeographia graeca p. 247 IX saeculo; saeculo IX/X catalogi 'général des mscr. des bibl. publ. des départem.' scriptor t. I a. 1849 ed. p. 234; saeculo X Hildebrandus in praefatione glossarii Parisini p. V.

[2]) 'Maximam huius glossarii partem se ipsum descripsisse' Hildebrandus narrat l. s. s. p. VIII.

Et praeterea — ut quae utrobique consentiunt omittam — haec:

ΑΒΛΑΒΗϹ	illaesus, innoxius, innoces	ἀβλαβῆϲ	inlesus, innoxius, innocuus, innocens
ΑΒΛΕΨΙΑ	sollicitudo	ἀβλεψία	cecitudo
ΑΒΟΥΛΟϹ	incogitatus, inconsultus	ἄβουλοϲ	incogitans, inconsultus
ΑΒΡΟϹ	glaber, delicatus	ἁβρόϲ	glaver, delicatus

Hae discrepantiae ita comparatae sunt, ut num Stephanus re vera codice Laudunensi usus sit dubitari possit, praesertim si eorum fueris memor, quae ab illo prorsus omissa esse (velut Vergili versus), in hoc autem exstare Rudorffius refert. Quamquam dubitantem me semper quodam modo refutabat Rudorffii sententia ut certa prolata: fluxisse nempe editionem e Laudunensi. At contigit ut Francisci Ruehlii beneficio[1]) notitiam codicis Laudunensi etiam antiquioris neque tamen a quoquam hucusque curati adipiscerer. Eum breviter describam.

Cod. Harleianus 5792 olim Nicolai de Cusa m. quart. saec. VII (ut Ruehlio) vel VIII (ut Baehrensio videtur) scriptus 276 foliorum est. Glossarium graecolatinum usque ad f. 239ᵛ pertinet. Et graeca et latina litteris uncialibus scripta sunt. Incipit: 'ΑΒΑΚΧΟΥΤΟϹ INBAUCHATUS ΑΒΑΞ ABAGUS ΑΒΑΡΗϹ NONGRAUIS', explicit f. 239ᵛ: 'ΩΧΥΡΩΜΕΝΟϹ UALLATUS'. Secuntur quemadmodum etiam in Laudunensi idiomata generum:

f. 240ʳ:	Suntquedam[2])	ειcιτινα
	nominaque	ονοματααтινα
	latinequidem	ρωμαιcτιμεν
	masculinogenere	αρρενικωγενει
	efferuntur	εκφερονται
	grecaeautem	ελληνιcτιδε
	feminino	θηλυκω
	hicabitus	ηαπαλαγη
	hicaccessus	ηπροcελευcιc

f. 243ʳ habes quae latine masculina, graece neutra sunt,

---

[1]) Praeterea Baehrensius 21 glossas ab initio primas meum in usum descripsit.

[2]) Litteris minusculis utar.

f. 244v latine feminina, graece neutra, sim. f. 259r: '+ Inc sinonuma lli [*sic, spatio ante* lli *uacuo*] ciceronis [ceceronis *Baehrensius legit*] de copia lingue latinę'. Incipit:

Orator excellens subtilis distinctus
actor ācer pressus

f. 266v: '+ Incip glossa synonima Ciceronis'. Sed nihil eius modi exstat in pagina ceteroqui vacua. f. 267r item vacuum est. f. 267v incipit: 'arba | humo | terra | arida'. f. 272r: '+ Inc dignomidia[1]) yppograti gallieni et susa [*post* susa *littera abscissa esse videtur*]'. Incipit: 'Ubi cogitauerunt de uita et corpus'.

Huius memoriae vetustissimae glossas si cum codice Laudunensi et Stephani editione comparaveris, vel levissimas huius ab illo discrepantias[2]) in Harleiano quoque exstare videbis. Cf.:

Laudunensis:	Stephanus:	Harleianus:
infirmus, incertus, instabilis	infirmus, instabilis, incertus	infirmus, instabilis, incertus
illaesus, innoxius, innoces	inlesus, innoxius, innocuus, innocens	inlesus, innoxius, innocuus, innocens
sollicitudo	cecitudo	citudo [*sed ante* citudo *spatium trium litterarum, nempe* cae]
incogitatus, inconsultus	incogitans, inconsultus	incogitans, inconsultus
glaber, delicatus	glauer, delicatus	glauer, delicatus

Itaque Stephani editio e codice Laudunensi fluxisse non potest. Fluxit potius e codice eiusdem glossarii paululum breviato — nisi forte ipse Stephanus glossas illas ἀβαρές et ἀβάσκαντον omisit —, cuius scripturae proxime ad antiquissimum Harleianum accedebant multumque a Laudunensi discrepabant.

---

[1]) Scribe *dynamidia.* Dynamidiorum duos libros A. Mai edidit in Cl. Auct. t. VII p. 399—458 e codicibus Vaticanis, quibus quinque libros contineri ait praefationis p. X.

[2]) Verum est si a prima glossa, quam pro arbitrio suo Stephanus immutasse videtur (nam etiam cod. Laurentianus quem mox describam sic incipit: '(Α)βάκχευτος imbacchatus') et ab eis quae ille omnino omisit recesseris. Glossas enim quae apud eum desunt Harleianus quoque exhibet.

Duobus his libris pervetustis tertius accedit novissimus, cuius notitiam Rudolfo Schoell debeo. Est autem codex Laurentianus 57, 16 chart. 8⁰ saec. XVI, 41 quaternionum et 328 foliorum. Primae cuiusque singularum litterarum glossae littera initialis deest. Incipit: '(Α)βάκχευτος: imbacchatus ἄβαξ: abagus ἀβαρής: non grauis ἄβαρες: non graue ἀβάσκαντος: infascinabilis', explicit:

τριπλῶς: trifariam
τριποδίζω: tripedo
τριπόδιον τριπόλιον: tripodium herbe genus
τρίπους: ᵇtribula
τριπτήρια: ᶜtritum
τριπτόν: ᵃcortina
τρίπωλα: trige pluraliter tantum

Deest igitur aliqua glossarii pars, nimirum p. 639, 34—666, 49 ed. Steph.

2. Cyrillum glossarii scriptorem non esse constat; ἀνώνυμον enim in codicibus traditur. Appellant autem Cyrilli, quod 'in calce quorundam Cyrilli scriptorum inventum' sit[1]): argumentum perquam futtile.

3. Quod ad indolem glossarii attinet, multo minus doctae glossae sunt, quam 'Philoxeni': nihilo tamen setius suam habent utilitatem, quae maxime in vulgaris linguae latinae vocabulis ac formis posita est. Graeca enim lemmata permulta sciendum est explicari synonymorum latinorum larga copia. Cuius rei exempla in nulla pagina non exstant: cf. p. 533, 14 'μάλιστα: maxime, potissimum, praesertim'; p. 510, 1 'καταφαγάς: nepos, comisator, uorax, comesor'; p. 405, 31 'ἀφίσταμαι: absto, absisto, desero, abscedo, discedo, recedo, desisto'. Praeterea illud huius glossarii proprium est quod interpretamentis latinis non paucis adscriptas habes adnotatiunculas grammaticas, ad generum casuum numerorum usum spectantes, in hunc modum: p. 502, 30 'καπνός: fumus. plurale non habet'; p. 501, 4 'καλάνδαι: calendae. singulare non habet'; p. 561, 7 'οὐδαμινός: nichilo, nugatorius, gerra.

---

[1]) Haec Stephanus in glossarii titulo. Enucleari fortasse hinc poterit, quo ille codice usus sit.

nichilo indeclinabile est'; p. 560, 35 'ὄϲτρακον: testu. dicitur et haec testa'. Similia sunt: 'singularia non habet' 'pluraliter non declinatur' 'pluraliter tantum declinatur' 'caret plurali'. Hae adnotationes et praeterea sat multa e Charisio petita sunt, quam rationem qui perspexerit non nihil inde lucri percipiet. Glossarium p. 655, 29: 'φρυγάνων χαίται: quelle'. Emenda 'qui[squi]lie' Charisium p. 33, 19 *quisquiliae*: φρυγάνων χαίτη secutus. Glossarium p. 419, 42: 'γυμναϲίαι τῶν μονομάχων: haec victualia. singulare non habet'. Corruptelam sana excerptis Charisianis p. 549 'battualia αἱ γυμναϲίαι τῶν μονομάχων' usus. Glossarium p. 581, 51 'πλεκτά, τὰ προϲφερόμενα μηχανήματα τοῖϲ τείχεϲι: haec erre. singulare non habet'. Nimirum 'hae gerrae': cf. Charisium p. 33 'gerrae πλεκτά τινα τὰ προϲφερόμενα τείχεϲιν' et excerpta p. 549 'hae gerrae πλεκτά τινά ἐϲτιν τοῖϲ τείχεϲιν προϲφερόμενα'.

Scriptorum loci non nimis frequenter adduntur. Ubicumque autem exstant, ad illustranda interpretamenti vocabula latina spectant: velut Terentii ('in Andria' p. 477, 14; 'Andria' p. 504, 15; 'Eunucho' p. 534, 18; 'Phorm.' p. 446, 47; alibi), Sallustii (p. 485, 17), Ciceronis ('in Catelinaria' p. 452, 31; 'audentia. Cicero in Pisonem' p. 636, 41: novum fragmentum, ut videtur; 'ut Cicero' p. 543, 25; al.), Vergili ('l. 6' p. 394, 4; 'in I lib. Aeneid.' p. 397, 31; 'in Bucol.' p. 498, 59; 'Georg. lib. 3' p. 452, 21; cf. praeterea p. 403, 13; p. 488, 22; p. 492, 52; p. 523, 52; p. 536, 10; p. 552, 51; p. 562, 45; p. 600, 57; al.).

4. Latinis quae in 'Cyrilli' glossis exstant vocabulis Hildebrandus[1]) aliqua ex parte fidem abrogat. Multa enim ab ipsis grammaticis ficta esse, quo propius ad interpretanda lemmata graeca accederent[2]). Cuius quidem modi glossae

---

[1]) In praefatione glossar. Paris. p. IV sq. et in commentatione diurnis Muetzellianis l. s. s. inserta.

[2]) 'Nec tamen ignoro, quam caute is qui in hoc litterarum genere occupatus est, in glossis edendis et explicandis versari debeat. Prorsus enim dubito omnia quae in glossariis leguntur vocabula ex scriptoribus latinis esse deprompta; certe de glossis quae dicuntur graecolatinis id dixerim. Nam qui vocabula graeca latinis interpretari studuerunt

quamvis paucae sane exstare videantur, velut 'ἀcυνείδητοc: inconsciens' et 'ἀcυνειδηcία: inconsciencia' p. 400, 38 et 39, tamen Hildebrandi illa opinio non comprobatur eo, quod permultas harum 'Cyrilli' glossarum pro certo demonstrari potest olim fuisse latinograecas, inverso demum interpretamenti et lemmatis ordine evasisse graecas. Atque latinam glossarum partem principalem ut ita dicam esse etiam inde apparet, quod scriptorum loci et adnotationes illae grammaticae ad latina spectant, non ad graeca. Sed ut hoc mittamus, ratio illa quam valere diximus facillime sescentis glossis comprobari potest. Cf.:

p. 558, 1: ὁ πρὸc cίδηρον πραθείc, ὅ ἐcτιν ὁ μονομάχοc: auctoratus

p. 558, 4: ὁ πρὸ τῆc παρεμβολῆc τόποc: procastrium

p. 558, 6: ὁ πρὸ τῶν πυλῶν πόλεμοc: autarium bellum, ubi ex more glossographorum sic potius verba collocanda fuisse vides:

auctoratus: ὁ . . . . μονομάχοc
procastrium: ὁ . . . . τόποc
autarium bellum: ὁ . . . . πόλεμοc.

Similia reperies p. 460, 39; 551, 10—17; 554, 52—55; 587, 38; alibi. Quae cum ita sint, 'Cyrilli' corporis aliqua pars ad glossaria latinograeca referenda est. Eadem autem de causa Labbaei quae mox describemus glossaria utilissima sunt: in horum enim partem latinograecam omnes 'Cyrilli' glossas permutato lemmatum et interpretamentorum ordine, hoc est si rem spectamus magna ex parte vero et pristino ordine, receptas habes.

5. Nondum observata est non parva lacuna in edito 'Cyrilli' glossario inter p. 374, 32 et 34 hians. Fieri enim non potest quin inter hasce glossas:

Ἄλιξ: hic Alix. singulariter tantum declinabitur
Ἀνδράχνη: portacia

grammatici, ii id mihi minus egisse videntur ut usitata et revera a Romanis usurpata ponerent, quam ut ad significatum et formationem accuratissime ea explicarent, ita ut non raro vocabula substituerent ipsi, quae quamvis ad grammaticae regulas probata sint, numquam tamen in usu fuisse persuadeatur . . . . . Hoc prae ceteris in glossarium Laudunense vetustissimum cadere videtur.'

non nulla interciderint. Desunt nempe vocabula ab (ἀλκ-?) ἀλλ- (ἀλμ-?) ἀλο- ἀλυ- ἀλω- ἀμα- ἀμβ- ἀμε- ἀμη- ἀμι- ἀμο- ἀμπ- ἀμυ- ἀμφ- ἀνα- incipientia. Reliqui codices illo loco num item lacunosi sint nescio: patet autem huius lacunae ope codicum inter se necessitudinem ut ita dicam facile examinari posse.

II. Cyrilli glossario simillimum fuit illud, cuius quod parvulum fragmentum tantum servatum est maximopere dolemus. C. S. Theodorus Bernd in commentatione 'Merkwürdiges altes Bruchstück eines griechisch-lateinischen Glossarii in Köln' Welckeri et Naekii Mus. Rhen. t. V (a. 1837) p. 301—329 inserta bibliothecae Walraffianae fragmentum Coloniense[1]) edidit unius folii 80 glossas graecolatinas comprehendentis, inde a:

[ΠΑ]ΡΑΧΙΜΑΖЄΙ	[H]IBERNATHIEMAT
ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ	EXTEMPLO
ΠΑΡΑΧΡΑΤΑΙ	CORRIPIT
ΠΑΡΑΧΥΤΗϹ	BALNEATORMEDIASTENUS
ΠΑΡΑΧΩΡΗϹΑΙ	CEDERE

usque ad:

ΠΑΡΟΔΟϹ	TRANSITUSITERUIA
ΠΑΡΟΔΙΚΩϹ	PRAETERITORIETRANSLATICIEPRAETERITIONE
ΠΑΡΟΔΟϹΠΛΟΙΟΥ	AGEA
ΠΑΡΟΙΚЄΙΠΡΟϹΟΙΚЄΙ	ADABITATINPROXIMEHABITAT
ΠΑΡΟΙΜЄΙΑ	PROBERBIUMADAGIOAMBITIO

Folii materia papyrus est vel papyro similis, litterae unciales. Scriptum videtur Berndio V vel VI saeculo. E numero 'Cyrilli' glossarum ad eandem alphabeti partem spectantium facile est ad computandum integrum glossarium si non amplioris, at certe eiusdem fuisse cuius 'Cyrilli' ambitus. Illud autem inter utriusque glossarii indolem discrimen intercedere videtur, quod in fragmento Coloniensi rariora sunt synonyma

[1]) Huius fragmenti exemplum Theodori Bernd manu accuratissime perscriptum membr. in folio inter bibliothecae academicae Bonnensis chirographa exstat n. 82: v. catalogi ab Antonio Klette compositi particulam I Bonnae a. 1858 ed. p. 18.

latina, exquisitiores autem voces latinae quam in 'Cyrilli' glossis[1]).

III. Similis codicis pars fragmenta quaedam 'codicis corticei bibliothecae Helmstadiensis' fuisse videntur, quae 'quattuor ... tabulis convolutis et minoribus fragmentis non nullis constantia ad glossarium graecolatinum pertinere et saeculo VII vel VIII scripta' videri docemur in Annalibus literariis a. 1782 ab Henkio et Brunsio editis p. 193, cuius rei memoriam renovavit Mauritius Haupt 'Bruchstücke eines gr. lat. Glossares' in Musei Rhenani t. II (a. 1843) p. 639 sq. Haec fragmenta num hodieque exstent nescio.

IV. Miraris haud dubie nihildum te audiisse me narrantem de glossis re vera graecolatinis, h. e. de eis quarum lemmatis rariora vocabula graeca continentur et interpretamentis latine explicantur. Tales rarissimae sunt in glossariis adhuc commemoratis[2]), exstant autem non paucae in ea glossarum bilinguium editione, qua sola uti solent[3]) si qui ad parum notos hos fontes redeunt: in Caroli Labbaei glossariis[4]), quae post eius a. 1657 mortem Du Cangio praefante[5]) Pari-

[1]) Velut cf. *obuaricat, conuacare, subinsanus, reuiminatum, cultellum, agea.*

[2]) Rectissime Scaligerana II p. 94: 'les glossaires ne valent rien pour le grec, mais seulement pour le latin'.

[3]) Qui rem novit, ita se habere concedet. Non desunt sane qui Vulcanio Stephanove utantur: sed de more communi loquor, non de paucis quibusdam prudentibus. Miror quod O. Muellerus, qui ad Festum interpretandum bilingues glossas Scaligeri vestigia secutus frequentissime adhibet, Stephani et Vulcanii libros omnino ignorasse videtur. Absque quo esset, non puto haec scripsisset praefationis p. XXXIV: 'glossaria graecolatina Labbaeus in unum corpus coegit: rectius autem de iis iudicari poterit, si quando erciscendi actione unumquodque ex iis suam portionem receperit'. Dudum enim Labbaei glossaria singillatim edita exstabant. Rei rationem Muellerum perspectam non habuisse etiam prima eiusdem paginae adnotatio docet.

[4]) 'Cyrilli Philoxeni aliorumque veterum glossaria latino-graeca et graeco-latina, a Carolo Labbaeo collecta et in duplicem alphabeticum ordinem redacta. Cum variis emendationibus ex mss. codd. petitis virorumque doctorum castigationibus ac coniectaneis . . . praeterea veteres glossae verborum iuris . . . Lutetiae Parisiorum a. MDCLXXIX'.

[5]) Du Cangii nomen neque subscriptum est neque usquam comme-

siis a. 1679 edita sunt. Labbaeus[1]) enim 'auctore, hortatore atque impulsore'[2]) Scaligero glossaria Stephani in unum (h. e. in continua duo lexica, graecolatinum alterum, alterum latinograecum) ita concinnavit, ut singulas glossas bis insereret, lemmatum nempe et interpretamentorum ordine converso graecolatinas adderet latinograecis itemque graecolatinis latinograecas. Quae glossariorum conglutinatio aliqua ex parte sane utilis[3]) dici vix potest quantum studiis glossographicis nocuerit, praesertim cum Stephani et Vulcanii editiones rarissimae sint, Labbaei non item. Sic, ut unum afferam, cum pristina compage soluta omnia disiecta sint, e litterarum ordine turbato nusquam quidquam concludi potest. Praeterea autem si quis eandem glossam bis viderit tra-

---

moratur. At constat eum praefatum esse: cf. Mus. Rhenan. t. XVIII (a. 1863) p. 253.

[1]) Idem iam antea in animo habuerant Henricus Stephanus et Isaacus Casaubonus.

[2]) Haec sunt ipsius Scaligeri de se verba. De tota hac re cf. 'excerpta ex epistolis Iosephi Scaligeri ad Carolum et Petrum Labbaeos fratres', quae Du Cangii praefationem excipiunt. Habes ibi velut haec 6. Kal. Aug. a. 1602 a Scaligero scripta: 'itaque utrique nostrum licet gloriari: mihi quod primus auctor vobis fui animosque ad opus illud instituendum feci, vobis quod neque magnitudo operis et inexhaustus labor a proposito vos deterruit, neque difficultas multarum rerum quae passim occurrunt studium minuere aut ardorem retundere potuit'. Exeunte a. 1603 Carolus Labbaeus supremam manum glossario imposuerat et Scaligero librum dicaturus erat. Sed neque Scaliger neque Labbaeus corpus illud impressum viderunt: namque evulgatum est 76 demum annis post ob angustias rei typographicae. Sic enim Scaliger Carolo Labbaeo 8. Id. Oct. a. 1604: 'video te non minus angustiis rei typographicae laborare quam nos'.

[3]) Vide supra p. 216. Qui recte utitur Labbaei glossariis, ut notarum usus et concinnandi rationis a Du Cangio in praefatione expositae bene memor sit, ei utilissimum erit opus illud maximo cum labore collectum. Qua in re illud semper tenendum est *S* nota significari Servii glossas, *E* autem partim Stephani excerpta partim glossas antea non editas a Labbaeoque e codicibus Parisinis ut videtur petitas. De utraque enim nota Du Cangius in praefatione falsa protulit. Quamquam restat sane, quod Labbaei libro laudi tribui non possit: minime enim accurate quae apud Stephanum reppererat repetiit, sed non raro glossas neglegenter immutatas corrupit.

ditam, nimirum et in glossario latinograeco et in graecolatino, unam has glossas memoriam esse nescius facile poterit ex eiusdem formae vel corruptelae repetitione aliquid concludendum esse putare. Factum esse tale quid docet 'Gebrauchsanweisung für Labbaeus Glossen, von ***' in Musei Rhenani t. XVII (a. 1862) p. 159. Post Labbaei glossaria p. 207—246 anonymi cuiusdam — Du Cangius fuit[1]) — beneficio adiectas habes admodum utiles 'Castigationes et

---

[1]) Labbaei glossariorum praefationem, cui scriptoris nomen non additum est, a Du Cangio scriptam esse hodie constat. Iam in ipsa hac praefatione de illis castigationibus et emendationibus Du Cangium audi haec narrantem: '. . . tandem post aliquot ab editione annos monitus virum alium doctum non pauca in suum Stephanianum exemplar in privatos usus contulisse, hunc adii: nec frustra, ut qui statim illud non modo qua est humanitate communicarit, sed et operam suam in iis qualiacumque essent describendis ac in alphabeticum ordinem redigendis ultro obtulerit. Quin etiam Regium et Sangermanensem codices cum glossario latinograeco Stephaniano [accuratius dicendum erat 'graecolatino'; sunt enim 'Cyrilli' codices: v. supra p. 210 sq.] contulit variantesque lectiones exscripsit ac demum universa a se collecta in alphabeticum Lat. Graeci glossarii ordinem ita redegit, ut quae ex Gr. Latino illustrantur stellula, quae ex Excerptis litera E, quae vero ex Lat. Graeco nulla notentur. Sic porro emendationes istas adornavit, ut illas auctorum locis firmari et illustrari superfluum duxerit, cum res aliunde immensi esset laboris nimiumque studium expeteret, cui tum vacare non licebat. Deinde satis esse ratus est hominibus literatis, quibus duntaxat ea glossaria conscripta sunt, castigationes ipsas proferre et criticorum a quibus exaratae sunt locos indicare: quibus et aliquot magni Cujacii Stephaniano exemplari, quod asservatur in bibliotheca Colbertina, eiusdem manu adscriptas emendationes, interdum et suas admiscuit. Neque tamen voces omnes quae dubium praeferrent attigit . . . . Sed, et eius modi emendationibus scrupulosius inhaerendum non existimavit, quae literarum mutationes aut defectus vel etiam μεταθέσεις spectant et passim in his glossis occurrunt, nisi in quantum necessarium id duxit, quo in hisce minutiis non adeo versatus lector minus fatigaretur.' Omnia exscribenda erant, quoniam vel hinc facile conici potest eundem collegisse castigationes, qui earum γένεσιν tam accurate descripserit: Du Cangium nimirum. Hanc autem rationem esse inde puto pro certo apparet, quod ubicunque ἀνώνυμος ille suas emendationes profert glossarium mediae et infimae aetatis excitat, non addito tamen scriptoris — Du Cangii — nomine. Cf. p. 210b (apnades); 211b (ascora); 212a (auriga); 212b (barburra); 213a (boccola); 219b (desiderata); 221a (domnaedius); al.

emendationes in utrumque glossarium ex codd. Sangermanensi et Regio ... et ex virorum doctorum coniectaneis'. Denique integrum Labbaei opus denuo editum habes in linguae graecae thesauri Stephaniani editione Londinensi a. 1816—1826, cuius volumine decimo continentur 'Caroli Labbaei glossaria graecolatina et latinograeca cum aliis opusculis'. Ibidem praeter alia iteratae sunt Bon. Vulcanii 'Notae et castigationes in glossaria utriusque linguae' p. 391—423.

Ex his Labbaei glossariis glossae re vera graecolatinae erui possunt. Multas enim ibi habes *E* nota insignitas, quae non ex Stephani Excerptis vel omnino e libro impresso, sed aperte e codice quodam, Parisino procul dubio, petitae sunt. Nam quamquam sane Stephani excerpta in glossaria Labbaei fluxerunt eisque nota illa adpicta est, tamen permultae exstant eiusdem litterae glossae, quas inter excerpta frustra quaesiveris, velut:

I p. 34d: βαρυςκοινος: profundus in iuncis *E* (scr. βαθύςχοινος)

I p. 38d: βυρςυπαγή: navis fabricata de corio *E* (scr. βυρςοπαγή)

I p. 38d: βυρςινόν: corium bovis, ex bisso tinctum *E*

I p. 37c: βούκρανον: galea ex capite bovis *E*

I p. 6a: αἰςχρανδράποδα: famosa mancipia *E*

Praeterea cf. lemmata ἀκρέμων, ἄλυπος, ἁλώςιμον, ἅμιλλα, ἀμμοδύτης, ἀμνήμονος ἡμέρα, ἀνακλίνας, aliarum copiam largissimam. Singula rariora vocabula graeca explicari vides pluribus latinis. Huius Labbaei glossarum partis in excerptis illis nec vola exstat nec vestigium, ut erraverit Du Cangius in praefatione, omnia *E* nota insignita inde hausta esse ratus. Inter easdem autem quibus *E* adscriptum est habes etiam re vera latinograecas, latina vocabula graece explicantes, quo in numero nonnullas optimae notae. Sed de his nunc plura dare nolumus; satis habemus ostendisse Labbaei *E* glossas originis esse triplicis[1]), vel — si quae modo segregavimus ad unum eundemque fontem revocanda esse puta-

[1]) Excerpta insunt Stephani, glossae graecolatinae, glossae latinograecae.

veris — duplicis, non unius, ut nunc putant Du Cangii errorem secuti. Eundem autem in explicanda *S* nota errasse supra vidimus.

§ 13.

De 'libro glossarum' eiusque epitomis et de posterioris medii aevi non nullis lexicis.

Transimus iam ad alterum glossariorum genus: ea nimirum, in quae praeter breviora vocum rararum interpretamenta (h. e. glossas) loci e variis scriptoribus hausti fluxerunt. Quo in numero principem obtinet locum, utpote reliquorum paene omnium fons, liber ille glossarum, qui dici nequit quanto usui fuerit per octo saeculorum spatium. Egregie de eo egit Hermannus Usener 'Der liber glossarum' in Musei Rhenani t. XXIV (a. 1869) p. 382—391. Cf. etiam Augustum Wilmanns ibidem p. 363 sqq. Exeunte nempe VII vel ineunte VIII saeculo vir quidam non indoctus quaecumque de rerum natura, vita humana, litteris, lingua latina, aliis rebus scitu digna esse viderentur omnia in unum corpus ad ordinem alphabeti digestum redegit. Qua in re administranda e variis scriptoribus, velut Augustino, Isidoro, Ambrosiano, scholiis et sacris et Vergilianis aliisque, glossis Placidi, Eutychis, aliorum anonymis, al. hausit fontesque in margine accuratissime indicavit in hunc modum: 'Placidi', 'de glosis', 'Virgili', 'Pauli' [cod. Bern. 16 f. 6ʳa] vel 'Pauli ABB' [cod. Sang. 903 p. 551a], 'De ortographia' [cod. Bernensis 16 f. 15ᵛb], 'Ex differentiis' vel plenius 'Ex differentiis sermn' [cod. Bern. 16 f. 19ʳb], 'Ciceronis', 'Esidr' 'Esidors ex liber de natura rerum' [cod. Bern. 16 f. 32ᵛa], '℞' [ubi mensium nomina explicantur], 'Eucheri' [cod. Palatin. 1773 f. 66ᵛ], 'domi Agustini' [cod. Palatin. 1773 f. 149ᵛ], 'hyeronimi' [cod. Palatin. 1773 f. 223ʳ], 'heronimi in ezechielis exposito' [cod. Palatin. 1773 f. 317ᵛ], 'Orienis in expositione exodi' [cod. Palatin. 1773 f. 324ᵛ], 'Galeni' [cod. Palatin. 1773 f. 145ᵛ], 'ex lib artiū' [cod. Palatin. 1773 f. 309ᵛ], 'Ambrosii' [cod. Sangallensis 903 p. 44], 'Gregor.' [cod. Sangallensis 903 p. 444b], 'Ylari ex bbi de litteris' [cod. Bern.

16 f. 75r], 'Agniti' [cod. Bern. 16 f. 71r], 'ex esidori atq: ambrosii lib collectū' [cod. Bern. 16 f. 19v], al.[1]). Non est huius loci pluribus de horum excerptorum in emendandis singulis scriptoribus vi atque auctoritate agere: perpauca proferemus, alia alio tempore tractabimus. Isidori excerpta prae ceteris digna sunt, in quae accuratius inquiratur: videntur non nulla ibi exhiberi uberiora quam in Originum codicibus, et saepius etiam emendatiora. Isidoriana non raro cum Ambrosianis contaminata esse Usenerus ostendit l. s. s. p. 383. Placidi in libro glossarum memoriae auctoritas cum libris separatim descriptis in Musei Rhenani t. XXXI (a. 1876) p. 64 sqq. a nobis comparata est. Quae ut e Cicerone excerpta in margine 'Cic̃' vel 'Ciceron̄' vel similibus notis indicantur, synonyma illa sunt Ciceroni falso inscripta, quae vetustissimis et numerosissimis codicibus tradita habes. Ea post alios W. L. Mahneus Lugduni Batavorum a. 1851 edidit. Glossas Vergilianas (in margine 'Virgili' scribi solet) petitas esse e codice quodam glossato, cuius commentarius ad Aelium Donatum redierit, Usenerus comprobavit in Mus. Rhen. t. XXIII (a. 1868) p. 496 et 676 itemque t. XXIV (a. 1869) p. 383. Excerpta 'de ortografia' ad Isidori Originum I, 26 caput aliunde ampliatum et suppletum idem Usenerus rettulit in Mus. Rhen. t. XXIV (a. 1869) p. 109.

Gravissimi autem ad nostra studia momenti illa sunt, quibus 'de glosis' vel 'de glos̃' vel 'de gł' praefigitur. Hanc notam ad unum aliquod glossarium spectare putat Augustus Wilmanns l. s. s. p. 376, contra ad varia minora, quae is qui grande opus composuit undique conlecta inseruerit, Usenerus ibidem p. 383, cuius sententia unice vera est. Pluribus eam comprobare opus non est, cum eorundem lemmatum eodem vel simillimo modo explicatorum frequentia argumentum sit non dubium. Illud contra diligentissime erit explorandum, quaenam ex glossariis in corpus illud receptis etiamnum servata sint, quae quidem

---

[1]) Index Maianus in Class. auct. t. VI p. 575 multa comprehendit, quae non in margine indicantur, sed in ipsis glossis excitantur. Cf. Usenerum l. s. s. p. 383.

exploratio non nimis difficilis est ad instituendum, cum in antiquissimis codicibus singulae illae glossae nondum breviatae contaminataeve, sed fidelissime separatim perscriptae exstent. Quae autem e glossariis mihi notis in librum glossarum recepta esse videantur, quae non item, cum de singulis glossariis agerem supra significavi. Plura nunc dare certis de rationibus nolo, non nulla adeo pro codicum penuria enucleare nequeo. Ceterum 10—12 minora glossaria illuc fluxisse sibi videri Usenerus mecum communicavit. Addimus non nulla de nomine, auctore, codicibus, epitomis, aliis id genus quaestiunculis.

1. 'Liber glossarum' appellatio Usenero debetur. Secutus autem esse videtur auctoritatem catalogi bibliothecae laureshamensis saec. X conscripti, in quo codex nunc Palatinus 1773, corporis illius exemplum, sic appellatur[1]): 'Liber grandis glosarum ex dictis diuersorum coadunatus'.

2. Quis collegerit illud maximae industriae opus nescitur. Potest fuisse Ansileubus, sed admodum dubia est eius auctoritas.

Diu latebat, unde ad Bernhardyum in hist. litt. Rom.[4] p. 881 de 'opere ab Ansileubo Gothorum episcopo conlecto' disserentem eius rei notitia permanasset[2]). Nunc Wilmannsii l. s. s. p. 367 beneficio scimus de libri glossarum codice

---

[1]) V. Augustum Wilmanns in Musei Rhenani t. XXIII (a. 1868) p. 392.

[2]) Usenerus l. s. s. p. 384 Bernhardyum illud fortasse ab Oehlero comperisse putat. Poterat etiam ex O. Muelleri praefatione Festi p. XXXIII haurire, ubi haec narrantur: 'certior factus eram a viris egregiis Rad. Rochettio et Fr. Orioli, Parisiis tum degente, hoc Placidi glossarium etiam plenius, quam ab A. Maio editum erat, restitui posse ex magno lexico episcopi Gothorum, Ansileubi, cuius vetusta exemplaria scripta et Parisiis (duo nisi fallor) et Turoni extare, ex Placido, Isidori originibus et quae eidem tribuuntur glossis, Appuleio de orthographia scriptore [error est], Paulo (sed ex hoc ipso pauca sumpta sunt) aliisque copiis ita composito, ut nomina eorum grammaticorum in margine singularum glossarum adscripta sint'. Ex ipso exemplo Sangermanensi notitia illa petita esse non potest: nihil enim eius modi Du Rieuus refert, qui codicis accuratissimam descriptionem mihi transmisit. Idem mihi scripsit Eggerum sibi dixisse 'Ansileubium fuisse episcopum Gallicum'. Num forte tale quid in codice Cambracensi vel Turonensi scriptum est?

Sangermanensi in catalogo Parisiensi scriptum esse: 'glossarium antiquissimum, quod Ansileubi putatur'. Quae quidem adnotatio utrum codice aliquo nitatur an nihil sit nisi tralaticia bibliothecariorum opinio (quales opiniones nasci ac propagari notum est), usque ad hunc diem non constat.

III. Festi glossae in ipsum librum glossarum non permanarunt. De 'glossario Salomonis' postea videbimus. 'Paulus', qui non nimis frequenter ut fons in margine indicatur, Paulus abbas est neque quidquam ad Festi epitomam pertinet.

IV. Codices et epitomas libri glossarum ita enumerabo, ut primo loco de eis loquar antiquissimis libris, quos paullo accuratius cognitos habemus. Wilmannsius enim l. s. s. p. 368 sqq. *b* litterae partem adiectis codicum Sangermanensis, Palatini, Vercellensis scripturis edidit. Praeterea ego Usenero debeo *c* litterae particulam e Sangermanensi, Palatino, Bernensi, Sangallensi descriptam.

1. Vetustissimus esse videtur Sangermanensis 12. 13 = Parisinus 11529. 11530 fol. membr. saec. VIII duorum voluminum: quode codice cf. Hildebrandum praef. gloss. Paris. p. IX; Wilmannsium l. s. s. p. 367; Usenerum l. s. s. p. 387.

2. Cod. Bernensis 16 fol. membr. saec. IX, olim monasterii Floriacensis, *A—E* litteras tantum exhibet: cf. Usenerum l. s. s. p. 385 sq. et Hageni catalogum nuper editum p. 10 sq.

3. Cod. Palatinus 1773 membr. saec. X, olim Lauresharmensis, f. 22ʳ—349ᵛ librum glossarum exhibet, cuius in fine pauca folia desunt: cf. Wilmannsium l. s. s. p. 363 sqq.


4. Cod. Sangallensis 905 fol. membr. saec. X, 73 quaternionum (nisi quod primi f. 1—5 desunt) et 1070 paginarum: cf. Usenerum l. s. s. p. 386 sq. et catalogum Sangallensem a. 1875 editum p. 321 sqq.

5. Cod. Vercellensis Eusebianus I membr. fol. saec. X initio scriptus: cf. Wilmannsium l. s. s. p. 367 et Deuerlingium in Placidi praefatione p. IV.

Ex omnibus his codicibus praeter Vercellensem excerpta mihi praesto sunt cum a Du Rieuo (e Sangermanensi), tum ab Usenero (e reliquis libris) commodata. E Palatino multa protulit Maius in Class. auctorum t. VII p. 550—586 ('glossae

antiquae ex codice Vaticano'); ibidem p. 589—596 ('excerpta ex antiquissimo libro physiologo'); t. VI p. 554—574 ('Placidi glossae valde auctae et emendatae'); ibidem p. 576—600 ('excerpta ex glossario vetere'). E codice Sangermanensi Hildebrandus in glossarii Par. antiqu. commentario multa excerpsit, qua in re quam neglegenter versatus sit scripturis a Fr. A. Ecksteinio et Du Rieuo enotatis demonstrare nolo. Codicibus Bernensi, Vercellensi, Palatino Deuerlingius in edendo Placido usus est.

Disquirentes iam quaenam horum codicum auctoritas critica sit Vercellensem e quinque reliquorum numero seiungemus, idque duabus quidem de rationibus. Namque videtur ille pristinas scripturas et omnino pristinam memoriam non integram servasse, cum multas notas marginales omiserit, orthographica mutaverit, menda non nulla correxerit. Praeterea autem materia inde petita ad rationem certius definiendam non sufficiebat. Tanto certius puto de quattuor reliquis statui posse. Eos non dubito in duas classes ut aiunt distribuere, quarum altera continentur Sangermanensis, Bernensis, Sangallensis, alteram Palatinus efficit. Atque e prioribus quidem pro eodem paene codice habendi sunt Sangermanensis et Bernensis, paullulum discrepat Sangallensis. Itaque hoc stemma evadit:



En habes argumenta:

a) Sangermanensis et Bernensis tam inter se similes sunt, ut non solum omnes corruptelae, sed etiam minutiae orthographicae prorsus consentiant.

Sangermanensis:	Bernensis:
comedia historia *trago*edia	comedia historia *trago*edia
comedi*e* cantica agrestica gr*e*ce	comedi*e* cantica agrestica gr*e*ce

comedia est que res priuatorum est humilium . . .	comedia est que res priuatorum est humilium . . .
. . . unam ex musis poete finxer*a*nt	. . . unam ex musis poete finxer*a*nt
solebant enim post cibum homin*i*s ad eos audiendos uenire	solebant enim post cibum homin*i*s ad eos audiendos uenire
in dictis a*d*que gestu	in dictis a*d*que gestu
auctor eius *aor*ion traditur	auctor eius *aor*ion traditur
in singul*o*s uersos tricen*o*s	in singul*o*s versos tricen*o*s
a*m*monentes quid adpetendum	a*m*monentes quid adpetendum
duplici toga infol*a*tus apu*t* Romanos quoque	duplici toga infol*a*tus apu*t* Romanos quoque

Itaque eiusdem libri apographa diverso tempore confecta[1]) esse hos codices vel eo commendatur, quod et Floriacensis et Parisina libri glossarum memoria in duo volumina distributa est, quorum priore[2]) utrobique continentur ABCDE litterae.

b) Sangallensem eiusdem memoriae maximam partem participem esse, Palatinum contra singulares scripturas exhibere locorum quos supra exscripsimus repetitio docebit:

Sangallensis:	Palatinus:
comedia historia *trago*edia	comedia historia *dracon*edia
comedi*a* cantica agrest*ic*a grece	comedi*ae* cantica agrest*i*a gr*ae*ce
comedia est que res priuatorum *et* humilium . . .	comedia est que res priuatorum *et* humilium . . .
[desunt verba]	unam ex musis poete finxer*u*nt
solebant enim post cibum homin*e*s ad eos audiendos uenire	solebant enim post cibum homin*e*s ad eos audiendos uenire
in dictis a*t*que gestu	in dictis a*t*que gestu
auctor eius *aor*ion traditur	auctor eius *adf*ion traditur
in singul*o*s uersos tricen*o*s	in singul*i*s versos tricen*u*s
a*d*monentes quid adpetendum	a*d*monentes quid adpetendum
duplici troga incol*a*tus apu*t* romanos quoque	duplici toga infol*u*tus apu*d* romanos quoque

---

[1]) Eiusdem enim saeculi codices vix esse possunt cum ob catalogi Parisini et Useneri de aetate sententiarum discrepantiam — quamquam de catalogi scriptoris errore cogitari possit —, tum maxime ob scripturae diversitatem, quam haud sane exiguam esse e Du Rieui et Hageni speciminibus perspectum habeo.

[2]) Bernensis exempli alterum volumen intercidisse vidimus.

Omnes vides paullo graviores a Palatino discrepantias (agresti*ca*, *ao*rion, in singul*o*s, incol*a*tus) — mittemus enim orthographica, utpote nullius ad hanc rationem comprobandam momenti — Sangallensi cum Bernensi Sangermanensique communes esse. Saepissime autem eaedem utrobique corruptelae exstant: ubi discrepat memoria, frequentius Palatinus integras scripturas servasse videtur. Quamquam hic illic reliquorum librorum memoria praestat.

c) Utramque classem modo discriptam ex uno fonte sat corrupto fluxisse vel ob corruptelarum apertissimarum consensum admodum veri simile est, multo autem certius etiam et ita quidem ut nihil dubitationis restet alia ratiocinatione demonstrari potest. Derivatam enim esse utramque memoriam e codice, cuius *b* littera foliis nonnullis permutatis vel aliqua de causa valde turbata erat, statim videbis, ubi indicem contemplatus eris, quem confecimus principiorum *b* litterae lemmatum, sicut in Palatino et Bernensi Sangermanensique ordinata exstant.

	Bernensis:	Sangerman.:	Palatinus:
I	ba-	ba-	ba-
	be-	be-	be-
II	bo-	bo-	bo-
	br-	br-	br-
	bu-	bu-	[de f. 58^v et 59^r nihil fere enotatum habeo]
III	bi-	bi-	
	bl-	bl-	bl-
	bo-	bo-	[de f. 60^r nihil enotatum habeo]
IV	bi-	bi-	bi-
V	bu-	bu-	bu-

Non turbatae sunt particulae I et V, reliquarum ordo pristinus hic fuerat: IV. III. II, omnium glossarum hic: I. IV. III. II. V. Easdem turbas in Vossiano Oct. 24 et in glossario a Georgio Thomas a. 1868 edito eiusdemque in cod. Bernensi 357 pleniore memoria repperi: contra in glossario Salomonis et Papiae lexico ordo non laesus est[1]). Itaque omnes

[1]) In his epitomis pristina memoria adeo immutata et glossis aliunde petitis ampliata est, ut ipsos earum auctores ordinem turbatum suo consilio correxisse probabile sit.

libri glossarum codices paulo accuratius noti ad unum idemque corruptissimum turbatissimumque exemplum redeunt. Eadem de re in alios inquirendum erit.

Secuntur libri partim paene ignoti, partim recentiores in breviusque contracti.

Cod. Monacensis 14429 membr. saec. X: cf. Kettnerum in programmate anni 1868 p. 25 sqq. et Usenerum in Mus. Rhen. t. XXII (a. 1867) p. 442.

Codicem Cambracensem 'pulchriorem etiam esse Sangermanensi et re vera longobardicis litteris perscriptum' Pitra olim Du Rieuo narravit. Idem eundem in Spicilegio Solesm. III p. 418 commemoravit. Videtur esse Haenelii 633 'glossaire en caractère longobard'.

Codicis Turonensis praeter O. Muellerum in Festi praefatione p. XXXIII nemo ni fallor mentionem fecit.

Codice aliquo libri glossarum Gothofredum in enarrando Festo usum esse demonstrari potest.

Libri glossarum exemplum I. I. Scaliger in monasterio Vindocinensi vidit.

Codex Ambrosianus H 68 sup. membr. saec. X/XI, olim Bobiensis: cf. Amadeum Peyron p. 187. Nonnulla inde mecum communicavit L. Mendelssohnius. Incipit: 'Abba syrium nomen et significat in latinũ pater. Quod paulus romanis scribens exposuit dicens . . .' Secuntur lemmata: 'abactus, aborsus est, ab alto, abauus, abdicant, abdicare'. Quo ex codice quae excerpta habeo, ea libro glossarum satis sunt dissimilia.

De codicibus Vaticanis 1463 membr. saec. XV, 1461. 1462 membr. saec. XV, 1774 membr. saec. XIII vide Wilmannsium l. s. s. p. 366 sq. et 376 sqq.

Codices Parisini 7644 membr. saec. XIII, 7610. 7612 item e libro glossarum derivati sunt: v. Hildebrandum praef. gloss. Paris. p. IX; eundem in diurnis Muetzellianis VII p. 125; Usenerum p. 387; O. Muellerum l. s. s.

Libri glossarum codicem etiam penes Petrum Danielem fuisse e Scaligeri ad Catullum quadam adnotatione disci potest. Fortasse idem liber ille est qui hodie Londini exstat: cod. Harleianus 2735 membr. 4° saec. X, 'ex libb. Petri

Danielis Aureliani 1565' (sic f. 1r scriptum est). Tituli principium est: 'GLOSSAE ANTIQVORVM AVCTORITATE ROBORATAE ET ...' Ipsum glossarium incipit: 'A littera nominibus gentibus ideo prior est ut terarū ꝑeo qđ prior nascentib: uocē aperiat | Abba sirū est nomen: significat in latinum pater'. Explicit, ut videtur: 'zozia signa'. Secuntur metrologica, metrica, id genus similia. Inesse dicitur in hoc codice Papias: at est procul dubio libri glossarum epitome, cum Papias a. 1063 demum opus suum ad finem perduxerit.

Glossas quas Robinson Ellis in Catulli editione Oxoniensi a. 1867 velut p. 348. 329. 354 e 'glossario vetere bibliothecae Bodleianae' protulit ad librum glossarum spectare Usenerus vidit l. s. s. p. 387 sq.

In brevius non contractus fuisse et fontium indiculos fideliter servasse videtur libri glossarum codex Engelbergensis membr. saec. XII bipertitis paginis scriptus, cuius unum folium exstat ab Hageno Einsidelae inventum. Prima glossa, quae quidem integra exstat, est 'palabundi: uagi, errantes', extrema (cuius lemma *palperę* est) abrupte sic explicit: 'in summitate autem palpebrarum locis quibus utraque se'. Fontes octies indicantur: Esiđo Isido Isid, De gło, Ciceroñ, Virgł. E quinque glossis, quas de boum pal earibus velut in Vaticano 1773 f. 225v exstare scio, nullam hoc fragmentum non servavit.

Codex Leidensis Scaligeranus 231, partim bombyc. partim membr., saec. X vel XI (cf. catalogum Leidensem p. 464 b et Franciscum Ruehl in Ritschelii Actis t. IV p. 377 sq.) glossarium exhibet latinoarabicum, e quo non dubito quin fluxerint Vulcanii in Thesauro p. 701—710 'glossae e glossario arabico-latino veteri ms. collectae'. Haec Vulcanii excerpta e libro glossarum pendere Kettnerus vidit. Lemmata ita ibi mutata sunt, ut nominum nominativi et verborum primae sing. indic. praes. personae ut grammatici aiunt ubique pro traditis formis substituerentur. Praeter interpretamenta arabica saepissime latina quoque servata sunt.

Codex Leidensis Vossianus Oct. 24 chart. post varia geographica (cf. catalogum p. 387 a) glossarium exhibet novem foliorum, e vetustiore libro haud dubie descriptum. Usus sum

huius quoque glossarii apographo Burmanniano. Inscriptum est: 'glossarii opus egregium totius linguae latinae vocabulorum copiosissimum feliciter incipit'. Tituli iactantiam refutat pusillitas glossarii inde ab *a* ('ab abatisimis: a deformissimis, ab infirmissimis') usque ad *c* litterae principium (casnar: senex; casnari: seni osculorum lingua; corruptile) pertinentis. Subscriptum est: 'Reliqua in MS. desiderabantur'. Glossarium 'egregium' e libro glossarum haustum est. Hic illic ubi glossarum forma uberior quam libri glossarum tralaticia est exstare videtur, quae accedunt nova additamenta sunt et coniecturae a viro docto olim adscripta, postea in ipsas glossas recepta. Ceterum 'egregii' glossarii scriptor egregios versiculos singulis litteris praemisit hos:

Possidet *A* numerum quingenti ordine recto.
Et *B* tercentum per se retinere conatur.
Non plus quam centum *C* constat habere.

Ubi quae de numero glossarum dixit, 'egregie' mentitus est. Etenim *A* littera non 500 sed 203, *B* non 300 sed 112, *C* non 100 sed 87 'per se retinere conantur'. *B* litterae ordinem turbatum esse supra vidimus.

Codex Leidensis 67 D, olim B. N. Krohnii, membr. saec. X tripertitis paginis 51 foliorum, tertio loco f. 3^{r}a — 50^{v}b librum glossarum breviatum et corruptissimum exhibet. Minoris cuiusdam glossarii fragmenta non paucis litteris inserta esse supra p. 116 sqq. vidimus. Fontium indiculorum miserula quaedam vestigia restant, velut i͡s (f. 5^{r}b bis, 5^{r}c, 5^{v}a); a͡g (f. 5^{r}b); u͡r (f. 5^{v}b). Totum librum quidam pallidiore atramento usus correxit. Ceterum de hoc codice, quem Lipsiam transmissum habui, cf. Geelii catalogum p. 158 et Mommsenum in Musei Rhenani t. XVI (a. 1861) p. 145, qui non nullas glossas, mensium nomina maximam partem exhibentes, inde protulit. Eiusdem apographon Oehleri in usum confectum Berolini exstat. Continentur illa membrana:

1. Vocabula graeca ad grammaticam et metricam spectantia: f. 1^{r}a 'tonus accentus' usque ad f. 1^{r}c 'hiperbaton dictum est transcensio quaedam uerborum ordinem turbans'. f. 1^{v} scriptura vacat.

2. f. 2^{r}a: 'incipiunt glosae litterarum'. Incipit 'poeta

uatis' 'poeticus: liber', explicit f. 2^rc 'arsis eleuatio, tesis positio'. f. 2^v vacuum est. 'Glosae litterarum' videntur etiam in codice quodam Guelferbytano (Weissenburgensi 86) membr. 4° saec. IX exstare; idem enim principium: 'poeta: vates' 'poeticus: liber' et consentiunt Eberti p. 96 de materia verba: 'Isidori grammaticae artis nomina graeca et latina'. Easdem glossas in Gaisfordii metricorum latinorum editione legere me memini.

3. Libri glossarum epitome: incipit f. 3^ra 'IN NOMINE D̃I SUMMI | Ab abatissimis . adeformissimis et ab infirmissimis Ab abiectissimis . ab tenuissimis ab obscurissimis ab angustissimis siue a paruissimis et humilibus', explicit f. 50^vb 'Zoraicus circul: ÷ q ex liniar̃ ·II· angulis ex una linea constat Zozia signa ÷'. Secuntur sine ullo intervallo:

4. Voces variae animantium: 'Uox aer sp̃u uerberatus et ub̃a s̃t nõcupata' usque ad f. 50^vc 'Ranas rabire ł coaxare | Ingruit conturbauenit rapit inuadit | Antes extremi ordines uinearũ siue arborum | Teda ·i·'.

5. f. 51^r 'Incipit intp̃tatio ebreor̃ nominũ genelogię X̃PI secundũ matheũ'. f. 51^ra 'Ram ·i· excellsus' usque ad f. 51^vb 'per compunctionẽ cordis ·:'

Edita sunt e libro glossarum pendentia haec:

I. E codice Monacensi lat. 6210 membr. saec. IX f. 1—6 Georgius Thomas in Actis academiae Monacensis a. 1868 t. II p. 370—407 brevius glossarium evulgavit, quod in finibus singularum litterarum aperte mutilatum est. Emendandis his glossis corruptissimis in eisdem actis a. 1869 t. II p. 1—13 operam navarunt Carolus Halmius et Conradus Hofmannus, eosque secutus Ant. Millerus in Diurnis gymnas. bavar. t. VI (a. 1870) p. 295—303. Glossarium e libro glossarum fluxisse primo obtutu qui non caecutit facile videt. Eadem autem epitome exstat in codice Bernensi 357 membr. 4° saec. X 42 foliorum (cf. Sinnerum I p. 395; Hagenum p. 345 sq.; Usenerum Mus. Rhen. t. XXII (a. 1867) p. 413 sq.), quem breviter describam. Foliorum 1—28 apographon a Buechelero confectum mihi praesto est.

Glossario e libro glossarum petito praecedit brevius glossariolum f. 1: 'HAEC SUNT GRECA UERBA ET ALIQUA | ŁORŨ CŨ GLOSIS SUIS | abdomen: pinguedo carnium absida: lucida eo quod lumine accepto per arcum resplendeat'. Explicit f. 7^{v}a: 'zonarim: cingulum zozia: signa zelotypia: dicitur furor cum rancore mentis accensus'. Praeter glossas mere latinas non adeo paucas (velut *apodix*: *socia*, *comes* et *popino*: *prodigus*, *luxuriosus*, *ambro*) glossae graecolatinae [1]) insunt, quae magna ex parte cum Eucherii episcopi Lugdunensis veteris testamenti interpretamentis consentiunt. Praeterea figurae rhetoricae (velut f. 1^{r}b 'antiteta' et f. 6^{r}a 'poliptoton') scriptorum locis illustrantur. Eiusdem glossarii (breviati ut videtur) fragmentum exstat in codice Bernensi miscell. A 91 n. 18 s. IX/X f. 8, unde lemmata non nulla exscribam glossarum et hic et in Bernensi 357 traditarum: *absida acataleptus acefali acoliti aecclesia aegida aegia aeto* al. Permultae harum glossarum etiam in Bernensi 688 s. XIII membr. 12^{0} (v. Hagenum p. 501) f. 2^{r}—8^{r} exstant.

Multo maius est quod inde a f. 7^{v}b: 'abba: pater abi: iulius mensis ab: augustus' usque ad f. 28^{r}b: 'zozimus: uiuax uł uiuidus zozia: signa' pertinet glossarium. Subscriptum habes: 'EXPLICIVNT NOMINA | INTPRETATIONES'. Sequitur 'ALFEBETVM | HEBREORVM'. Hoc glossarium eadem libri glossarum epitome est, quam G. Thomas edidit, nisi quod Bernensis memoria non truncata est. Multo rarius Monacensis plura servavit, velut *b* litterae eas glossas quarum lemmata apud Thomam sunt *baser*, *basileus*, *basilea*, *batenum*, *bathin*, *brachea*, *bisiltes*, *biti*, *blata*. Thomae glossarium novi codicis ope facillime emendari potest.

II. Fragmenta libri glossarum edita sunt haec:

1. Fragmenta Portensia saec. X scripta et ad litteras *a*—*e* et *r*—*v* pertinentia 27 folia integra sunt, 1 folium dimidium, 7 fragmenta minora. Haec descripsit et inde excerpta protulit C. R. Fickertus programmate Portensi a. 1843,

---

[1]) Latinis tamen litteris omnia perscripta sunt.

post quem G. Beckerus in Nov. annal. a. 1863 p. 643 pauca ex eodem fonte hausta prompsit.

2. Particulam codicis ut videtur Halberstadtiensis ab *aq-* usque ad *ar-* pertinentem Hildebrandus programmate Tremonensi a. 1845 edidit.

3. Duo folia codicis cuiusdam Cizensis a *citr-* usque ad *clod-* pertinentia Peterus edidit programmate Cizensi a. 1850, cuius inscriptio est 'Glossarii fragmentum, nebst Einleitung'.

Secuntur maiora glossaria item e libro glossarum derivata, in quae tamen etiam aliunde petita fluxerunt.

Glossarium Salomonis appellari solet liber rarissimus a. fere 1483 in monasterio ss. Udalrici et Afrae Augustano impressus et e codice eiusdem monasterii s. XII ut videtur scripto haustus. Cf. Usenerum p. 389 sq. Usus sum exemplis bibliothecarum Paulinae Lipsiensis et regiae Monacensis. Prioris glossarii (de posteriore statim videbimus) copiosissimi titulus est: 'Salemonis ecclesie Constantiensis | epi glosse ex illustrissimis collecte | auctoribus incipiunt foeliciter ·:·', cui praecedit 'Epistola prelibaticia in sequentis | operis commendationem breui|bus absoluta incipit foeliciter :·'. De hac epistula cf. Usenerum l. s. s. Salomo III abbas Sangallensis, postea episcopus Constantiensis, a. 919 mortuus, hoc glossarium non ipse composuit (exstabat enim largior etiam eiusdem memoria iam ante eum), sed auctor fuisse videtur libri 'grandis' in epitomen redigendi. Vide Usenerum l. s. s. p. 388 sq. Glossarii Salomonis codices sunt velut Monacenses 13302 (a. 1158 scriptus) et 22201 (a. 1165 scriptus). Incipit: 'A in omnibus gẽtibus ideo prior est', explicit: 'solis valido nũquã adserat ignes:' Aliunde insertae sunt glossae hebraicae vulgatae interpretationis permultae (cf. Usenerum p. 389), e Pauli Festo haustae (inprimis in *e* littera, velut f. 70^{r}b: *exfuti exdute exgregie*), non paucae ad Martianum Capellam spectantes. Praeterea epitomae auctor Prudentio, explanationibus in Donatum, aliis scriptoribus usus est. Lacuna hiat post *cli-*. Fontium notarum vestigia restant rarissima; nihil enim repperi praeter *euch'*

(v. *ramng*) et *Aug.* (v. *rammus*). Additum est brevius glossarium f. 238 sqq. inde ab: 'abacti magistratus dicebantur' ... usque ad 'zozommin . hec cogitationis ut supra:' pertinens, cuius principales partes petitae sunt

1) ex Pauli Festo: atque hinc quidem excerpta uberrima, quorum fontem Paulum esse postquam Semlerus vidit, Kettnerus explicatius demonstravit. Referenda sunt in 'bonorum' Pauli codicum numerum [1]);

2) e scriptura sacra;

3) e glossariis, quo in numero 'abavus' glossarium supra descriptum. Multae praeterea glossae ad Prudentium, Martianum Capellam, Fulgentium spectant.

Ceterum *u* litterae nullae omnino glossae exstant.

E 'libro glossarum' pendere Papiae 'Elementarium doctrinae erudimentum' [2]) anno fere 1063 confectum [3]), innumerabilibus paene codicibus servatum [4]), exeunte saec. XV typis saepius impressum [5]) Hildebrandus demonstravit collata

---

[1]) Quo propius ad finem acceditur eo rariora sunt haec excerpta.

[2]) In praefatione: 'iam uero definitionibus et secundum regulas notationibus, sententiis quoque et multis id genus superadditis altius atque aptius elementarium doctrinae erudimentum nominari poterit'.

[3]) Iam Albericus ducentis fere post Papiam annis in Chronico haec enucleavit: 'anno MLIII, anno decimo tertio Imperatoris Henrici filii Conradi, Papias librum suum, videlicet 'Elementarium doctrinae erudimentum' edidit, quod probatur per numerum annorum, ubi agit de aetatibus saeculi in prima litera et numerando pertingit ad hunc annum'. Verba illa sunt: 'Otto minor ·XXII· Otto puer ·sex· Henricus maior ·XXIII· Conradus ·XVI· Henricus minor ·XIII·' Non dixerim a. 1053 librum editum esse. Nam cum illa de aetatibus expositio non procul ab initio libri exstet, in praefatione autem scriptum sit: 'opus . . . a me . . . nuper per spatium circiter decem annorum prout potui adauctum et accumulatum' a. fere 1063 liber editus esse videtur.

[4]) Velut codicibus Vaticanis 1465 m. s. XV; 1466 m. s. XV; 5228 m. s. XV; Reginensi 1482 m. s. XIV; Urbinate 304 m. s. XV; Ottobonianis 1757 et 2231 m. s. XIV; Casanatensi A I 22 m. s. XIV (an XIII?); Bernensi 276 m. s. XIII; Bononiensibus 182 et 183 s. XIII (v. 'Catalogue général des mscr. des bibl. publ. des départem.' t. IV Paris. a. 1872 p. 683 sq.); Atrebatensi 345 s. XIII (ibidem p. 140).

[5]) Usus sum exemplo Monacensi 'impresso Venetiis per Andream de Bonetis de Papia. Anno domini MCCCCLXXXV [sed L atramento de-

libri Sangermanensis multo uberiore eiusdem materiae memoria in commentatione 'die lateinischen Glossarien zu Paris und Leyden nebst Proben aus denselben' inscripta et Diurnis Mnetzellianis t. VII (a. 1853) p. 113 sqq. inserta. Quibus scriptoribus usus sit Papias ipse narrat in praefatione ad filios data[1]), ubi fontium notas enumerat: 'at vero quorundam etiam auctorum nomina ad eorundem verborum auctenticum primis quibusdam litteris (quorum quosdam subnotabimus) praescribentur: Isidorus. [omittam notas] Augustinus. Hieronymus. Ambrosius. Gregorius. Priscianus. Boetius. Quicquid autem in omnibus pene libris Prisciani, Boetii aliorumque inuenimus iisdem notatur apicibus. Commentum super Boetium. Remigius. Beda. Origenes. Horatius. Cicero. Hippocrates etc. De gestis longobardorum, romanorum. De historia Eusebii ecclesiastica. Horosius. Galienus. Placitus. Eucherius. Virgilius. Commenta Virgilii, Horatii, Iuuenalis, Martiani et ceterorum, quos supersedemus. Aimo. Plato. Fulgentius'. Principalem 'erudimenti' fontem, 'librum glossarum' nisi tecte non innuit[2]). Ut autem maiorem materiae glossematicae partem, ita etiam notarum marginalium usum exemplari illi debet. Qui quidem fontium indiculi postea a librariis omitti coepti sunt, atque in Veneta a. 1485 editione paucas eorum habes reliquias. Contra in vetustioribus codicibus, velut in Casanatensi lat. A I 22 membr. fol. saec. XIV (an XIII?) accurate margini adscripti sunt[3]) in hunc modum:

---

mum suppletum, non impressum exstat]. Die ultimo Iunii. Ioanne mocenico inclyto Venetiarum principe regnante'.

[1]) Incipit in Veneta a. 1485: 'filii utique charissimi'. At in codice Casanatensi sic potius: 'fili uterque karissime'.

[2]) Cf.: '. . . opus quidem a multis aliis iam pridem elaboratum, a me quoque nuper per spatium circiter decem annorum prout potui adauctum et accumulatum' et alibi: 'iam vero de huius artis nomine non praetermittendum videtur quae quidem etsi olim quia verbi [quia ad verbum *cod. Casan.*] et simpliciter unius alicuius dictionis retinebat interpretationem glossarium vocaretur, iam vero . . . multis . . . superadditis altius atque aptius elementarium doctrinae erudimentum nominari poterit'.

[3]) Item in cod. Ottoboniano 2231 s. XIV.

ps, hi, Bõ, Rẽ, sim. Neque tamen omnes in praefatione fontes indicavit. Usus est enim etiam Gellio (v. *bidens*), Macrobio (v. *corpus*), Donato Terentii (v. *decrevit*), derivationibus[1]) (v. *ago cano capere cor do docere domus edo facere fero fingo gero gigno* al.), aliis. Praeterea exscripsisse videtur breviores de re metrica, de philosophia, de lapidibus, de vestibus sacris, id genus similes tractatus[2]). Libri glossarum exemplo usum eum esse puto in brevius iam contracto: frequentissime enim con-

---

[1]) Derivationum quae ad *agere* verbum spectant partem exscribo, ut cum aliis memoriis comparatio institui possit: 'ago gis inde deriuatur agens: actus. ta. tum: ab agentis tis in dus fit agendus da dum participium et nomen: dum significat rem dignam agi. Ab actus quoque participio actus participiale nomen quartae declinationis: a quo hic et haec actualis et hoc actuale. et actualiter aduerbium: inde actuarius ria. rium: et actualitas. actor. actrix. actio: Ab ago etiam hic et haec agilis et hoc agile agillimus. a quo agiliter aduerbium et agilitas forma: Inde quoque ager agri: a quo diminutiuum agellus inde agrimonia agrimoniae et agrestis deriuatur: Ab ago quoque agis agito frequentatiuum cum participiis suis et nominibus. Agitatus tus tui quartae declinationis et agitator agitatrix agitabilis: agitatio: et cum compositis: ut subagito. et exagito: peragito: cogito: cogitatus. tus. tui. quartae declinationis: cogitator cogitatrix cogitatio. Ab ago ager: ab agro componitur agricola et agricultura: Onager onos agri: inde deriuatur agro: quod non est in usu. unde componitur peragro gras et peregrinus'. Secuntur composita: *exigo adigo circumago* cet. Praeterea ab agendo derivantur: *agon agonis . . . rex regulus regina . . . regnare . . . auriga: arrigo: erigo. corrigo. surgo: unde componitur Insurgo resurgo: et cetera que quisque studiosus poterit inuenire.* Cf. Osbernum p. 28 sqq. Videtur autem exstitisse derivationum liber non nimis refertus hariolationibus (e quali fluxerint Papiae excerpta) idemque postea magis magisque auctus esse cum derivationibus insanissimis, tum maxime locis e variis scriptoribus petitis. Eiusmodi uberrima memoria usi sint Osbernus et Ugutio, qui de suo multa addiderint.

[2]) Non indigna sunt quae exscribantur extrema articuli de 'formatis epistolis' verba: 'post haec adiiciendum est quod imperator propria manu subscripserit et proprio signari sigillo iusserit. In fine monogramma est ponendum, in quo nomen imperatoris et imperatoris augusti et dei gratia connexum habeatur uel alia que imperatorem deceant. Signum domini ostonis serenissimi imperatoris. Post haec sic: Henricus cancellarius ureg. uercellensis episcopi recognovi. Factum anno dominicae incarnationis .M. indicione .VI. anno uero eius imperatoris regni .XII. Actum romae feliciter'.

taminati sunt complurium glossarum ordines. Praeterea cum liberrime mutare, pessime intellegere, corruptelas cum propagare tum augere Papias soleat, exiguus eius glossarum usus est. Quare raro illum adscivimus, ibi maxime ubi lacunosum est Salomonis glossarium, atque rarius etiam id facturi essemus, si plura ex ipso libro glossarum excerpta praesto fuissent. Ceterum non sine aliqua ostentatione Papias graeca vocabula frequentissime confert, qua in re persaepe non mediocriter erravit[1]). Quid? quod etiam graecos versus excitat Hesiodi[2]) et Theocriti[3]). Tanta eius doctrina non potuit non imponere posterioris aevi viris 'doctis'. Papiae opus per omnes terras celeberrimum humaniorum litterarum studiis egregie inserviebat[4]) et omnibus, quicumque vocabularia

---

[1]) Velut cf. glossas: *cocistrio tabernarius est graecum* et *egetor* ΗΓΗΤΩΡ *graece hortator et dux* (verum est: *aegeator* : *hortator*, navis nimirum, qui graece est ὁ κελευστής).

[2]) Alter locus est: 'Charite dicuntur graece tres unius nominis ut alii putant. credendum tamen magis est hesiodo qui illas in theogonia [v. 907—911] nominat in haec uerba: τριc δε . . . δακρυουνται'. Legit autem Ἀγλαΐην καὶ (non τε καὶ) v. 909 et εἴβεται (non εἴβετο) v. 910. Pergit: 'Latine sic uerti ipsi uersus possunt:

Trisque Ioui Charitas praestanti corpore nata
Oceano tulit Eurynome. Si nomina quaeris,
Aglaie prima, Euphrosyne Thalieque sequuntur.
Ex oculis pulchrum aspiciunt, intentius harum
Syderei [sydereis] irrorat amor lasciuus ocellis'.

Egregie vertit! Καλλιπαρήουc 'praestanti corpore' esse vult; πολυήρατον εἶδοc ἔχουcα omisit substituitque 'si nomina quaeris'; miselli sunt etiam extremi duo versus, ubi *intentius* illud unde tandem natum sit non assequor. Alter locus brevior hic est: 'Hymnos carmen in laude dei, υμνω hymno est laudo; unde hesiodus librum cui εργα καιημεραι ita coepit: μουcαι πιεριητεν αοιδηcι κλειουcαι δευτε δι ενεπετε cφετερον πατερ υμνειουcαι'.

[3]) Theocritus quoque bis excitatur: 'Acanthylis secundum aliquos; sed melius est acanthis. Avis est vepribus et carduis pasci assueta, dicta απο του ακανδου, quae graece est spina, de qua Theocritus in primo idylio sic habet: αμφι δεπαc περιπεπταται υγροc ακανθοc'. Et: 'Battus gemma. proprium pastoris, cuius meminit Theocritus in quinto Idylio: Ιπε μοὶ ωΚορυδων'.

[4]) Quo modo usi sint Papiae lexico e codicis Ambrosiani C 90 membr. saec. IX adnotationibus marginalibus disci potest. Ibi enim

vel glossaria condere volebant, inexhaustus erat thesaurus. Velut ex Papia maximam partem derivatum est Vincentii Bellovacensis in speculo doctrinali[1]) glossarium. Continetur autem libri secundi capitibus 46—79. Post locum uberiorem ex 'Alphorabio in lib. de divisione scientiarum' excerptum 'auctoris' verba secuntur haec: 'Actor. Nota, quod Alphorabius hic sub scientia lingue grammaticam comprehendit. Superius autem in libro de ortu scientiarum dicit, quod scientia lingue grammaticam precedit: itaque quod ad lingue scientiam attinet, longum utique nimis esset, immo opus imbecillitatis nostre viribus penitus impossibile, vocabulorum omnium in omnibus linguis origines atque significationes exponere. Paucorum vero, que frequenter in scripturis incidunt nec satis omnibus nota sunt, tam ex papie quam aliorum libris significationes, plerumque etiam et origines studuimus excerpere operique presenti inserere: precipue vero latinorum atque grecorum. Habent enim hebraica per se volumen suum, illa quidem que in sacra scriptura continentur. De ceteris ergo iuxta ordinem alphabeti pauca breviter (vertente folio) prosequamur'. Incipit glossarium: 'abauus: pater aui abiegna: ligna abietis abietarius: lignarius', explicit 'zona: oculus vel cinctorium zoi ·i· vita zotica virtus ·i· vitalis in corde consistens que facit vitam membris et corpori'. Sequitur Speculi 'Liber tercius'.

Glossas Vincentius collegit circiter 3030, quas paene omnes e Papia sumpsit, ut tamen multa in Papia impresso aliter comparata exstent. Qualia quidem discrimina ad ipsum Vincentium plerumque redire videntur. Satis enim

---

hic illic vocabulis rarioribus, quae parum intellegebat qui legebat, Papiae explicationes adiectae sunt, velut ad 'aporia': 'aporia: graece anxia aerumnatio cordis: pap̄.' et ad 'usquequaque': 'usque quaque: per omnia, nimis, ex toto, omni modo: pap̄.' V. Curtium Wachsmuth 'Zu Seneca's Briefwechsel mit dem Apostel Paulus' in Mus. Rhenani t. XVI (a. 1861) p. 303.

[1]) Exemplo usus sum Ienensi, quod 'in regia imperialique ciuitate Nurembergk expensis . . . et solertiis spectabilis viri Anthonii Kobergers inibi ciuis et incole his ereis figuris effigiatum: castigatum: emendatum ac faustissime perornatum fuit Anno a natali Christiano ·M·CCCCLXXXVI· kl's. XVII. aprilis'.

libere materiam quam Papiae debebat mutavit. Velut cf. haec exempla:

Vincentius:	Papias:
Furcifer qui ob leve delictum furcam circa via ferre cogebatur confitens peccatum suum, magis ad hominum ignominiam et aliorum terrorem quam ad supplicium	Furcifer olim dicebatur qui ob leue peccatum cogebatur ignominiae magis quam suplicii causa furcam circa uiam ferre, praedicans peccatum suum ceterosque terrendo
Flagella summitates vitium et arborum, quod flatu agitantur	Flagella uerbera proprie uirgarum sunt dicta, quia cum flatu et strepitu in corpore sonant. a flagra per diminutionem flagella dicuntur summae arboris partes: quia crebros uentorum sustinent flatus

Scriptores excitantur paucissimi. Unum habes in glossa 'Scitropodes secundum quosdam furni portatiles; sed dicit Radulphus super Levitiicum quod sunt vasa fictilia pedes habentia, in quibus cibi portantur'.

Centum fere post Papiam annis nata sunt uberrima duo corpora, ab Osberno et Ugutione conlecta, eademque inter se simillima. Redeunt ea quoque aliqua ex parte ad librum glossarum, sed quae praeterea e plurimis aliis scriptoribus illuc fluxerunt, ea multo maior est collectaneorum pars. Atque Osberni Panormiam quidem a Maio editam paulo accuratius describemus: Ugutionis libri ἀνεκδότου non novi nisi excerpta et ea quae posteriores, velut Iohannes de Ianua, inde hausta referunt. Uterque autem liber non glossarium exhibet quod proprie dicimus, sed derivationes easque saepe numero audacissimas, perversissimas, insanissimas, quales tamen ἐτυμολογίαι adeo placuerunt, ut fidelissime putarent describendas, excerpendas, ampliandas.

I) Angelus Maius Classicorum auctorum tomo VIII a. 1836 Romae edidit 'Thesaurum novum Latinitatis, sive lexicon vetus e membranis nunc primum erutum', cuius titulus ab ipso demum editore confectus est, cum in codice unde evulgavit librum — Reginensem esse 1392 membr. s. XIII Wilmannsius l. s. s. ostendit —, nihil eius modi exstet.

Marbodo autem, qui a. 1123 mortuus est, vetustiorem anonymum esse non posse Maius ostendit praefationis p. VII consentitque Lachmannus ad Lucretium II, 662 p. 113: 'grammaticus saeculi duodecimi'. Scriptorem esse Osbernum monachum Glocestrensem librique titulum 'Panormia'[1]) demonstravit Guilelmus Meyer in Musei Rhenani t. XXIX (a. 1874) p. 179 sq., Doceni adnotatione codici cuidam Monacensi inscripta duce. Floruit ille Osbernus medio fere saeculo duodecimo. Codices Panormiae frequentissimi videntur esse, pauci tamen inter se pares, cum omissis prologo, praefationibus, repetitionibus, ipsis ex parte derivationibus magis magisque in brevius contraheretur simulque ad severiorem litterarum ordinem redigeretur. Mai ille Reginensis omnium librorum hucusque cognitorum plenissimus est. Meyerus l. s. s. hosce codices indicavit:

1) cod. lat. Monacensis 17154 m. 8⁰ s. XII 164 foliorum. Desunt prologi praeter primum itemque repetitiones omnes;
2) cod. lat. Monacensis 14584 m. 4⁰ s. XIII 163 foliorum. Eadem desunt, sed prologo glossae additae sunt, quibus Monac. 17154 caret;
3) cod. Vindobonensis 1312 2⁰ s. XIV f. 81—162;
4) cod. Altenburgensis (Austriae inferioris) 188 4⁰ s. XIII f. 1—87.

Addi possunt:

1) codex Erfurtensis[2]) bibliothecae Amplonianae sic signatus: 'Bibliotheca Amploniana. Libri manu scripti in Fol. No. 43', membr. saec. XIV (ineunte ut videtur) a variis manibus bipertitis paginis scriptus, 2⁰ min. 43 foliorum est. Desunt repetitiones omnes et ABCDEFGHIL litterarum prologi. Incipit f. 1^ra: 'Deriuaciones dictorum secundum ordinem alphabeti. Iste liber //////////////b.? na. Amo ... [p. 6 Mai]'. Explicit 'de una uncia in aliam [p. 616 Mai]'. Hic illic supra

[1]) 'Pannomiam vel pannormiam Ivonis venerabilis Carnotensis episcopi' habes in codice Bernensi 422 s. XII. Osbernus post Ivonem floruit.

[2]) Codicem primus commemoravit et nonnullas inde scripturas protulit Oehlerus l. s. s. p. 250—256.

ich mînen
scriptae sunt glossulae vernaculae, velut f. 1^{r}a: Amo ....
ig engin ak zuingi — cleidi — scerpen
Arceo ...., f. 1^{r}b: Amicio ... Acuo ... Codex quamquam breviatus est, si cum Reginensi contuleris, plane tamen docet ne hunc quidem lacunis maioribus minoribusve carere, quales 108 fere Amploniani ope expleri possunt. Velut p. 336 propter ὁμοιοτέλευτον quod est *item a modo* haec interciderunt: 'Modernus .a. um .i. istius temporis et moderor .ris. i. regere. Inde moderator. atus. tio. anter. adv. et hic et haec moderabilis et hoc le moderabiliter .adv. et hoc moderamen .nis. et hoc moderamentum .ti. et moderatim adv. .i. moderanter .moderatus componitur immoderatus. immoderanter adv. et hec moderantia. Item a modo modulor' cet.

2) Caspar Barthius Adversariorum commentariorum libri XXVIII capite XIX (p. 1341—1343) fragmentum 144 fere glossarum ad unam *I* litteram spectantium edidit, quod olim 'ex manibus librorum conglutinatoris Londini extorserat'. His glossis non raro usus est O. Muellerus ad Paullum, ex ipso Festo eas fluxisse ratus[1]). Est potius Panormiae fragmentum; nam e 144 illis glossis 139 exstant in *I* litterae repetitionibus p. 291—295, quamvis prorsus alio atque apud Maium ordine. Maianas enim glossas si sic numeraveris: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 ..., Barthianarum ordo evadet talis: 1. 2. 4. 6. 3. 5. 7—16. 20. 17. Itaque alius atque Vaticanus recensionis pars esse videtur.

3) Alterum quod exstat fragmentum item ad breviatam vel omnino immutatam Panormiam spectat. Editum est a Conrado Hofmann in academiae Monacensis actis a. 1870 II p. 197—200 'Fragmente eines lateinischen Glossars', quae quidem folia s. XIV scripta sunt.

Panormiae praecedit prologus vocabulis glossematicis[2]) non insignitus, sed obscuratus isque ad Martiani Capellae exemplum confectus. Etiam singulis litteris prologi praemittuntur, ubi 'mater Grammatica' contra invidiosos homi-

---

[1]) Vide ad Paulum p. 106, 10: 'ex Festo fluxerunt, quae habet glossarium apud C. Barthium: *indigetes dii, quorum nomina non audebant proferre*'. Cf. Osbernum p. 294a.

[2]) Eis interpretamenta addita sunt.

nes loqui et eius litterae, cuius derivationes propositura est, sonum 'Marciano suo' duce describere solet. Post derivationes 'repetitiones' adduntur, quibus tamen haud pauca continentur antea non commemorata, velut glossae permultae, novi scriptorum loci, synonymorum undique congestorum farrago. Neque tamen neglegenda sunt quae re vera 'repetuntur': etenim saepe plena et integra ibi sunt, quae supra librariorum culpa corrupta exstabant. Velut p. 24 habes: 'Sciendum autem, quod aula dicitur aliquando pro scrinio, in quo res reponuntur; unde Plautus in Aularia eandem comoediam, in qua hoc scripsit, Aulariam vocavit eo quod in ea de aula ... faciat mentionem', in repetitionibus contra p. 48b: 'Aula dicitur pro regia domo et pro scrinio in quo res ponitur. Plautus: quadrilibrem aulam auro honustam ego habeo. Unde et comedia, in qua hoc scripsit, dicitur Aularia'. Hinc vides p. 24 post 'unde Plautus in Aularia' versum excidisse infra servatum. Comprobat codex Amplonianus haec exhibens: 'aula aliquando dicitur pro scrinio, in quo res reponuntur; unde Plautus in Aulularia: quadrilibrem aulam auro honustam ego habeo. Unde etiam idem Plautus eandem comoediam, in qua scripsit hoc, Aululariam vocavit'.

Glossematici Osberni — vel potius illius quem exscripsit — fontes sunt Pauli Festus, Isidorus, glossae cum e 'libro glossarum' derivatae, tum aliae, ut videtur. Praeterea excitantur 116 fere scriptorum 1400 fere loci, velut Horatii 125, Iuvenalis 130, Ovidii 130, Persii 146, Plauti (cuius non usus est nisi octo fabulis prioribus) 276, si fides habenda est Mai indicibus, quos tamen non accurate confectos esse exploravimus. Scriptorum verba raro ille intellexit et liberrime immutavit transponendo, addendo, corrumpendo, ut pusillus sit eorum in crisi factitanda usus.

II) Simillimus Panormiae est Ugutionis (scribitur etiam Ugucio, Huguc(t)io, Hugwic(t)io) Pisani, episcopi Ferrariensis, 'liber derivationum' a. fere 1192 confectus, multo tamen celebrior frequentiusque descriptus et excerptus quam Osberni opus. De tempore constat e chronico Nonantulano ms., cuius verba e Du Cangii praefatione petii: 'per haec

tempora [a. fere 1192] Agno Ugutio natione Pisanus, episcopus Ferrariensis, qui datus a sede apostolica coadiutor abbati monasterii Nonantulani, prodigo homini, ex libro Papiae qui illic est librum derivationum composuit'. De auctore et scriptore in praefatione haec habes: 'si quis quaerat, operis huius quis actor [h. e. auctor, ex illius temporis usu] fuerit, dicendum est: Deus. Si quaerat, quod operis huius fuerit instrumentum, respondendum est quod patria Pisanus, nomine Hugutio'[1]). Liber nondum editus est: codices ms. non rari esse videntur. De Papia, quem chronici scriptor principalem Ugutionis fontem esse vult, admodum dubito, cum quae mihi inde innotuerunt Panormiae potius simillima sint. Fortasse 'Papias' illo loco significat 'quidam Papias', hoc est glossarium grande in Papiani modum compositum. Cf. chronici Augustani de Henrico abbate ss. Udalrici et Afrae verba: 'Salomonis Constantiensis episcopi dictionarium magnum, quem Papiam appellant, scribi fecit'.

Ut autem appareat, quam similes sint Osberni nugae Ugutionis hariolationibus e codice Bernensi 276 fol. saec. XIII, quo etiam Papias continetur, omnia quae ab *aula* voce derivantur exscribam eisque Osberniana iuxta apponam.

Ugutio p. 3a:

Haec *aula* ·*e*· domus regia. unde haec *aulula* ·*e*· dicitur et *aulicus* ·*a*· *um* et *aularius* ·*a*· *um* ·i· palatinus ·q. aule custos qui assidue est in aula cum principe. et hoc *auleum* ·*ei*· ·i· cortina, quod in aula Athali regis Pergameorum primo sint inuenta, vel ideo quod in aula extendi solet. et hic haec *aularis. re* et *aulefus* ·*a*· *um* ·ī · e · ſſ˜ · ſ. *aulicus* ·*a*· *um* et *auleus* ·*a*· *um* ·i· regalis. Item aula componitur *proaula* ·*e*· locus ante aulam,

Osbernus p. 23 sq.:

Aula, ae ·i· domus regia; inde haec *aulula, ae,* dimin. et *aulicus, a, um* et *aulanus, a, um* ·i· palatinus, sicut a monte montanus, et a praedio praedianus, et hoc *aulaeum, ei* ·i· cortina; unde Claudius Claudianus: pars aulaea tenent altis praetexere ramis:

et hic et haec *aularis* et hoc *aulare.*

---

[1]) Nescio num notum sit Ugutionem etiam 'librum de accentu' scripsisse. Hoc quoque usus est Ioannes de Ianua.

unde in passione beati Thomae apl'i proaulam ·f· disponam. Item aula dicitur quandoque scrinium in quo res ponuntur. unde Plautus in Aularia . quadribilem aulam auro honustam ego habeo . unde etiam idem eamdem comoediam in qua haec dixit Aulariam uel Aulariam ·q. aulariam uocauit eo quod in ea [ea *lineola deletum est et* eo *supra scriptum*] mentionem de aula ·i· de quadam capsella auro plena faciat. Item *aule* . grece . latine dicitur cannula vel tibia, unde hic *aules*, *lis* et hic *auledus.* qui cum cannula cantat in choro, sive tibicen; et componitur hic *coraules*, *lis*, ille qui cum cannula cantat in choro . et inde *aule* pluraliter dicuntur fistulae organorum per quas elicitur melodia . unde *aulidus ·a· um* ·i· dulcis ad instar soni organi. unde Marcianus Capella [Capella *add. m. post. intra versum*] aulide quod dulcedine cantus intonuit . et componitur cum ydor quod est aqua et fit haec *ydraula* . *le* sonus organi vel quoddam genus organorum . unde Marcianus . nec ydraularum deerat organica plenitudo . et inde *ydraulicus ·a· um*, ut ydraulicus sonus ·i· dulcis vel sonus ydraularum. Item aula componitur cum ·ad· et dicitur *adulor* . *aris*, verbum deponens ·i· assentiendo blandiri quod solent facere maxime aulici . vel est compositum ex ·a· et dulos quod est servitus . quod servorum sit adulari . unde vocabula *.tor . trix . cio.* et *adulatorius ·a· um* ‘verba adula-

Sciendum autem quod aula dicitur aliquando pro scrinio, in quo res reponuntur; unde Plautus in Aularia: quadrilibrem aulam auro honustam ego habeo. unde etiam idem Plautus eamdem comoediam, in qua hoc scripsit, Aulariam vocavit eo quod in ea de aula ·i· de quadam capsella auro plena faciat mentionem.

Aulae quoque plurali numero dicuntur fistulae organorum, per quas elicitur melodia; et inde *aulidus, a, um* ·i· dulcis ad instar soni organici; unde Marcianus Capella: aulidaeque dulcedinis cantus intonuit. et componitur haec *hydraula, ae* ·i· sonus organi; vel ut alii volunt, quoddam genus organorum; unde Marcianus: nec hydraularum organica deerat plenitudo; et inde *hydraulicus, a, um.*

Osbernus p. 37:

Adulor, aris, atus sum verbum deponens;

inde hic *adulator, oris*;

toria' ·i· plena adulatione. Ab 'adulator' hic *adulatorculus* ·i· parvus adulator. Et ab 'adulor' hic '*adulter, teri*' unde hec *adultera* . *tere*. et quandoque ponitur adiectivum *adulter* ·*a*· *um* ·q. alienum violans thorum. vel alienum uterum tenens vel terens. Vel adulter quasi alterius uxorem tenens vel ad alterius uxorem accedens. [χ] ȝ ethīa n̄ ꝯpō . unde *adulterinus* ·*a*· *um* qui natus est de adulterio et hoc *adulterium* illa prava actio siue illusio alieni coniugii. Et est adulterium in nupta, stuprum in uirgine uel in uidua, in parente incestus [*confusa hoc loco restituit Usen.*]. et *adultero* . *as* verbum neutrum [neutrum *ut vid.*], unde *adulterasco* . *cis* verbum inchoativum et *adulteror* . *aris* verbum deponens ·i· adulterium committere, unde .*tor* . *trix* . *cio*. et *adulteratorius* ·*a*· *um* et ponitur quandoque pro corrumpere et ad malum uertere uel uenire.

unde hic *adulatorculus*, *li* ·i· paruus adulator, et *adulatorius*, *a*, *um* et haec *adulatio*, *is* et hic *adulter*, *ri*; unde haec *adultera*, *rae*;

unde *adulterinus* ·*a*· *um*,

et haec *adulteratio*, *nis*.

Quae qui accurate inter se comparaverit, is Osbernum Ugutionis librum excerpsisse et parvula quaedam de suo adiecisse facile crediderit. At hanc rei rationem non esse vel inde apparet, quod Osbernus a. fere 1150 floruisse, Ugutio autem librum derivationum a. fere 1192 composuisse dicitur. Iam cum Ugutionem Osberno sua non debere supra excerpta luculenter demonstrent, utrumque cum eodem fonte usum esse tum ab ipsis collecta addidisse censuerim. Sed totum caput quod est de posterioris medii aevi 'derivationum' libris et libellis tam est intricatum, ut accuratiora proferre huius loci esse nequeat. Accedit quod dici non potest quam pauca inde ad nostra studia augenda et sublevanda redundent.

Ex Papia et Ugutione Iohannes Balbus de Ianua (Genua), ordinis fratrum praedicatorum, 'Summam seu Catholicon' concinnavit, 'ex multis et diversis doctorum texturis elaboratum atque contextum et per multa annorum curricula in millesimo ducentesimo octuagesimo sexto anno domini nonis martii ad finem usque perductum'[1]). De nomine libri scriptor haec dicit: '... liber iste vocetur catholicon, eo quod sit communis et universalis ... hic de facili invenitur, unde dictiones formentur et deriventur, quomodo scribantur et proferantur, qualiter exponantur et ethimologizentur et construantur. Invenies etiam hic multas utiles questiones naturales theologicas motas et declaratas'. Quinque sunt libri partes, quarum quattuor prioribus continentur prosodiaca, orthographica, etymologica, grammatica, rhetorica, id genus similia: quintam Iohannes 'de orthographia, prosodia, origine et significatione quarundam dictionum, que sepe inveniuntur in biblia et dictis sanctorum et etiam poetarum, secundum ordinem alphabeti ordinate subiunxit'. De fontibus narrat: 'libellum ... hunc ad honorem dei et gloriosae virginis marie et beati dominici patris nostri et omnium sanctorum electorum necnon ad utilitatem meam et ecclesie sancte dei ex diversis maiorum meorum dictis multo labore et diligenti studio compilavi. Operis quippe ac studii mei est et fuit multos libros legere, ut ex plurimis diversos carperem flores'. Praeter Papiam et Ugutionem (huius opiniones saepe refutare studet) permultis sane scriptoribus usus est in eisque non nimis vulgaribus, velut 'Servio in commento quod scribit in Donatum' 'Prisciano in tractatu praepositionum' 'Apuleio', h. e. illo qui de nota aspirationis scripsit (velut p. 113 sq. ed. Osann.). Hic illic vulgarem loquendi usum commemorat[2]).

Derivationibus, quales apud Osbernum habes, persimiles sunt illae quae Lipsiensi quadam membrana continentur.

---

[1]) Haec in fine libri exstant.

[2]) Velut hoc modo: '... unde superabdicativa dicitur negatio que additur negationi et nichil cooperatur plusquam precedens; ut in vulgari solet dici: ego non habeo nichil, quod non plus valet quam si diceretur: ego nichil habeo'.

Codicis bibliothecae senatoriae C [Rep. II 8. 154] folia 5—28^v saec. XIV scripta derivationum exhibent duo collectanea, quorum prior pars inde a f. 5^r usque ad folii 12^r primum versum pertinens de voce, litteris, syllabis, pedibus versuum, synonymorum differentiis, maxime autem (f. 8^r usque ad finem) de corporis partibus (hae Isidoro Originum XI, 1 duce derivantur) tractat. Derivationum nomen multo magis aptum est ad illa, quae inde a f. 12^ra usque ad f. 28^v pertinent. Eis inscriptum est: 'Incipiunt̃ deriuaciones optime. | Sic dic̃ primo de anima'. Incipit: 'anima est prime posicionis. et componitur exanimis. semianimis. et secundum quosdam compositum est anima ex a quod est sine . et mene quod interpretatur sanguis et dicitur anima sine sanguine', explicit f. 28^v: 'et misericordiosus .a. um et misericorditer aduerbium . misericors . componitur inmisericors. Item a miseret misereor'. Simillima haec esse Osbernianis ex eis apparet, quae subiecimus:

cod. Lipsiensis f. 12^r:	Osbernus p. 6:
Amo . as . ui . tum . tu . uerbum activum inde uerbalia . hic et hec amabilis et hoc amabile . lior . simus. Item ab amo amasco . scis . amasius . sia et amicus .ca .cum amicor . cissimus a quo amicicia . tie . et inimicor inimicaris. Item ab amo per adiectionem hic [hic *ut vid.*] amor .ris. a quo amorosus .sa .sum. Et componitur amo adamo deamo.	Amo amas amaui amatum verbum actiuum . inde amator ... amans ... amatus ... et hic et haec amabilis et hoc amabile ... et hic amasius .ii. i. ille qui immoderate amat ... item ab amo amicus . a . um ... quod comparatur amicior amicissimus ... et haec amicitia .ae. ... et inimicor . inimicaris. Item ab amo hic amor . huius amoris . unde amorosus .a. um ... et amasco . cis ... i. amare incipio ... amo componitur adamo .as. ... deamo .as.

A litterae lemmatum ordo sic currit: 'anima. hec auris. alius. amo. ago. aueo. ardeo arceo. areo. alo. audeo. augeo. albeo. annus. hec auis. hic anus. hec ales. aduersus. amplus. acuo. aptus. arguo. ater. arbor. aro. amarus. algeo. austerus' cet. E scriptorum locis, quales non adeo multi excitantur (f. 15^r 'Ouidius in VI'; f. 19^r 'ita Priscianus asserit'; f. 21^v 'Terentius ineutont̃'), non pauci apud Osbernum desunt. Hic illic

vulgares voces (velut *grangia* et *gleto*) proferuntur in hunc modum: 'quod uulgus uocatur'.

Ex Papia, Hugutione, Britone, aliis fontibus collectum est pergrande glossarium codicis Lipsiensis CI ['Rep. II fol. 22'] saec. XIV exeunte scripti foliorum 328 [1]). Glossarium non latinoteutonicum est, ut Naumannus in catalogo dicit, sed potius lexicon mere latinum, cui multa adiecta sunt [2]) vocabula germanica. Velut sic f. 106^{r}b: 'cuna ·e· wiege ·i· loculus in quo iacent pueri, quod etiam crependium dicitur et dicitur a cyne grece'. Non paucis glossis nullum omnino interpretamentum germanicum adscriptum est. Principalium fontium mentio fit velut f. 233^{r}b: 'pepo onis pedeme: idem est quod melo onis dicit Hugo, Isidorus et Papias. Brito autem dicit: credo quod est herba quedam frigidissime nature et difficilis digestioni . . .' Praeterea excitantur Alanus (f. 135^{r}a), magister Bernhardus medicus (f. 173^{r}b), Hugo de sancto victore (f. 48^{r}b), Richardus de sancto victore (ibidem), alii multi. Interpretamenta vernacula non nulla exscribam: 'plaster. maledien. missedaet. argwillickeit. smeden. intbieden. *mango*: rostuscher, vnderkeuffer *vel* mitteler. vffenberlich. senfftmudeckeit. *mantica*: maele *vel* waetsack' [3]). In-

---

1) *A* litterae folii primi nihil restat nisi marginis interioris parvula pars. Incipit: 'puluere supposito que alio nomine pynax dicitur', explicit f. 327^{r}b: 'zucarum ri idem'. Subscriptum habes versiculum: 'sit tibi laus, christe, quoniam liber explicit iste'.

2) Postea demum talia addita esse demonstrant huiusce modi glossae velut f. 47^{v}b: 'arrigo .as .. are . aui . benetzen. .i. ualde uel iuxta rigare .i. humectare'.

3) Post grande hoc glossarium adiectum est minusculum latinogermanicum f. 327^{v}a — 328^{v}a med. Incipit: 'arra re: truweschafft arrare: truwen mediante aliqua re arrabonis: ·i· arra bona arrestare: bekummeren', explicit: 'vendicare: buten vendicacio: butunge viagium: bedevart'. Subscriptus est versus: 'Finito libro sit laus et gloria xpo'. Cuius glossarioli lemmata ad rem iudiciariam maximam partem spectant et infimae quae vocatur latinitatis propria sunt. Cf.: 'arrendare . allodium . castrenpheodus . conciuilitas . deuentagium . emologizare . emphiteotarius . exactionare . guarandia . gageria . manburnitas . perlamentum . subteruadiare . treugarius' similia. Descripsi integrum glossarium.

gentis voluminis glossarium qui factum sit ut in tantam molem cresceret non difficile est dictu. Unaquaeque enim glossa e Pauli epitoma sive e libro glossarum per Ugutionis vel Papiae rivulos illuc ducta novarum glossarum largam procreavit segetem. Sic quae olim e Festo excerpserat Paulus p. 32, 1: 'Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari. Lucilius: *haec* inquit *te imbubinat, at contra te imbulbitat.* Imbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant βόλβιτον', ea in codice Lipsiensi sic multiplicata exstant:

f. 68^{r}a: Bubino as are, proquo alii dicunt bulbino as, vide infra.

f. 68^{v}b: Bulbino .as. are. sanguinem puerorum inquinare et sunt actiua, dicit Hugo. Et quandoque ponuntur passiue, ut 'hic bulbinat' uel 'bulbitat' ·i· tali sanguine inquinatur. Unde bubinacio . onis. i. sanguinis menstrui inquinacio
Bulbitacio . onis . sanguinis puerilis inquinacio
Bulbinarium .ii. sanguis mulieris menstruose
Bulbinacium .ii. in eodem sensu dicitur[1])
Bulbinatus .a. um. sanguine menstruo maculatus
Bulbitatus .a. um. sanguine puerili inquinatus.

En habes scholiorum Lucilianorum post tredecim fere saecula fata.

Ab Hugutione pendent etiam duo folia membr. bibliothecae gymnasii Francofurtensis ad Moenum saec. XV scripta. Columnarum quae vocantur divisio nulla, sed continua per integras paginas scriptura. Lemmata non diverso colore, sed lineola eodem quo reliqua scripta sunt atramento picta insigniuntur. Folia a libri integumentis soluta dici nequit quam male habita sint. Alterius folii glossae inde a *dig-* usque ad *dir-*, alterius autem inde a *susp-* usque ad *talm-* pertinent. Derivationum indoles Osberni Panormiae simillima est, nisi quod scriptores rarissime excitantur, quo in numero bis speculi cuiusdam (num Vincentii Bellovacensis

[1]) Hae duae de *bubinario* glossae ad Placidum p. 13, 2 D. redeunt.

historici?) scriptor[1]) et semel Hugutio[2]). Locus inde excerptus hic est:

Tabeo bes bui est putrere, pigrere, deficere, confluere [con *litterae incertae sunt*], a quo contabeo, extabeo, intabeo: omnia neutra et carent supino . inde tabesco scis, unde contabesco, extabesco, intabesco.

Eiusdem bibliothecae duo alia folia item derivationes continent. Sunt autem membranea bipertitis paginis s. XV scripta, singularum derivationum litteris initialibus rubris, compendiis scripturae permultis. Pars continua est *S* et *T* litterarum. Incipit: 'quasi sedium uel solidum. Solum est quod omne quod continet'. Secuntur lemmata: 'solempnis. sollicito. sopio. soporo. sorbitio. sors. sortior. sospes. spatula. specula. seculum [sic!]. spelunca. spera. spes. spica. spira. spondeo. sponte. sporta. spurcicia. squama. stacte. stadium. stamen. stannum. stater. statera. statio.' cet., unde severum litterarum ordinem esse apparet. Explicit f. 2^{v}b: 'et dicitur a thure. Thus est nomen arboris'. Derivationum materia petita est cum ex Isidoro (f. 1^{v}a: strutio greco nomine . . . fetu pulveris animatur . ita dicit ysidorus) et Papia (f. 2^{r}a: suillus .a. um id est porcinus a sue dicitur. Item secundum papiam suilli sunt porci marini, sic dicti quod dum escam quaerunt in ore [*scr.* more] suis terta [*scr,* terram] sub aquis fodunt), tum maxime ex Ugutione (f. 1^{v}a: 'stipulatio . . . dicitur a stipulus .a. um, quod est ferrum; ita dicit hug̅' et f. 2^{v}b: '. . . tuor eris uitus sum . dicitur inspicere et ponitur etiam pro defendere, sed raro invenitur dicit hug̅'). Praeterea commemorantur Horatius (f. 1^{r}a: 'spes . ei . inuenitur in plurali, utputa in epistolis oratii . spes uibet et tatas etc̀'), Alexandri Doctrinale (f. 1^{r}a: 'et tatas etc. sed doctrinale negat [neqgat *cod.*]'), Priscianus (f. 2^{v}b: 'sed raro invenitur, dicit hug̅; sed secundum priscianum idem significant').

Ex Papia, Ugutione, Britone, Alano, aliis hausti sunt

---

[1]) f. 1^v: 'Dyonisius: tyrannus, de quo in speculo'; ibidem: 'Dyonides, de quo in speculo: archipirata quidam fuit'.

[2]) f. 2^r v. *taberna*: 'secundum hug°ʒ' = 'secundum Hugutionem'.

etiam vocabularii, quorum larga copia typis impressa quidem est, sed sub ipsa tantum typographicae artis initia. Postea enim in eorum locum cesserunt Iuniani Maii Parthenopei[1]) de priscorum proprietate verborum collectanea, Nestoris Dionysii Novariensis[2]), Ambrosii Calepini, aliorum libri, ubi glossarum non iam ratio habetur, sed purorum incorruptorumque fontium — ipsorum antiquitatis scriptorum. Medium inter tales libros prorsus novicios et medii aevi glossaria locum vocabularii non nulli tenent, quo ex numero unum affero Breviloquum qui vocatur. Etenim quamquam ibi quoque permulti scriptores excitantur[3]), fundamentum tamen ut ita dicam totius materiae glossaria sunt: Papias nempe, Brito, Alanus, id quod auctor[4]) 'vocabularii breviloqui tri-

---

[1]) Utitur Varrone, Festo, Nonio, Gellio, Donato, Prisciano, Fulgentio, Laurentio Valla, aliis, glossis autem nullis. Praesto mihi fuit Veneta a. 1485 editio.

[2]) Ibi hic illic Ugutionis mentio fit: ceteroqui glossarum nec vola nec vestigium.

[3]) Velut Avianus, Vergilius, Iuvenalis, Lucanus, Plinius Secundus, Macrobius, Persius, Ovidius, Prudentius, Claudianus, Priscianus, Homerus Cato Macer personati, Boetius, Martialis, alii.

[4]) Est autem Capnio sive Reuchlinus. Liceat exscribere verba, quae in exemplo bibliothecae Gottingensis 'Colonie Anno dñi MccccLxxxvi' impresso inscripta repperi folio quod ipsi libri titulo praecedit verso: 'Commendatio Philippi Melanchtonis reuerendissimi praeceptoris nostri super breuiloquium uocabularium. Et his uerbis sequentibus sic dicit. Eo tempore et fratres Amorbachii officinam typographicam instituerunt. Qui cum desiderari uiderent latinum ὀνομαστικὸν, Capnio librum collegit cui titulus est breuiloquus, qui tunc, cum nondum meliores libri in hoc genere haberentur, et expetitus est et studiis profuit'. Haec scripsisse videtur 'Meelführer', cuius nomen in libri f. 1r sub titulo exstat. Ceterum verba 'eo tempore' usque ad 'studiis profuit' legi etiam in vita Capnionis a Melchiore Adamo scripta, ubi tamen habes 'qui hinc cum'. Rectissime Philippus 'breviloquus . . . expetitus est': documento sunt frequentissimae eius editiones. Ipse inspexi bibliothecae Gottingensis hasce: 'Basileę. Anno dñi. ⅿ.CCCC.LXXX.' 'Basileę. Anno domini M.CCCC.LXXXI.' 'Basileę Anno Domini MCCCCLXXXII'. 'Basileę p Nicolaum Kesler Anno dñi. ⅿ.CCCC.LXXXVI'. 'Colonie Anno dñi MccccLxxxvi'. 'Argentine Anno domini MCCCCXCV Finitus altera die post festum Bartholomei apostoli'. 'Argentine Anno dñi ⅿ.vc.j. [h. e. 1501] Finitus altera die post Bartholomei'.

plici alphabeto[1]) diversis ex autoribus necnon corpore utriusque iuris collecti ad latinum sermonem capessendum utilissimi'[2]) in praefatione ipse indicat his verbis: '... Licet vero Isidorus, Papias, Brito et Alanus aliique quamplurimi magistri satis de his tractaverunt, a quibus etiam hoc opus receptum est, attamen ob causam prefatam hoc opus presens aggrediar.' De aliis, velut vocabulariis rerum[3]), vocabulario ex quo[4]), gemmis, id genus similibus nihil nunc addere iuvat: qualia ibi exstent quamque plerumque futtilia, ficticia, novicia, perversa, corrupta, omnino ad has nostras quaestiones inutilia facillime e Laurentii Diefenbach libris supra p. 22 excitatis intellegi potest. Qua de re ne quis verba nostra falso interpretetur, diserte dicimus glossaria Diefenbachiana medii aevi latinitatis et nostrae linguae studiis egregie inservire neque eis quemquam qui in haec inquirat carere posse: at ad augendam integrae latinitatis scientiam et glossaria bonae notae cognoscenda nihil ut iam diximus inde redundat.

---

[1]) Agitur enim primum de nominibus, deinde de 'verbis ceterisque declinabilibus partibus', denique de 'partibus indeclinabilibus, aduerbiis videlicet, prepositionibus, coniunctionibus et interiectionibus'. Hinc apparet breviloquum fuisse quoddam 'vocabularium vetus', quo Matthaeus Martinius in lexico philologico saepissime utitur. Namque inter Catholicon et hoc vocabularium, quod 'nactus erat ab amico viro, capite et calce mutilum antiquo monastico charactere excusum', illud discrimen intercedere ait Martinius, quod 'in operis primo volumine exponantur nomina, secundo verba, tertio partes indeclinabiles'.

[2]) Sic subscribi solet.

[3]) Velut in illo, cuius exemplum Gottingae vidi, tractatur 'de homine et de diuersis membris in eo existentibus' 'de homine et de diuersis conditionibus' 'de consanguinibus et affinibus' 'de panno et de his que requiruntur ad factionem panni', sim. Lemmatis adduntur interpretamenta vernacula. In fine habes versum: 'Laus deo pax uiuis requies eterna sepultis', de tempore vero vel loco nihil. Sed subscripsit rubricator: 'Editū p venerabiles ac Eggregios Doctores et magistros vniuersitatis Wien̄ anno etc LXXVt°'.

[4]) Appellatio repetita est a primis praefationis verbis, quae velut in codice Vindobonensi 5167 sic currunt: 'Ex quo vocabularii varii et autentici videlicet Hugwicio katholicon preuilogus ...' Ceterum Vindobonense illud glossarium a. 1428 ad finem usque perductum est.

CAPUT II.

De glossis Plautinis Lucilianisque.

§ 1.

De glossis Plautinis.

In Placidi glossario multas inesse glossas ad certos Plauti versus spectantes Ritschelii, Kochii, aliorum observationibus constat. At in reliquis quoque anonymorum glossariis tam egregiae doctrinae vestigia deprehendimus. Quae scholiorum Plautinorum reliquiae summo labore — operosius enim negotium cogitari vix potest — undique collectae[1]) ipse iudicabis num alicuius sint ad emendandos enarrandosve poetae versus usus. Sciendum est autem non omnia nos dare quae repperisse nobis videmur: bibliothecarum thesauris glossematicis tandem aliquando effossis multo plura etiam indagatum iri speramus.

Praemittendas duco eas glossas, ubi ipsa Plauti verba excitantur. Quo in numero frustra quaesiveris ingentem eorum locorum copiam, quibus Osbernus in Panormia usus est. Nihil enim valent, cum vir ille pro ipsius aetatis rationibus satis doctus e nullis nisi prioribus octo comoediis hauserit. Nam quae e Poenulo, Rudente[2]), Milite (hinc

[1]) E Placido nihil fere petivimus, utpote cuius glossae Plautinae maximam partem iam investigatae sint.

[2]) 1. Plautus in Poenulo p. 6: 'Vix aegreque amatorculos' I, 2, 27 — fluxit versus ex Prisciano III, 29 (p. 105, 8 H.)

2. p. 6: 'Nihil homine amico opportuno amicicius' — non Poenuli versus est, sed Epidici III, 3, 44.

3. p. 10: 'Cum ibi alcedo pullos educit suos' I, 2, 143 — praeivit Priscian. VI, 14 (206, 4).

4. p. 13 et 19: 'Incedunt cum anulatis auribus' V, 2, 21 — versus ex Priscian. IIII, 38 (139, 8) petitus.

5. p. 304: 'Si dedero, aere militari tetigero lenunculum' V, 5, 7 — sumpsit ex Priscian. III, 34 (109, 7).

p. 521 = Prisc. V p. 645 P.) afferuntur, ea integra ad Priscianum redeunt. Neque alia ratio est locorum ad deperditas fabulas spectantium, qui omnes e Pauli Festo, Prisciano, Isidoro fluxerunt. Unius tantum fragmenti fontem indagare non potui, quod tamen ab Osberno fictum esse nullo modo crediderim: p. 332 'moveo ... inde ... hic momarsiculus, li ·i· stultus, qui cito movetur ad iram. Unde Plautus: 'quid tu o momarsicule homo praesumis?', coll. repetitionum p. 360a: *momarsiculus: qui cito movetur ad iram*, ubi ut solet Maius scriptoris locum omisit. Hinc haustae sunt 'Isidori' glossae p. 686, 16: *Momar, Siculus, stultus qui cito movetur ad iram. Plautus: 'quid tu o momar Sicule homo praesumis?'* et p. 687, 25: *Marsiculus, qui cito movetur ad iram. Plautus: 'quid ais, homo marsicule?'*. Ad eundem versum patet Pauli glossam p. 140: *Momar Siculi stultum vocant* referendam esse. Ceterum qui exploratum habet, quam impudenter Osbernus scriptorum quos excitat locos immutare, corrumpere, omnino pessumdare soleat, is de emendando fragmento mecum desperabit.

Longe aliter comparati sunt ei loci, qui in probis vetustisque glossariis excitantur. Cuius quidem generis nullos novi, si duos Placidi, quattuor 'libri glossarum', iterum duos 'Philoxeni' exceperis[1]). Placidi autem hi sunt:

---

6. p. 304: 'Ita ut coepi dicere, lenule, de hac pugna' II, 25 — haec debet Prisciano III, 34 (109, 10).
7. p. 334: 'Manuleatam habere tunicam homines addecet' — Pseuduli versus est II, 4, 48 (738) e Prisciano IIII, 38 (139, 12) exscriptus.

1. Plautus in Rudente p. 18: 'vel tu nuda vel ('uel' codex Amplonianus, 'et' Maius) peri algu' II, 7, 24 (582) = Priscian. VI, 46 (235, 5).
2. p. 252: 'Gurguliunculos minutos fabulare credas' V, 2, 38 (1325) = Priscian. III, 34 (108, 12).
3. p. 525: 'Perge via recta (pro 'via' Amplonianus melius 'dic') cum suculis et porcis' IV, 4, 126 (1170) = Priscian. III, 34 (108, 2).
4. p. 529: 'Post altrinsecus est securicula anceps' IV, 4, 114 (1158) = Priscian. III, 30 (105, 19).

[1]) De Isidori glossis v. quae supra p. 50 sqq. exposuimus.

p. 38, 25: Exanclare: exhaurire, a graeco veniens, quod quidem verbum Plautus, saecularis poeta comicus, posuit ita in Sticho [v. 272 sq.]: ‘ne iste edepol vini poculo pauxillulo saepe exanclavit’

p. 57, 21: Ibus: iis, illis. Plautus[1]) in Milite Glorioso [v. 74]: ‘ibus stipendia dinumerem’

E libro glossarum hos expiscatus sum:

Catamitus: quidam vir fuit. Plautus [Men. v. 144]: ‘ubi aquila Catamitum raperet aut ubi Venus Adoneum’

Mai VII p. 554 (*Adonem*); cod. Ambrosianus B 36 inf. (*catamitum quidam*); gloss. Salomonis f. 30ᵛb (*Adonium*); cod. Leidensis 67 D (*ubi ///quila* prim., *ubi* $\overset{plautus}{\underset{a}{////}}$*quila* sec. man.)

Sinus: vas testeum. Plautus [Curc. v. 82]: ‘eine cum vino sinus fertur?’

cod. Palatinus 1773 f. 300ʳ (*$\overset{v}{b}$as .. plauṣtus ei necũ*); cod. Sangallensis 905 p. 922 b (*uastes dm̃ .. ei necũ*).

Viscum: genere masculino Plautus [Bacch. v. 50]: ‘viscùs merus et vera moratio’[2]). viscus quasi similitudo viscerum

cod. Ambrosianus B 36 inf. (*quasimilitudo*); glossarium Salomonis f. 231ᵛa (*generis masculini*). Cf. Papiam: ‘viscus generis masculini Plautus fecit: dictus a similitudine viscerum’.

Rudentem Plautus genere feminino dixit: ‘dum ego tibi hanc quam trahis rudentem complico’ in fabula Rudente

‘libri glossarum’ cod. Ambrosianus B 36 inf. saec. XI glossam inter *rubũ* et *rudentes* lemmata exhibet, ‘de gls’ ut fontis indiculo praefixo. In ipso codice *plaus* (*t* m. 2 supra scripsit) .. *dix̃ dũ ergo .. in famula rudentem* scriptum est. Versus est Rud. 938, quem sic edidit Fleckeisenus: TR. Heus mâne. GR. Quid maneam? TR. Dum hánc tibi quam tráhis rudentem cónplico.

Denique duae inter ‘Philoxeni’ glossas exstant, quibus Plauti nomen additum habes. Earum altera haec est:

[1]) Cf. Mus. Rhen. t. XXXI (a. 1876) p. 65.

[2]) Cum Bacchidum versus talis sit: *viscus merus vostrast blanditia* ... verba illa *viscus merus et vera moratio* aperte interpretamentum invectum exhibent. Nempe in ‘et vera moratio’ latet ‘est vestra oratio’, ita ut ‘oratio’ glossema sit vocis ‘blanditia’.

glos: ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, γάλως, παρὰ Πλαύτῳ p. 103, 2. Paulo infra (p. 103, 6) similem esse vides memoriam: [*glos* lemma intercidit]: ἀδελφὴ γαμετή, ὡς Πλαῦτος. E glossariis mere latinis quod huc spectet nihil mihi praesto est. Contra alterius loci, qui est p. 11, 32 *acceres*: ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος, memores non dubitamus quin ad eundem poetam referendae sint hae glossae memorabiles:

acceries: *securis, quam flamines aut pontifices habent*

Mai VI p. 502 b; cod. Vaticanus 3320 Guilelmo Meyer teste (*acersu*). *Habebant* pro *habent* in tribus fontibus exstat: in cod. Sangallensi 912 p. 9 (*acerlis* . . *flaminei sub pontificis*); cod. Vossiano Oct. 24² (*accersa* . . . *et pontifices*); glossis Festo insertis (*acesbis s. quod flaminis*). Paulo aliter comparata est codicis Vindobonensis 2404 glossa ab Endlichero edita: *acertis s. que flamminis aut magistratibus presto sunt*, ubi tamen novam de magistratuum illius securis usu memoriam latere cave ne suspiceris. Verba enim *magistratibus presto sunt* ad aliam glossam referenda esse hoc codicis Vaticani 3320 glossarum par docet:

acersu: securis quam flamines aut pontifices habent
accensi: que magistratibus presto sunt aut militibus tributa

acceries: *genus securis*

cod. Leidensis 67 F² f. 54ʳc; cod. Vossianus Fol. 82; Papias (*aceries*); gloss. 'Isidori' p. 669, 13 (*acieres*).

Quam in glossario Salomonis f. 2ᵛb glossam habes *acieris*: *securis erea*, ea sicut aliae non nullae e Paulo derivata est: cf. p. 10, 1 'acieris: securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes'. Ceterum Festi quoque glossam Plautinam esse apparet. De vocabuli casci forma ambigi potest: sed qui *acceris* pro *acieris* reliquis glossis ducibus apud Paulum correxerit, adsentientem me habebit.

Altera Philoxeni glossa quasi transitum paravit ad eas, quas certis Plauti versibus tribuimus, quamquam poetae neque nomen neque verba addita sunt. Eas nunc enumerabimus et quid ad poetae κρίσιν et ἐξήγησιν inde redundet indicabimus.

Amphitruonis I, 2, 28:

Et cléndestina ut céletur consuétio[1])

[1]) Ita Scioppius ex Donato ad Terentium Ad. 666: libri *suspicio*.

consuetio: *consuetudo*

cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[2] p. 289, 243 (*consuestio*); cod. Ambrosianus B 36 inf.; alibi.

Amphitruonis II, 2, 97 (729):

Úbi tu primum tíbi sensisti, múlier, inplicíscier?

inpliciscere: *inplicare*

cod. Vaticanus 3321 f. 80r (*inplicissereat*) = Mai VI p. 529a.

inplicisco: ἐπιτροπιάζω

Philoxenus p. 118, 28.

Asinariae I, 3, 20 (172):

Pár pari datum hóstimentumst

hostimentum: *aequamentum*

cod. Sangallensis 912 p. 125 (*aquamentum*). cf. Nonium p. 3 et codicis Ambrosiani B 36 inf. glossam: *hostimento*: *aequalitate* (*euualitat* cod.).

hostimentum: *lapis, quo pondus aequatur*

gloss. Amplon.[1] p. 337 a 37: cf. Osbernum p. 272 et 277.

Asinariae II, 2, 110 (377):

Quin prómitto, inquam, hostíre contra ut mérueris

hostire: *aequare*

cod. Amplonianus[1] p. 337 a 36 (*aquare*); cod. Leidensis 67D f. 27va; Atto polypt. p. 51. Cf. *hostire*: *aequare*, *adplanare* (gloss. Isidori et Sangerm. mss. 501 Du Cangii) et *hostire*: *aequare: apud antiquos sic dicebatur; unde etiam hostimentum dicitur lapis, quo pondus exaequatur* (cod. Ambrosianus B 36 inf.: *dicebantur*), unde pendent gloss. Salomonis f. 95rb et cod. Bernensis 357 f. 14va.

Ad alium locum spectat:

hostit: *aequat, adplanat*

cod. Vaticanus 3321 f. 72r (*etiant adplanant*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Sangallensis 912 p. 125 (*planat*).

Asinariae II, 3, 11 (391):

Clamát procul si quém videt ire ád se calcitrónem

Quem versum excitans Nonius p. 45, 28 haec habet: *calcitrones*: *qui infestant calcibus*, idemque interpretamentum in glossario Sangallensi 912 pervetusto p. 47 exstat: *calcitrones*: *qui infestant galcibus.* Praeterea cf.:

calcitro: *qui ferit calcibus*

'glossa Isidori' Du Cangii, quam apud Vulcanium frustra quaesivi.

calcitrones: *qui strepunt pedibus*

cod. Leidensis 191[3] (*pedibes*).

Eodem vocabulo non me fugit etiam Varronem in saturis (cf. Nonium l. s. s.) usum esse.

Aululariae I, 1, 2:

Circúmspectatrix cum óculis emissíciis (sic BD, non *emissitiis*)

oculi emisicii: exstantes vel eminentes

Mai VI p. 536b (*existantes uel eminantes*).

Aliter explicantur tales oculi in 'derivationibus', velut ab Osberno p. 196a: 'emissicius: qui saepe emittitur. Plautus: *circumspectatrix cum oculis emissiciis*' et ab Iohanne de Ianua: 'emissicius: quod saepe et cito in diversa loca emittitur, ut oculus'.

Aululariae II, 4, 34:

Conlégit, omnia ábstulit praeségmina

praesegmina: ἀπονυχίσματα

Philoxenus p. 168, 40.

praesegmina: partes corporis recisae

Atto Polypt. p. 58 (*sunt partes*); gloss. Salomonis f. 167^{v}a (*incise*); Papias (*incise*). Cf. Ugutionem ab Iohanne excitatum: *praesegmen illud quod praescinditur*.

Aululariae II, 9, 3:

Ego hínc artoptam ex próxumo utendám peto

'Art*o*ptam' Palatini et Plinii codices, 'art*e*ptam' contra scholiasta quidam legit, cuius adnotatio haec fuit:

artepta: genus vasis, ut pugella

Scholii prior pars corrupta sic prodita est:

arcepta: genus navis

Isidori glossa p. 667, 16 (*accepta*); cod. Vossianus Fol. 26; glossae Festo insertae (*arapta*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 3^{v}d (*nau's*); cod. Leidensis 67 E f. 8^{r}a; cod. Vossianus Fol. 24 (*aripta*).

Eadem exstat non corrupta:

artepta: genus vasis

Mai VI p. 509a (*arepta*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 4^{r}c (*arrepta*).

Integram glossam hi testes servarunt:

artepta: genus vasis, ut pugella

Mai VII p. 552a; cod. Sangermanensis Du Rieuo teste (*arcepta*); cod. Bernensis 16 f. 41^{r}a (*arcepta*); cod. Vossianus Fol. 26 (*arrepta .. pigilla*); cod. Leidensis 67 D f. 8^{r}d (*arcepta .. uassis ut pigilla*); cod. Leidensis 67 E f. 8^{r}a (*arcepta .. quas pigilla*); cod. Amplonianus[2] p. 270b 326 (*est uasis quasi pigella*: v. supra p. 5);

cod. Amplonianus[2] p. 270a 277 (*anthlia rota exauritoria genus est uasis quasi pigella*: ante *genus* novae glossae lemma intercidit; male Hildebrandus ad gloss. Par. p. 12a *genus vasis aquarii*, *sitella* proposuit); glossar. Salomonis f. 14ᵛb (*ariepta* . . *ut pugilla otopigella*).

'Artepta' scriptura num habeat quo defendi possit nescio. Illud vasis genus, quocum artopta comparatur, prorsus novum est, neque quae forma vera sit — glossae testimonia *pugella pigella pigilla* exhibent — contendere ausim.

Aulular. III, 2, 32: . . . pipulo hic differam (BD *populo*)
Militis II, 6, 101 (584): nam nunc satis pipulo improbo . . .
(B *ppto*, CD *populo*)

Ad alterutrum versum spectat haec glossa:

pipulo: *convitio*, *ploratu*

gloss. Isidori p. 689, 56 (*pipuli* . . *plorati*); cod. Vossianus Fol. 82 (*pipuli* . . *plorato*); Mai VI p. 539a (*conuicio*; om. *ploratu*); glossar. post Salomon. f. 278ʳb (*uel ploratu*); Papias (*conuitior*). Glossa Palatini 1773 f. 239ᵛ et Leidensis 67D f. 37ᵛa *pipolo*: *conuitio ignis graece* (*GRC* Pal., *grecis* Leid.) contaminata est e *pipolo*: *conuitio* et *pir*: *ignis graece*.

Simile scholion ad Aululariae versum adscriptum habuit iam Varro de l. l. VII, 103: 'in Aulularia *pipulo te differam ante aedis*, id est *convicio*'.

Aululariae III, 5, 28:

Salutigerulos pueros . . .

salutigerulus: ἐπισκέπτης

Philoxenus p. 191, 74.

Noviciae sunt Iohannis glossae: 'salutigerulus . . . qui gerit salutes' et 'salutigerulus . . . qui fert vel gerit salutem verbis vel opere'.

Aululariae III, 5, 35:

Caupónes patagiárii indusiárii

indusiarii: *vestiarii*

cod. Vossianus Fol. 82 (*indutiarii*); glossae 'Isidori' p. 682, 53 (*indutiarii*). Cf. Papiam: *indusiarius*: *id est vestiarius*.

Aululariae III, 5, 51:

Ubi núgigerulis rés solutast ómnibus

nugigerulus: *turpis nuntius*

cod. Palatinus 1773 f. 212ʳ (non recte Maius VII p. 570b); glossae Isidori p. 688, 18 et Vincentius (*nuncius*); cod. Leidensis 67E f. 42ᵛb

(*nugigerulus* ex *nugigerusus*; *nuncii*); cod. Vaticanus 3321 f. 105r = Mai VI p. 535 b (*nugii gerulus ū turpi nuntius*); cod. Bernensis 357 f. 18rb. Cf. glossar. Salomonis f. 142v: 'nugi gerulus dicitur turpis nuntius uel inutilis . . . uel malus portitor'; Iohannem de Ianua: 'nugigerulus . . nugarum portitor et turpis nuncius'; Osbernum: 'nugiger . . . quod et nugigerulus dicitur'; Barthii gloss. apud Du Cangium: 'nugigerulus: mendaciorum nuncius'.

Cf. Isidorum Orig. X, 193: 'nugigerulus appellatus ab eo quod sit turpis nuntius'.

nugigerulus: odium portans

cod. Palatinus 1773 f. 212r (non recte Maius VII p. 570 b).

Pro *nugigerulis* Nonius p. 144, 25 *nugivendis* prodit.

Captiuorum V, 4, 7 (1004):

Ítidem haec adveniénti mi upupa quí me delectém datast[1])

upupa: ferramenti genus, a similitudine animalis, quod ἔποπα Graeci vocant

cod. Leidensis 67 E f. 60va-b: *depopa* pro ἔποπα cod.

upupa: ὄρυξ

glossae Philoxeni p. 146, 41 (*obpopa*) et 150, 39 (*otpopa*).

Curculionis I, 3, 36 (192):

Ébriolae persolla, núgae?

persolla: persona vilis

Palatinus 1773 f. 236v = Mai VII p. 574 a (*persola personabilis*); Bernensis 357 f. 20rb (*persola personabilis persona*); gloss. Salomonis f. 159r (*uilis persona*); Mai VI p. 539 a (*persona* pro *persolla*).

persolla: persona minor

cod. Amplonianus¹ p. 364 b 407; cod. Amplonianus² p. 366 b 74 (*persola . . . maior*); cod. Sangallensis 912 p. 217.

Incertum utrius glossae pars sit haec:

persolla: persona

cod. Leidensis 67 F³ f. 92va; cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Hildebrandi p. 239, 195 (*persulla*); cod. Regius 7641 Du Cangii.

Nescitur quo spectet Placidus p. 74, 8 *persollas: personas.*

Curculionis III, 31 (401):

Licetne ínforare, si íncomitiare haú licet?

inforare: in foro placitare

Isidori gloss. p. 683, 20.

Glossa nescio unde petita sublestae fidei est. 'Placitare'

---

[1]) Ita Brixius; libri: 'itidem haec mihi advenienti upupa'.

idem est quod 'litigare' apud 'infimae et mediae latinitatis' scriptores.

Curculionis IV, 3, 2 (534):

Séd eapse illa qua éxcidionem fácere condidici
óppidis

excidio: *excisio*

cod. Leidensis 67E f. 23ʳa; cod. Ambros. B 36 inf.

Casinae I, 36 sq.:

Ita te ággerunda cúrvom aqua faciám probe,
Ut póstilena póssit ex te fíeri

'Postilena' quid sit hae glossae docent:

postilena: ἱμὰς ὁ ἐκ τοῦ ἐφιππίου ἢ σάγματος ὑπὸ τὴν οὐρὰν εἱρόμενος (Philoxenus p. 165, 40: ἐρομενον cod.)

postilena: ὀπίσθια, ὀπισθενη (idem p. 165, 43)

postellena: ὀπίσθια (Cyrillus p. 557, 25)

ut qui de 'ligno incurvo sub iumentorum cauda, ad sustinendum βάσταγμα cui onus imponitur' cogitaverunt (velut Lambinus Pareusque et ante eos Ambr. Calepinus in Lexico), verum non viderint. Idem fere significat *postela* vocabulum, quod ex Isidori Orig. XX, 16, 4 *antella quasi ante sellam, sicut et postella quasi post sellam* notum est, vel potius non notum, cum in lexicis *postilena* tantum excitari soleat. Ut *postelas* et *postilenas* ita habebant etiam *antelas antilenas sutelas*. En fontes:

antela antilena, sicut postela postilena

Mai VI p. 508a; glossae Isidori p. 667, 32.

antilena: στηθιστήρ· ὅ ἐστιν ἱμὰς ἵππων περὶ τὸ στῆθος

antilena: ἱμὰς ἵππων

Philoxenus p. 20, 40 (*antelena* et διερηστήρ Steph.) et 20, 6.

antilena: ἐμπρόσθια ἵππου

antilena: στηθιστήρ

Cyrillus p. 454, 52 (*antelina*) et 614, 20 (*antellina*).

sutela: *corrigia, quae tenditur sub cauda equi*

glossae 'Isidori' p. 696, 8; Osbernus p. 561b (*subtela*; *equi* deest).

Casinae IV, 3, 6 sq.:

Nám quid illaec nunc tám diu intus rémoratur?

Palatini mutilum exhibent versum, cui succurrit Festus p. 277a 29: *remeligines et remorae a remorando dictae sunt Plauto in Casina: 'namquid illae nunc tam diu intus remorantur remeligines?'* et codex Ambrosianus, in quo *remorantur remiligines* scriptum esse Ritschelius parergon p. 168 et Studemundus Nov. ann. 1876 p. 74 narrant. Tertium accedit testimonium scholiastarum Plautinorum, qui vocabulum illud antiquum sic interpretati sunt:

remiligines: *remoratrices*

Glossae Mai VI p. 543b; Isidori p. 693, 28 (*remilicines*); cod. Leidensis 67E f. 51^{v}b (*remillitinis*).

Epidici I, 1, 20 sq.:

. . . nisi si in vídulo
Áut si in mellina áttulisti

Huc referendam puto glossam a Maio VI p. 566 ut Placidi e Palatino 1773 editam: *maligna*: *modica*, quae item scripta in cod. Ambrosiano B 36 inf. exstat. Eam enim sic restituo: *mellina*: *mantica.*

Epidici II, 2, 45 sq.:

Quíd istae, quae vestí quotannis nómina inveniúnt nova:
Túnicam rallam, túnicam spissam, línteolum caesícium

'Tunicam rallam' interpretari solent 'tunicam raram' Nonii p. 539, 13 *ralla vestis a raritate; Plautus in Epidico: 'tunicam rallam, tunicam spissam'* auctoritatem secuti. Praeter hanc autem aliam quoque scholiastarum sententiam exstitisse, illud vestimenti genus *vestem rasilem* esse censentium memoria glossarum docet. Ad Epidici enim versum aperte spectat:

ralla: *vestis est, quae vulgo rasilis dicitur*

gloss. Salomonis f. 179^{r}b (*que*); Papias; gloss. Vincentii, ubi haec tantum habes: *ralla*: *vestis rasilis.*

Neque male videtur glossographus ille nescio quis interpretatus esse. Dicebatur enim eodem teste vulgo 'vestis rasilis'; neque *rallus* a *rad-* radice derivari non potest. 'Rallus' puto factum esse e *radlus* = *radulus*, haud aliter atque *radula* vocabulum a Columella usurpatum in glossis nostris *ralla* est. Cf.: *ralla*: ξυςτήρ (Philoxenus p. 181, 4) et ξυςτήρ:

ralla ... rasorium (Cyrillus p. 550, 17). Ceterum eiusdem vocis aliae formae sunt *rallum* (*rallum*: *rasorium* gloss. Isidori p. 693, 17; ξυστήρ: .. *rallum* .. *rasorium* Cyrillus l. s. s.) et *rallus* (ξυστήρ: .. *rallus*, *rasorium*).

Epidici V, 2, 4 sq.:

> Álium tibi te cómitem meliust quáerere: ita dum té sequor,
> Lássitudine ínvaserunt mísero in genua flémina

Ad hunc versum spectat, ni fallor, nondum edita codicis Leidensis 67 E f. 26ᵛb glossa *flemina*: *sanguis in nervis difusus*. Cf. etiam Ritschelii Act. soc. phil. Lips. t. IV p. 346 et Mus. Rhen. t. XXXI (a. 1876) p. 68 sq.

Bacchidum I, 1, 14 (48):

> Atque íbi sedens, dum is véniat, opperíbere

obperibere: *expectabis*

Mai VI p. 536 b.

Bacchidum III, 6, 13 (542): língua factiósi, inertes ópera, sublestá fide
Persae III, 1, 20 (348): graviór paupertas fít, fides sublèstior
Nervolariae ap. Festum p. 294: vinum sublestissimum

sublestus: *infirmus*, *tristis*

gloss. 'Isidori' p. 696, 15 (*sublestis* Vulcanii error).

In eisdem 'Isidori' glossis substantivum exstat aliunde non notum *sublestia*: *infirmitas*, *tristitia*. Unde fluxerint glossulae nescio: suspectae sunt.

Bacchidum IV, 4, 61 (712):

> Si íd capso, geritóte amicis vóstris aurum córbibus

capso: *cepero*

'Placidus' Mai VI p. 556 b; vetus Onomasticon Sangermanense ms. 501 apud Du Cangium (*coepero*).

Bacchidum IV, 9, 5 (929):

> Non péiius termento ruit, praeut égo erum expugnabó meum

'tormento' libri, 'termento' Curio, Canterus, Lambinus e Festo p. 363: 'termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum utitur Plautus in Bacchidibus'.

termentum: *detrimentum*

cod. Sangallensis 905 p. 997 a et Mai VII p. 584 b (*trimentum nu-*

trimentum); cod. Vossianus Fol. 82 (*terimentum nutrimentum*); glossae Isidori p. 696, 26 (eadem discrepantia); Mai VI p. 548 b (*tetrimentum nutrimentum*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 51ʳa (*tetrimentum putrimentum*).

'Nutrimentum' in 'detrimentum' mutavi non leni mutatione. Videant alii quid praestet.

Bacchidum versus V, 1, 2 (1088) *stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones* interpretatio vernacula satis difficilis est. Etenim si lexica nostra secuti erimus, nihil fere proferemus nisi iterum iterumque repetitam vocem 'dumm'[1]). Quam grata igitur et accepta scholia Plautina illuc spectantia haec:

blenni: tetri

cod. Leidensis 67 F[1] f. 11ʳa; cod. Vossianus Fol. 26; cod. Bernensis 224 f. 204ʳb; cod. Vossianus Fol. 24 (*bleni*); cod. Leidensis 67 E f. 10ᵛb (*blimi*); glossa 'Isidori' p. 671, 21 (*blini* Vulcanius, sed *blimi* Scaligeri excerpta, itemque Pithoeana p. 54); glossae Festo insertae (*bellenni*); glossae Turnebi (*blenui*); glossar. Salomonis f. 24ʳa.

blenni: putidi, tetri

cod. Amplonianus[2] p. 278 a 48 (*putiditeri*); glossae Festo insertae (*putridi*).

buccones: stulti, rustici

cod. Vindobonensis 2404 (*bucones*); cod. Vossianus Fol. 24; cod. Amplonianus[1] p. 277 b 131; cod. Amplonianus[2] p. 278 b 68; cod. Bernensis 16 f. 59ᵛb; cod. Sangallensis 912 p. 38 (*bucones*); cod. Palatinus 1773 f. 60ᵛ; cod. Sangermanensis du Rieuo teste; cod. Leidensis 191[3]; cod. Leidensis 67 F[5] f. 122ʳb (*bucconis*); cod. Vossianus Fol. 26 (*bucones*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 12ʳa (*bucones*); cod. Vossianus Fol. 82 (*uel rustici*); cod. Leidensis 67 D f. 10ʳc (*boccones*); glossar. Salomonis f. 25ʳa; gloss. Hildebrandi p. 37, 64 et cod. Leidensis 67 F[3] f. 68ʳb (*bucones stulti uel*); cod. Leidensis 67 E f. 10ʳa et glossae Festo insertae (*rustici stulti*); cod. Leidensis 67 D f. 10ᵛa (om. *rustici*); Mai VI p. 512 a (om. *rustici*); glossae Turnebi (*bucones* et om. *rustici*); glossar. Salomonis f. 24ʳa (*bocones* et om. *rustici*); cod. Bernensis 16 f. 51ʳa (*baccunis rusticis stultis*); gloss. Salomonis f. 19ᵛb (*bachunis rusticis stultis*); cod. Vossianus Oct. 24 (*baccones rustici. stulti*); cod. Leidensis 67 D f. 9ʳc (*baccunis rusticis*, om. *stulti*); idem cod. f. 9ᵛa (*baccur* in

---

1) Cf. lexici Klotziani interpretamenta: *stultus* 'dumm', *stolidus* 'dumm', *blennus* 'dumm' 'tölpelhaft', *bardus* 'dumm' 'einfältig', *fatuus* 'albern' 'einfältig'.

baccunis mutatum; *rusticis*; om. *stulti*); cod. Bernensis 16 f. 57^{v}a (*bocones*); cod. Sangermanensis du Rieuo teste (*bocones*); glossarium Monacense 6210 p. 4 sive 372 (*bacones*, sed post *boc-*); cod. Bernensis 357 f. 8^{v}b (*bocones*).

Itaque *blennus* adiectivi notio ea esse videtur, ut stultitia a putidarum tetrarumque rerum similitudine repetita sit. Recte autem hoc modo scholiastam Plautinum interpretatum esse non mediocriter vel inde comprobatur, quod novi cuiusdam vocabuli a *blennus* sine ullo dubio derivati interpretamenta dici nequit quam similia sint. Illud vocabulum est *bleno*, quod e tribus glossariorum testimoniis eruimus hisce:

blenones: *putidi, hircones*

cod. Bernensis 16 f. 58^{r}b (*putidi* ex *puditi*; *hyrcones*); cod. Palatinus 1773 f. 59^{v} (*puditi hyrcones*); cod. Sangermanensis du Rieuo teste; cod. Vossianus Fol. 24 (*hercones*); cod. Leidensis 67D f. 10^{r}b (*hyrcones*); glossae Isidori p. 671, 40 (*hircorius*); cod. Vossianus Fol. 26 (*herconas*); cod. Bernensis 224 f. 204^{r}b (*hercones*); gloss. Festo insertae (*pudici*, om. *hircones*); cod. Leidensis 67F^{1} f. 11^{v}d (*pudici hyrcorum*); glossae Turnebi (*pudenda sunt hircorum*: quae est, nisi omnia fallunt, ipsius Turnebi coniectura pro eo quod in codice scriptum reppererat *putidi hircorum*). Mai VII p. 553a *blenones*: *putidi hircones inpudici* duas Palatini 1773 glossas in unam contraxit, eodemque modo nata sunt quae Vincentius exhibet *blennones*: *putidi stulti vel impudici*.

blenones: *putidi aut hircosi*

cod. Bernensis 16 f. 58^{r}b (*hyrcosi*); cod. Sangermanensis du Rieuo teste; cod. Palatinus 1773 f. 59^{v} (*puditi a. hyrcosi*); cod. Sangallensis 912 p. 35 (*pudedi a. ercosi*).

blenones: *inpudici, hircones*

cod. Bernensis 16 f. 58^{r}b (*hyrcones*); cod. Palatinus 1773 f. 59^{v} (*hyrcones*); cod. Bernensis 357 f. 8^{v}b (*impudici yrcones*); cod. Sangermanensis du Rieuo teste; gloss. Monacense 6210 p. 4 sive 372 (*blemenos . . . yrcones*); glossar. Salomonis f. 24^{r}a et Papias (*impudici*). Cf. etiam cod. Vossianum Oct. 24: *blenones*: *impudici hircosi hircones*. Eadem glossa novo eodemque aptissimo vocabulo aucta exstat apud Maium VI p. 511b: *blenones*: *foetidi*, *impudici*, *hircones*. Dolendum est autem, quod unde ille eam hauserit nescimus. Itaque incertum est, utrum a Maio contaminata sit (quemadmodum VII p. 553a fecit), an re vera talis in codice manu scripto exstet.

Buccones autem sunt *rustici, stulti* haud aliter atque nos dicimus 'Bauerstöpsel'.

Mostellariae I, 3, 104 (261):

Túm tu igitur cedo púrpurissum ...

Huc spectare codicis Leidensis 67 F² f. 60ʳa glossulam *purpurissimum*: *genus aedilis* ipsi libri Plautini docent, qui pro *purpurissum* exhibent *purpurissimum*. 'Aedilis' corruptelae emendatio mihi non successit.

Mostellariae I, 3, 117 (274):

Nám istaec veteres, quaé se unguentis únctitant, intérpoles

Ad explicandam vocem 'interpoles' apte afferri potest glossa haec:

interpolis: *vestis, quae ex vetusta fit quasi nova*

gloss. Isidori p. 683, 10; Mai VI p. 529 b (*vetustis*); cod. Leidensis 67 F f. 30ʳ (*inter politis vestis ex vetusto*); cod. Palatinus 1773 f. 160ᵛ (*quę ex vetusto*); cod. Bernensis 357 f. 15ᵛa (*vestis vetusta que fit*).

Mostellariae I, 3, 118 (275):

Vétulae edentulaé quae vitia córporis fuco occultant

Versus claudus debetur glossemati pro *occulunt* (sic Philargyrius in Georg. IV, 39) in versum invecto. Idem scholion peti potest e glossario codicis Leidensis 67 F² f. 59ʳa: *occulunt*: *occultant*.

Mostellariae IV, 2, 1 (884):

Ílli erunt bucaédae multo pótius quam ego sim réstio

bucidae: *qui boves caedunt*

cod. Bernensis 16 f. 57ʳa (*bucide ... cedunt*); glossar. Salomonis (eadem discrep.); cod. Vossianus Oct. 24; al.

bucedae (B) vel *bucędae* (C D) libri Plautini. Praetulerim glossae scripturam *bucidae*, voce Luciliana quae est *cibicida* collata.

Mostellariae V, 1, 8 (1049):

Cápio consilium, út senatum cóngerronem cónvocem

'congeronem' Bᵃ CD, 'congerronum' Camerarius. Illud iam glossographus legit:

congerronem: *conpopionem et nugatorem*

Mai VI p. 517 = cod. Vaticanus 3321 f. 39ʳ.

Menaechmorum prol. v. 7:

Atque ádeo hoc arguméntum, graecissát ...

graecissat: ἑλληνίζει

Philoxenus p. 103, 32 (*graeciscat*).

graecissat: *Graecos imitatur*

glossar. Salomonis f. 91ʳa (*grecos*).

Militis II, 1, 13 (93) sq.:

Itaque híc meretrices, lábiis dum ductánt eum,
Maiórem partem vídeas valgis sáviis[1])

Hoc loco cum *valgis saviis* verba alii aliter explicent, summopere gaudeo quod quo modo veteribus scholiastis Plautinis interpretanda sint visa ostendere possum 'Isidori' p. 698, 17 glossa hac duce: *valgis*: *foras versi tumentibus*. Sic sane edidit B. Vulcanius, non accurate, ut mox apparebit. Placet autem uno exemplo satis ut putamus luculento demonstrare, non solum quam frequenter, verum etiam quam non feliciter priorum maxime saeculorum philologi in emendandis hisce relliquiis versati sint. Glossam enim Vulcanianam quot modis illi exhibuerint hic docebit indiculus:

B. Vulcanius 'Notarum' p. 104: *valgis*: *foras versis, tumentibus pedibus*

Matthias Martinius in lex. philologico p. 3973: *valgis*: *foras versis, eminentibus pedibus*

de la Cerda 'Adversariorum sacrorum' p. 334, 331: *valgis*: *foris versis, tumentibus pedibus*

Hildebrandus ad glossar. Parisinum p. 289: *valgus*: *suris versis, tumentibus*

F. Oehlerus annal. tom. supplem. XIII p. 250: *valgis*: *adversum tendentibus*

Gonsales ad Petronium p. 92: *valgis*: *foras versis, tumentibus*

Ianssonius ab Almeloveen 'Auctarii' p. 13b } *valgis*: *foras versus tumentibus*
O. Muellerus ad Festum l. s. s. }

Anonymus quidam in margine Thesauri Vulcaniani Lipsiensis: *valgis*: *foras versim tumentibus*

Quod autem verum est *valgis*: *foras versum tumentibus* iam

[1]) *ualgis suauiis* Ba, *uulgis suauiis* Bb; *uagi salis* Festus p. 375a 18.

inde ab a. 1602 ex Excerptis Pithoeanis p. 78 peti poterat, idemque non solum codex ille Vossianus (quamquam ibi *tendentibus* habes), sed etiam Scaligeri collectanea exhibent, ita ut *versi* scriptura errori tantum Vulcanii debeatur. Hausit enim Scaliger e tali glossario, quale habes in codice Leidensi 67 E, ubi f. 57ᵛb haec exstant: *vagis*: *foras versũ tumtib;*. Praeterea nusquam repperi, si exceperis Mai VI p. 550a: *valgis*: *fures versute meantes*, quae quidem memoria ridiculum in modum corrupta est.

Vides iam scholiastas *valgis saviis* interpretatos esse *labris foras versum tumentibus*, ut qui de addendo vocabulo *pedibus* cogitaverunt (Vulcanius, Martinius, de la Cerda: cf. etiam Oehleri et Hildebrandi coniecturas), verum non viderint. Cur autem interpretationem illam improbemus, nihil causae esse puto[1]).

Militis II, 2, 111 (266):

Si ínvenio qui vídit, ad eum víneam pluteósque agam

Ad hunc versum glossam obscurissimam *plutei*: *proprii* (cod. Leidensis 67 E f. 47ᵛb; Isidori p. 691, 53: *plotei*) spectare si contendero, hariolari videbor. Sed si sic eam supplevero:

> *plutei*: *proprie crates corio contectae, quae in opere faciendo hostibus obiciuntur*
>
> Mai VI p. 540a, e codice Vatic. 3321, ut conicio.

intelleges non sine aliqua probabilitate eo eam referri posse, utpote ad translatum vocabuli in versu Plautino usum spectantem.

Militis IV, 4, 44 (1180):

Íd conexum in úmero laevo, éxpapillato brácchio

Non ita Palatini, sed potius *exfafillato*. Illud scripserunt e Festo Pauli p. 79, 10: *expapillato brachio*: *exerto; quod*

---

1) Osberni p. 627a nugae *valgire*: *retorquere*, *sicut Petronius ait: obtorto valgitur labello. hinc etiam dicimus valgia ·i· labiorum obtorsiones*, *sicut facimus cum aliquem deridemus* e Fulgentii Expositione sermonum antiquorum p. 565, 16 fluxerunt, ubi haec habes: *valgia vero sunt labellorum obtortiones in supinatione factae. sicut et Petronius ait 'obtorto valgiter labello'*. Cf. Petronii frgm. X apud Buechelerum ed. mai. p. 209.

cum fit, papilla nudatur et Nonio p. 103, 2: *expapillato brachio*: *quasi usque ad papillam renudato. Plautus Milite* ... Tertium eiusdem scripturae testem profero hunc:

expapillato: *exerto brachio ad mammam*

Glossa in 'libro glossarum' tantum servata, quem qui collegit *excapillato* recepit: sic enim cod. Sangermanensis Du Rieuo teste; cod. Leidensis 67 D f. 21ᵛc; gloss. Salomonis f. 69ʳa. Neque discrepat cod. Palatinus 1773, unde Mai VII p. 560 a *expapillato* edidit. Ipsum enim Maium immutasse codicis scripturam inde patet, quod praecedit lemma *euerriatores*, sequitur *excillare*.

Nihili sunt Osberni p. 190 (coll. p. 201 b) *expapillare ·i· denudare* et Iohannis de Ianua *expapillare*: *exsolvere, denudare, et proprie papillas* loci, utpote ex Paulo petiti. Plautum imitatus est Gerardus in vita S. Adalhardi abbatis n. 30 apud Du Cangium excitatus: 'expapillatis brachiis aptantur remiges et antennae'.

Concedendum sane singularem esse illam Palatinorum corruptelam *exfafillato*: neque videtur omnino haec scriptura ad *expapillato* redire. Dudum enim animadversum est, quam sint cum ab interpretamentis tum a lemmatis similes glossae Pauli p. 83, 6: 'effafilatum: exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est extra vestimentum filo contextum' et Placidi (III p. 460; VI p. 560 b; p. 40, 21 Deuerl.): 'effafilatus: exerto humero, id est extra filum manum exerens, id est proferens'. Eodem autem spectare O. Muellerus ad Festum p. 83, 6 intellexit alteram Placidi glossam p. 41, 16 ed. Deuerl.: 'exfabillavero: exeruero'. Tres iam habemus scriptorum nisi fallor locos: Militis Plautinae unum (*exfafillato*) et anonymorum duos (*effafilatum*: namque Paulus et Placidus p. 40, 21 ad eundem fontem redeunt, et *exfabillavero*). Quartum addo Pauli p. 81, 18: 'exinfulabat: exerebat; infulas enim sacerdotum filamenta vocabant', qui aliorsum spectare non potest. Hoc usus si quis in versu Plautino *exfafillato* ex *exinfulato* natum esse putaverit, ille versum sane non modo non violabit, verum etiam suaviorem et faciliorem reddet: *íd conexum in úmero laevo, exínfulato brácchio*; attamen reliquis locis, qui sunt *effafilatum* et *exfabillavero*, quid tum erit faciendum? Difficultates extricare ego nequeo.

Militis IV, 6, 39 (1254):

Quid ástitisti obstúpida?

obstupida: *amens, mente turbata*

cod. Leidensis 67 E f. 44ʳa; Mai VI p. 536 b; cod. Ambrosianus B 36 inf. (*uel m. turbatur*); glossarium Salomonis f. 144ᵛb (*obstupia*; *mente turbata* verbis om.). Cf. Osbernum p. 404 a: *obstupidus*: *amens*.

Mercatoris IV, 4, 15 (755):

Satis spíssum filum múlieris: verum hércle anet

'Anet' (sic CD; B *amet*) Ritschelius[1]) collata hac Philoxeni glossa:

anet: γηρᾷ

Philoxenus p. 16, 1.

Eadem non dubium est quin apud eundem Philoxenum p. 16, 15 lateat: *anni*: γηράccει, ubi scribe *anet*: γηράcκει.

Pseuduli I, 5, 27 (442):

Id núnc mirare, sí patrissat fílius?

patrissat: *patri similis fit*

cod. Amplonianus² p. 366 a 41 (*patrisat*); cod. Leidensis 67 F¹ f. 39ᵛb; cod. Bernensis 224 f. 218ᵛa; cod. Amplonianus¹ p. 364 a 375 (*sit*); cod. Vossianus Fol. 26 (*est*); cod. Ambrosianus B 36 inf. (*patris*).

Pseuduli III, 2, 63 (852):

Nisi míluinis aút aquilinis úngulis?

aquilinus: ἀετώδηc, γρυπόc

Philoxenus p. 19, 40.

Pseuduli IV, 3, 6 (1022):

Si occásionem cápsit . . .

capsit: *ceperit*

Mai VI p. 514 a = cod. Vaticanus 3321 f. 17ᵛ (*aperit*); glossarium Salomonis f. 28ᵛa; 'Placidus' VI p. 556 b.

Hanc glossam si negaveris ad versum Plautinum referendam esse, persuadebunt tibi ipsi poetae codices, interpretamentum in verborum contextum sic invectum exhibentes: *si occasionem ceperit capsti.*

Poenuli I, 2, 142 sq.:

Iam hércle tu perísti, nisi illam míhi tam tranquil-
lám facis,

---

1) Cf. eundem Opusculorum II p. 402 sq.

Quám mare olim est, cúm ibi a l c e d o púllos edu-
cít suos

'Alcedo' pro 'alcyon' antiqui. Illud hoc loco servavit Priscianus, cum in libros Plautinos recentior forma se insinuaverit. Quae e glossariis eodem spectare videntur, pessime habita esse statim videbis. Sunt autem hae duae glossae:

alcedo: *avis Aegypti, quae semetipsam purgat, rostro in anum aquam fundens*

cod. Leidensis 67 E f. 5ᵛb (*aegipti quem . . . in ano qua fundens*).

alcedo: *genus piscis*

cod. Amplonianus[3] p. 273a 113 (*pisces*); frgm. Deycksii p. 8b.

Utraque permira: neque enim 'alcedo' piscis est, sed avis, et narratiuncula illa de ibide referri solet, non de alcyone. En testes: 'Ibis, avis Nili fluminis, quae semetipsam purgat, rostro in anum aquam fundens' (Isidorus Orig. XII, 7, 33 t. IV p. 94 ed. Arev.); 'Ibis in Pentateucho avis Aegyptia obscoenitate oris immunda, quo alvum purgat' (Eucherius episcopus Lugdunensis apud Cerdam Advers. sacr. CLXIV, 11 p. 426a excitatus); 'Ibis, Nili fluminis avis, quae ventris fimum rostro proprio extrahit' (glossa Leidensis: *extraxit* cod.). Itaque in Leidensis 67 E glossam, quae olim talis fuerit *alcedo*: *avis, quae* .... verba ex Isidoro l. s. s. petita invecta sunt, ad ibidem ea spectantia. Alteram autem sic puto natam esse:

alcedo: genus [avis
allec: genus] piscis

Adiciam locum, quem ad versum Plautinum nondum rettulerunt. Videor enim mihi intellexisse Isidori in Originibus variarum rerum explicationes ad certos scriptorum locos olim accommodatas fuisse, atque ita quidem, ut ipsa eorum verba partim hodieque addita exstent, partim ab Isidoro vel a librariis omissa sint. Locos permultos etiamnum adiectos habes, de quibus nihil dicendum. Alii tamen nunc desunt. Velut XVI, 20, 6: '*pyropum* igneus color vocavit. Namque in singulas uncias aeris, additis auri scrupulis senis, praetenui bractea ignescit f l a m m a s q u e i m i t a t u r, unde et p y r o p u m dicitur', quae ad Ovidium Metamorph. II, 2 spectant: 'clara micante auro f l a m m a s q u e i m i t a n t e p y r o p o'. Si-

militer nullus dubito quin ad Poenuli versum 'tam tranquillam ... quam mare olim est, cum ibi alcedo pullos educit suos' spectet idem Isidorus XII, 7, 25: 'Halcyon pelagi volucris, dicta quasi ales cyanea, eo quod hieme in stagnis Oceani nidos facit pullosque educit. Qua excubante fertur extento aequore pelagus silentibus ventis continua septem dierum tranquillitate mitescere et eius fetibus educandis obsequium ipsam rerum naturam praebere'.

{Poenuli IV, 2, 85: profecto ad incitas lenonem rediget
{Trinummi II, 4, 136 (537): ut ad incitas redactust

incitae: *ultima conditio fortunarum*

gloss. Isidori p. 683, 18: nescio unde.

Poenuli V, 2, 152:

Statúra hau magna, córpore aquilo. :: Ípsa east

aquilo corpore: *nigro corpore*

cod. Bernensis 16 f. 35^{v}b; cod. Sangermanensis du Rieuo teste; cod. Leidensis 67D f. 7^{v}b; gloss. lat. fragm. Hildebrandi p. 7 (*aquilino*; om. *corpore* post *nigro*).

Qua glossa duce si quis versum sic redintegrandum duxerit: *Statúra hau magnad, áquilo corpore.* :: *Ípsa east*, non probabiliter statuet, utpote adversante Ambrosiani, Palatinorum, Gellii, Nonii memoria.

Poenuli V, 5, 31:

Tune híc amator aúdes esse, halléx viri?

Pro Palatinorum memoria *hallex* scribendum puto *hallux*, cum non solum Festus, qui bis hanc vocem explicat, sed etiam glossae nostrae omnes *-u-*, non *-e-* vocalem exhibeant. Atque Festi quidem huc spectant p. 7: 'allus: pollex scandens proximum digitum, quod velut insiluisse in alium videatur, quod graece dicitur ἅλλεσθαι' et p. 102: 'hallus: pollex pedis, scandens super proximum, dictus a saliendo. Nam ἅλλομαι graece, latine significat salio'. Accedunt hae glossae:

hallus: ποδὸς μέγας δάκτυλος

Philoxenus p. 106, 19.

hallus: *pedis digitus*

cod. Amplon.[2] inedit. p. 337, 13/14: *sextus digitus* cod., quod audacissime in *pedis digitus* mutavi. Verum quid sit indicabunt alii.

allux: pollex in pede

cod. Leidensis 67 F[2] f. 54[v]b (*pollix*); cod. Vossianus Fol. 82 (*pollix*); cod. Amplonianus[1] p. 259b 111 (*pollus*); glossae Festo insertae; Mai VI p. 506a (*pedibus*); gloss. 'Isidori' p. 669, 30 (*allex*); gloss. Salomonis f. 7[v]b; cod. Sangallensis 912 p. 18 (*alux*); cod. Leidensis 191[3] (*alux polix*).

Ad glossam quam extremo loco posuimus medii aevi doctrina haec redire videtur: '*allux -cis*, producta paenultima, sicut *Pollux*, *Pollucis*' (Iohannes de Ianua); '*allux* et *Pollux* bene declinantur in *ucis*' (quidam apud Iohannem); 'est manuum *pollex*, sed dicatur pedis *allux*' (Eberhardus in Graecismo). Scribitur autem *hallus* pro *hallux*, sicut *conius* pro *coniux* et id genus similia: quamquam miramur scripturam tam frequenter repetitam. In Ambrosiano pro *hallex* exstare dicitur *tallax*, quode dubito.

Rudentis II, 7, 22 (580): éluas tu an éxungare, cíccum non intérduim

Plautus apud Varronem de l. l. VII, 91: quod vólt elenchum: cíccum non ínterduo

'Ciccum' quid sit explicant Varro l. s. s.: 'ciccum dicebant membranam tenuem, quae est ut in malo punico discrimen' et Festus p. 42: 'ciccum: membrana tenuis malorum punicorum'. Non displicent, quae eodem spectantia glossae nostrae exhibent:

ciccum: granum mali punici, aut umbilicus lupini

Placidus p. 23, 23 ed. Deuerl. Hinc glossae latinoitalica Du Cangii: *cicum: lo granello del pomo granato* et latinogermanica Diefenbachii gloss. p. 117a: *ciccum: appels coeren van granaten; navel van en wolff.*

ciccum: ῥοᾶϲ ὑμήν

Philoxenus p. 38, 4 (*cincum*).

ciccum: γρῦ, κόκκοϲ

Philoxenus p. 38, 16: *cicum* γρυκοκκοϲ cod. Cf. οὐδὲ γρῦ = *nec ciccum: nihil* Placid. p. 69, 6.

ciccum: mali granati membrana

gloss. Isidori p. 673, 9; gloss. Salomonis f. 31[r]b (*cececum membrane mala granate*).

ciccum: cortex mali granati

gloss. Isidori p. 675, 3; cod. Leidensis 67 E f. 13[r]b (*cecum*); cod. Sangallensis 912 p. 51 (*ceccum*).

ciccum: tenuis pellis inter grana
cod. Amplonianus[1] p. 280b 48 (*cittis .. pallis*); cod. Vossianus Fol. 24 (*citis .. iī granae*).

Rudentis IV, 3, 75 (1014):

Sí tu proreta ísti navi's, égo gubernatór ero

proreta: magister navis
cod. Ambrosianus B 36 inf. (*prorecta*). Cf. etiam *proreta: navis gubernator* (Mai VI p. 542a; cod. Ambros. B 36 inf.: *prorecta*). Utramque glossam contaminatam habes in gloss. Salom. f. 172^{r}b.

Stichi II, 1, 3 (276):

Ítaque onustum péctus porto laétitia lubéntiaque

lubentia: libidine vel voluptate
cod. Bernensis 258 f. 180^{v}b (*uoluntate*).

Stichi II, 1, 16 (288):

Quídnam dicam Pínacium tam líxabundum cúrrere?

AB *lascivibundum*, pro quo *lixabundum* Scaliger substituit collatis glossis Festi p. 116, 19: *lixabundus: iter libere ac prolixe faciens* et 'Isidori' p. 685, 22: *lixabundus ambulat: qui voluptatis causa ambulat*, quae 'nescio an ad hunc ipsum locum spectent' (adnotatio Ritscheliana). 'Isidori' glossa, qualem Vulcanius exhibet, aliorsum videtur spectare, quippe qua non *lixabundus*, sed *lixabundus ambulat* explicetur. Scrupulum tollit eiusdem haec memoria:

lixabundus qui ambulat voluptatis causa dicitur
Mai VI p. 532a (*voluntatis*).

Re tamen vera ad alium locum referenda sit glossa persimilis:

luxabundus: voluptuosus
cod. Bernensis 258[10] f. 180^{v}b (*uoluntuoś*).

'Luxari' pro 'luxuriari' Plautus dixit in Pseudulo IV, 7, 5 (1107): *luxantur, lustrantur, comedunt ...*, ubi Paulus p. 120 vocem rarissimam servavit, cum in ipsos codd. Plautinos *luxuriantur* glossema se insinuaverit.

Stichi IV, 2, 28 (608):

Nón it, non it: quía tanto opere suádes, ne bitát...

Pro *bitat* BCD *ebitat* exhibent. Idem fortasse legit auctor glossae *ebitere: egredi*, quam Actorum soc. phil. Lips. V p. 314 ex 'abavus' glossario enucleavimus.

Stichi V, 4, 9 (691):

Óleae tryblió, lupillo cómminuto, crústulo

trublium: *parapsida*

gloss. Hildebrandi p. 286, 141 (*parapside*; *truulium* litterarum ordo postulare videtur); cod. Vossianus Fol. 82 (*parabside*); cod. Leidensis 67 F[3] f. 102[r]d (*parabside*). Cf Papiam: 'trublium: parapsis' (*trubuum* Du Cangii Papias mscr.) et cod. Amplonian.[1] p. 381 b: 'triblia: lebil' (*trib-* ex *trip-*).

Stichi V, 4, 12 (694):

... quibus divitiae dómi sunt, scaphiis, cántharis
Bátiacis bibunt ...

Sic Ritschelius eumque secutus Fleckeisenus Turnebo Advers. XVI, 11 duce[1]), qui vasorum nominibus βατιάκη et βατιάκιον collatis codicum scripturam *batiochis* (C: *batiohis*, A: BATIOC•I•) in *batiacis* mutavit. Contra Camerarius Colacis versu quodam inductus (de eo vide infra) *batiolis* coniecit, quem errorem iteravit Georges in lexici ed.[5] (a. 1861) v. *batiola* haec scribens: '*batiolis bibere* von Reichen, Plaut. Stich. V, 4, 11 (694), wo Ritschl gegen alle Handschriften und gegen alle Glossarien, welche die Form *batiola* als richtig verbuergen [egregie fallitur], *batiacis* liesst'. Ego *batiocis* potius defenderim, ut pote non modo libris Plautinis, verum etiam tribus glossis proditum. Eae haec sunt:

batioca: *patera argenti ad sacrificandum*

Placidus p. 13, 1 ed. Deuerl.

batioca: *patera*

cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Bernens. Sinneri; 'Isidori' gloss. p. 670, 37; Mai VI p. 511 a; cod. Vindobonensis 2404; cod. Vossianus Fol. 24; gloss. Salomonis f. 21[r]a; idem f. 19[v]a (*baccioca patena*); gloss. Bernens. Sinneri (*bacioca patena*); cod. Amplonianus[2] p. 278 a 14 (*baciosa*). Cf. Osbernum p. 278 a: 'batera genus paterae' et Iohannem: 'batera genus paterae, a batus dicitur'.

batioca: *patera*, *arca turalis*

Sic emendandam puto 'Imogontis' de vet. voc. p. 69 glossam corruptissimam: *bacioca panthera argalistara*. De prioribus duobus vocabulis non, puto, dubitabis: ac ne de extremo quidem, si sic glossam in 'columnae' margine olim scriptam esse videri reputaveris:

---

[1]) Bothius, ut de suo: 'fort. *batiacis*'.

lis
bacioca: panthera arga tara-

Accedit Arnobii locus II, 23 p. 67, 4 ed. Reiff.: 'quid arquata si sellula, acus strigilis polubrum siliquastrum trulla lancicula candelabrum pattioca scopae scyphus saccus?', ubi Parisinus *pattiocas*, quod Meursius in *batiolae*, Salmasius in *batiaca* immutarunt, Reifferscheidus autem intactum reliquit. Scribendum est *batioca*. Quod autem ad ipsam formam cum βατιάκη collatam attinet, videtur illa ad Romanos e dialecto Dorica transmigrasse, cum ibi non rarus sit talis α vocalis in ο transitus.

De Trinummi glossis explicatius egimus in Ritschelii Actorum soc. philol. Lipsiens. t. II, 2 p. 462—475 (cf. etiam p. XI); V p. 310—314 et 316 sq.; Fleckeiseni Nov. annal. a. 1875 p. 533—539. Repetam inde non nullas glossas et Plautinorum versuum numerum adiciam.

cuppes: fastidiosus, superbus, cupidus	v. 239
vestiplica: femina quae vestes plicat	v. 252
apiscitur: adipiscitur, consequitur	v. 367
exesum: comestum, consumptum	
exesum: consumptum	v. 406
exesum: excomestum	
batillum: turibulum	v. 492
profugus: profugiens	v. 701
caculae: lixae aut servi militum	
cacula: δοῦλος στρατιώτου	v. 721
cacula: servus militis	
columes: salvos	
colume: sanum	v. 743
columis: sanus	
reducem: redeuntem	v. 823
spurcificus: inmunda faciens	v. 826
biti: proficisci	v. 885
exaedituat: excludit ab adytis	v. 1127

Truculenti II, 2, 16:

Quía tibi suaso ínfecisti . . .

Hoc loco alios *insuaso* legisse Festus p. 302b refert, quam scripturae discrepantiam vetustissimam Spengelius in-

dignam duxit quam commemoraret. Ad eandem spectat haec glossa:

insuasum: εἶδος δοκαρίων κεκαπνισμένων
Philoxenus p. 122, 2 (δοκαριοκαπνισμενων cod.).

'Suaso' in Ambrosiano scriptum est. Palatinorum 'resuasu' ex 'insuaso' natum esse coniecerit fortasse quispiam: non nimis audacter, ni fallor, cum *ri* ex *m* non raro nascatur. Velut Truc. II, 2, 22 pro *bouem* (sic A) reliqui *uoueri* exhibent. Cf. etiam II, 3, 5, ubi in B *opperimer* habes pro *opperirier* (sic CD).

Truculenti versum II, 7, 60: '... quem ego offatim concipilabo' parum recte vulgo interpretantur. Ducti enim — vel potius inducti — Pauli p. 62, 6 loco, quo Naevium (inc. frgm. XXV p. 30 ed. Ribb. com.[2]) *concipilavisti* pro *corripuisti, involasti* dixisse docemur, in Plauti versu *concipilabo* idem esse putant quod *corripiam*. At quid? quis umquam quemquam 'offatim corripuit'? Cuius modi correptio qui fiat equidem me nescire fateor. Longe aliter scholiasta quidam vetus, cuius adnotatio haec est:

concipulabo: *concidam minutatim*
Mai VI p. 517a = cod. Vatican. 3321 f. 30r.

Exquisita glossa duce 'concip*u*labo' pro 'concip*i*labo' scribendum esse patet, haud raro id quidem exemplo, cum recentiores formas (*adsilire* pro *adsulire*, *allucere* pro *allicere*, sim.) diutina comoediarum memoria frequentissime invexerit. Placebit, ut spero, eiusdem verbi item explicati novum exemplum, e scriptore nescio quo desumptum, quod iterum glossae servarunt:

concipulassent: *minutatim concidissent*
Mai VI p. 517a = cod. Vatican. 3321 f. 29v; cod. Bernensis 258[10] f. 178vb (*concipilassent minutati concidii*: *concipilassent* illud haud aliter atque *concipilabo* in libris Plautinis).

Quaesiveris fortasse, quod sit verbum simplex. Respondeant glossaria:

capulassent: *concidissent minutatim*
cod. Amplonianus[2] p. 286, 64 (*capulessent condidisse iminutum*); cod. Leidensis 191[3] (*capillassent condidissent*); cod. Leidensis 67 F f. 124rb (*capillassent m. c.*); glossarium Salomonis f. 28ra (*capil-*

lassent c.: om. *minutatim*); cod. Vossianus Fol. 24 (*capillassent c. minutum*); cod. Vossianus Fol. 82 (eadem discrepantia).

capulare: *scindere, desecare*

Osbernus p. 143a; Iohannes v. *capullulum* (*capulo. as ... id est scindere uel secare*).

capulari ·i· abscidi

Schröerii vocab. a. 1420 p. 8 n. 353a.

excisum: *capulatum*

cod. Sangermanensis Du Rieuo teste (*cappulatum*).

In legibus Salica et Ripuaria item habes 'arborem, sepem, linguam capulare'.

Truculenti IV, 4, 1:

Blítea ac luteast méretrix, nisi quae sápit in vino ad rém suam

blitea: *stulta*

glossae 'Isidori' p. 671, 43; gloss. Festo insertae; gloss. Salomonis f. 24^{r}a (*blica*); Mai VI p. 511b (*blicet*); cod. Leidensis 67F[1] f. 11^{r}c (*blicea stulla*); cod. Vossianus Fol. 26 (*blicea*); cod. Vossianus Fol. 24 (*blicea*); cod. Bernensis 224 f. 204^{r}b (*blicea*); cod. Leidensis 67D f. 10^{r}b (*blitia stultia*). E *blitea*: *stulta* corruptam esse puto glossam *blicea*: *stultitia*, quam habes in Bernensi 16 f. 58^{r}b; Palatino 1773 f. 59^v; Vossiano Oct. 24; Sangermanensi Du Rieuo teste; Bernensi 357 f. 8^{v}b; cod. Monacensi 6210 p. 4.

Plautus in Vidulariae fragmento VII (p. 22 commentationis Studemundianae Gryphiswaldiae a. 1870 editae):

Óppositast claxéndix. at ego sígni dicam quíd siet

Servavit versum non ipse Priscianus, sed grammatici codices, ubi ad V, 37 (I p. 165) adscriptum habes: 'claxendix, quod significat concham, qua signum tegitur. Plautus ...' Unde apparet Plautinam esse hanc glossam:

clacendix: *concha*

cod. Leidensis 67E f. 14^{r}b (*clacindex cocta*); cod. Amplonianus[2] p. 288a 157 (*clacendex conca*); glossae 'Isidori' p. 675, 12 (*clacindex*); cod. Amplonianus[1] p. 282a 144 (*clacindex cocta*); cod. Vossianus Fol. 82 (*clacendex*); gloss. post Salomonis glossar. f. 252^{r}b (*clacendex*); cod. Vossianus Fol. 24 (*clacendex*). Papiae permira glossa *classendix*: *concha, quam ferunt equites* ex male intellecta sive foede corrupta ad Priscianum adnotatione fluxisse videtur.

Veram scripturam *clacendix*, non *claxendix* esse puto pro-

pterea, quod Paulus p. 46, 16 *calcendix*: *genus conchae* cum glossa nostra consentit. Accedit κάλχη vocabulum eiusdem ut videtur radicis.

Plautus in Astraba[1]) apud Varronem de l. l. VII, 66:

Áxitiosae annónam caram e víli concinnánt viris

Quem ad versum Varro auctor est Claudium adnotasse 'axitiosas demonstrari consupplicatrices'[2]).

axitiosae consupplicatrices dictae

cod. Vossianus Oct. 24² (*anxitiosire consolatrices*).

Colacis apud Nonium p. 545, 20 versus:

Bátiolam auream ócto pondo habébam[3]): accipere nóluit

batiola, haec: ποτήριον φιαλοειδές

Cyrillus p. 487, 38 (*uatiola*; inverso lemmatis et interpretamenti ordine).

batiola: ποτήριον

Excerpta Stephani p. 307, 15.

batiola: *calix latus, non angustus*

cod. Amplonianus³ p. 278b 1 (*battiola*); frgm. Deycksii p. 11a (*baciola*).

Ad Cistellariae I, 1, 91 versus:

Quó is homo insinuávit pacto se ád te? :: Per Dionýsia

Máter pompam mé spectatum dúxit: dum redeó domum,

Cónspicillo cónsecutust clánculum me usque ád fores

et explicandos et defendendos (nam non defuerunt qui mutarent) Placidi haec glossa facit:

conspicillo: *ita ut conspici possint; quod aiunt 'longis lincis'*

Mai III p. 449 (*quid agunt*); cod. Palat. 1773 f. 85ʳ = Mai VI p. 559b; gloss. Salomonis f. 38ʳa; Papias (*possit*).

Hinc discimus *conspicillo* (vel, ut Placido credendum est,

---

[1]) Idem vocabulum in Harpago (cf. infra) exstitisse e Varrone l. s. s. scimus. Versum illum in Florentino sic traditum: *mulieres uxorculavit ego novi scio axitiosam* Ritschelius tractavit in Opusculis II p. 730 sq. Quid si principium scribamus *mulieres exosculavit*?

[2]) Cf. Ritschelium Opuscul. II p. 730 sq.

[3]) *habebat* libri Noniani. Emendaverunt Ritschelius Act. soc. phil. Lips. II, 2 p. XI et Quicheratius in ed. Nonii p. 636a.

longis lineis) *consequi* fuisse fere nostrum 'in Sehweite nachfolgen'. Ad ipsum autem Cistellariae versum glossa spectare non potest ob *possint* illud: et hariolaretur, qui Papiae scripturam *possit* praeferendam duceret. Spectat potius ad alium eiusdem poetae versum a Nonio p. 84, 7 excitatum: *conspicilium: unde conspicere possis. Plautus Medico: 'in conspicilio adservabam, pallium observabam'*, ubi utrum *conspicilio* an *conspicillo* scribendum sit dubitant et *conspicillum* esse putant vel locum ad inspiciendum aptum, vel speculum quod quis intueatur, vel instrumentum vitreum quod oculorum aciem iuvet. In Medici hoc fragmento collatis Placidi et Cistellariae locis *in* voculam delendam puto. Fortasse versus talis erat: *ádservabam cónspicillo, pállium observába(m)* ⏑ –, aut talis: *ádservabam cónspicillod, óbservabam pállium.* Ceterum non fugit me Servii apud Labbaeum p. 41a glossa: *conspicillum:* πρόcωπον.

Nervolariae[1]) fragmentum:

Scrattaé, scrupipedae, stríttivillae, sórdidae

a Varrone de l. l. VII, 65; Gellio III, 3; Nonio p. 169, 6 servatum egregie tractatum est a Ritschelio Parerg. p. 84 sq. Maximopere gaudeo quod duas glossas proferre possum eodem aperte spectantes. Quarum altera haec est:

scrattae: despectae, nugatoriae

cod. Palatinus 1773 f. 289ᵛ (*scrattę despecte enugatoriae*), de quo Maius VII p. 579a non recte refert; glossar. Salomonis f. 195ᵛa (*scrate despecte enugatorie*); cod. Leidensis 67 D f. 42ʳb (*scrate dispecte enugatoride*); Papias (*scraite despecte nugatorie*).

Ad hoc nescio cuius glossographi scholion Verrius cogitari potest respexisse: cf. Festum p. 333a 29 'scraptae dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres, ut ait Verrius'. Eadem nostra glossa scriptura vocis Ritscheliana e libris Gellianis derivata quae est *scrattae* comprobatur. Altera autem:

scrapedus: scabiosus

gloss. Salomonis f. 195ᵛa; Papias.

fortasse exquisitior etiam est. Namque cum Varronis Gelliique libri *scruppedae* vel *scrupedae* exhibeant, glossae lemma non ad *scrupipedae*, quod O. Muellerus illinc enucleavit (deesse

---

[1]) Cf. Ritschelium Parerg. p. 174 sqq.

enim unam syllabam versus docet), sed ad *scrabipedae* spectare videtur. Sic enim ut scribamus *scabiosus* interpretamentum suadet. 'Scrabipedae' autem illud a *scabres*, *scabrere*, sim. verborum stirpe derivatum sit, *r* litterae transpositione non inusitata. Quamquam incerta res est: videntur enim iam vetustissimi huius versus interpretes (v. Varronem l. s. s.) ambigui haesisse. Ceterum *sordidae* in fine versus post exquisitissima vocabula *scrattae scrabipedae strittivillae* positum meum si sensum sequeris admodum languet. Accedit quod Varro longe aliud quid tradidit: *tantulae.* Iam cum praecedat *strittivillae*, vide num scribendum sit *edentulae*, unde integra versus forma haec evadit:

Scrattaé scrabipedae stríttivillae edéntulae.

Multo magis sane placebit, qui vocem excogitaverit ab externa specie scripturae quae est *tantulae* item similem et eiusdem atque *sordidae* Gellianum significationis.

Festus p. 333b 1: [Scrutillus appel]labatur venter suillus co[ndito farre expletus]. Plautus: 'venter suillus .... scrutillum ...'

scrutillus: *ventriculus fartus*

Gloss. Isidori p. 695, 43 (*scrutulus*).

Glossa unde fluxerit nescio: metuo ne ex Festo Pauli.

Adnotatiunculae ad Plautum glossematicae.

1. 'Mostellaria' titulus a *mostello* derivatus est. Quod quidem deminutivum non iam exstare dicitur[1]). Habes in glossa:

φάcμα: *mostellum*, *mustellum*[2])

Labbaei *E* glossa p. 198b (*muscellum*).

2. Epidici III, 1, 12: *Vae tibi, muricide homo!* Locus est glossematicus, ad quem dudum intellectum est spectare Festum Pauli p. 125, 10: *murricidum*[3]): *ignavum*, *stultum*. *Plautus:*

---

[1]) Velut Lorentio in praefatione p. 1: 'das Wort *mostellum* selbst scheint zwar nicht vorzukommen, ist aber ganz sprachrichtig gebildet..'

[2]) 'M*u*stellaria' scriptura non rara est.

[3]) 'Murricidum' lemma per unam *r* litteram exhibent e Paulo post glossar. Salom. f. 271^{v}b excerpta itemque in versu Plautino *muricide* vetus codex et Palatini Parei. Unam *r* etiam Osbernus p. 342 legit,

'murricide homo', *ignave*, *iners*, ubi *ignave*, *iners* Scaliger putat Festi glossema esse, potest etiam glossographi Plautini interpretamentum, una cum poetae verbis ex Epidici loco excerptum. Quod utut se habet, obscurum illud vocabulum grammaticos *ignavus*, *stultus*, *iners* verbis interpretatos esse constat. Eodem autem modo explicarunt simile quoddam, sola Sangallensis 912 p. 173 glossa servatum: *mutturci*: *stulti*, *inertis*[1]). Videntur mihi *muricidus* et *mutturcus* adiectiva aliquo modo concilianda esse cum *murcidus* voce et a forma et a significatione simillima, qua Pomponius v. 195 Ribb. usus est Augustino de civ. dei IV, 16 teste: 'deam Murciam, quae ... faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum'. Quamquam Salmasius, qui apud Plautum quoque *murcide* legendum proponit, non debebat uti *murcus* voce, Ammiani XV, 12, 3 p. 75, 3 ed. Gardth. loco adscito: 'nec eorum aliquando quisquam ut in Italia munus Martium pertimescens pollicem sibi praecidit, quos localiter murcos appellant'. Etenim *murcum* proprie fuisse non 'ignavum, munus Martium pertimescentem', sed 'mutilum, truncatum, curtum' hae glossae docent: *murcus*: *curtus* (cod. Amplon.[1] p. 349, 31 ed. Oehl.) et *murcus*: *lidiscarter* (gloss. Salom. f. 136^{v}b).

3. Casinae II, 8, 1 sq.:

Sine módo rus veniat, égo remittam ad té virum
Cum fúrca in urbem támquam carbonárium

'Carbonarius' vox in libris adhuc superstitibus ἅπαξ εἰρημένη, ut videtur, vulgo procul dubio non inusitata erat.

---

qui haec nugatur: 'muriscidus .. homo ignavus et remissus et ad nihil aliud utilis, nisi ad mures scindendos ·i· excoriandos; unde Plautus in Epidico: 'vae tibi' inquit 'muriscide homo'. Scaligero *muricidus* significare visum est μυοκτόνος.

[1]) Nihil huc pertinere videtur subobscura Isidori glossa p. 686, 24 *murcinarius*: *mutilus* (ubi Scaligeri epitome: *mus͗cinarius*: *mutilus*, ἄχρηστος). Ea enim in codicibus sic scripta exstat:

muscinarius: *inutilis*, ἄχρηστος

gloss. Salom. f. 137^{r}a (om. voce graeca); gloss. Hildebrandi p. 214, 228 (*mutinarius* cod. Parisinus, ubi tamen *muscinarius* ordo litterarum postulat et cod. Leidensis exhibet: deest voc. gr.).

Docent hae glossae: ἀνθρακοπώλης: *carbonarius* (Cyrillus p. 377, 17) et *carbonarius*: ἀνθρακάριος (Labbaei p. 26b *e* notae glossa).

4. Nescio num ad Truculenti versum I, 2, 46 'volo habére aratiúnculam pro cópia hic apúd vos' referri possit haec glossa:

aratiunculas: *modicas fossas*

glossarium Salom. f. 11^{v}b. Cf. Vincentium: *aratinucula*: *fossa parva, quasi sulcus aratri.*

Si aliorsum spectat, habes certe novum vocis ἀπ. εἰρ. exemplum.

5. Militis III, 1, 38 (632):

Ínest in hoc amússitata súa sibi ingenua índoles

Sic scribi solet, cum libri exhibeant '*e*musitata'. Festus Pauli p. 76, 8 (*emussitata*: *ad amussim facta*) et Nonius duobus locis (p. 9, 4 *emussitata* et 457, 2 *emeussiaetas*) cum codd. Plautinis consentiunt, unde Ritschelius vetus vitium esse adnotat. Defenderim *emussitata* illud tam unanimo consensu proditum, quia parum probabile eodem prorsus mendo corruptum fuisse nescio cuius scriptoris locum a Placido p. 42, 5 servatum: *emussitatos*: *ad amussim exactos.* Quamquam concedendum est sane formam nondum explicatam esse. Nihilo tamen minus abolere noluerim.

6. Ad Persae versum I, 3, 16 (96): 'nihilíst macrum illud épicrocum pellúcidum' spectare potest:

epicroca: *perlucida vestimenta*

cod. Leidensis 67 E f. 21^{v}b.

Ex hac breviata est altera codd. Vossianorum Fol. 24 et 82 itemque Placidi p. 40, 18 glossa: *epicroca*: *perlucida.*

7. Poenuli V, 5, 7: 'aere mílitari tétigero lenúnculum'. Cf. notam Bernensem Schmitzii tab. 64, 53: *lenunculus*, et 'Salomonis' f. 113^{v} glossam latinogermanicam: *lenunculus*: *huorer.*

8. 'Nautea' voce non raro Plautus usus est, velut in Casinae vers. ult.: 'hircus unctus nautea'; Curculionis I, 2, 4 (99): 'unguentum odos prae tuo nauteast'; Asinariae V, 2, 44 (894): 'nauteam bibere malim'. Quae quoniam non nullis 'Kielwasser, Schiffswasser' significare videtur, Festi

p. 165 et Nonii p. 8 testimoniis ad 'coriariorum foetidam aquam' potius spectantibus has glossas adicio:

nautea: ὀϲμὴ βύρϲηϲ

Philoxenus p. 142, 39 (*nauteo*).

nautea: *aqua corii foetida, in qua coria macerantur*

Placidus p. 68, 7: Mai III p. 486 (*corium maceratur*); gloss. Salomonis f. 138^{v}b (*nauteta a. corium fetida*); cod. Leidensis 67 D f. 34^{r}b (*coriorum fetida*).

Illa significatio 'Kielwasser' e Nonio p. 8: 'nautea est aqua de coriis vel quod est verius aqua de sentina' derivata sine ullo dubio reicienda est, cum veriloquii indagandi studio eam deberi verba a Nonio addita 'dicta a nautis' aperte indicent.

9. Asinariae I, 3, 51 (203): 'vétus est *nihili cóctiost*, scis cúius: non dico ámplius'. Fortasse ad hunc versum una alterave ex his glossis referenda est:

cocio: *arillator*

gloss. Isidori p. 673, 44 (*arilator*); cod. Vossianus Fol. 24 (*coctio arilitor*); cod. Vossianus Fol. 82 (*coctio arrillator*); Papias (*coctio arillatio*); gloss. Hildebrandi p. 57a 123 (*arrillator* Leidensis); idem p. 18b 135 (*arellator cicio* ομεταβολοϲ Parisinus, *arrilator c.* ὁμειπαβολοϲ Leidensis).

cocio: μετάβολοϲ

gloss. Philoxeni p. 40, 17.

cocio: μεταπράτηϲ

Cyrillus p. 539, 3.

cocio: *conparans et vendens*

cod. Amplonianus[3] p. 293a 142 (*uenditio*); frgm. Deycksii p. 14a.

10. In Mercatore IV, 2, 4 (695) sqq. haec secum loquitur Lysimachus:

. . . séd coquos, quasi ín mari
Solét hortator rémiges hortárier,
Ita hórtabatur

Versus secundi metrum ut sanarent Pylades *solitust hortator*, Guyetus et Acidalius *solet olim hortator*, Scaliger *solet horitator* proposuerunt. Mutatione non opus esse Ritschelius docuit in Prolegom. p. CLXXXIV. Fortasse tamen *solēt* mensura in principio versus ante *h* litteram non nimis placeat,

cum nemo non incipiat sic scandere: *solet hór|tator.* Accedit quod ter repetitum hortandi vocabulum habere videtur quod offendat. Ne multa; scribendum puto:

séd coquos, quasi ín mari
Solet aégeator rémiges hortárier
Ita hórtabatur.

Quaesiveris, ni fallor, quid hoc sit verbi. Aegeator appellabatur hortator navis, ὁ κελευστής. En testimonia:

aegeator: *hortator*

Mai VI p. 504b = cod. Vaticanus 3321 f. 9v (*hornator*); cod. Amplonianus[1] p. 262a 310 (*horta* . . ., ubi ultimae tres litterae legi non possunt); cod. Amplonianus[2] p. 268b 179 (*aegeatores ortator*: *-ores,* quia praecedit *aeneatores*); Mai VI p. 504b (*aegiator*); cod. Vossianus Oct. 24 (*ornator*); gloss. Bituric. Du Cangii (*aegiator*); Mai VII p. 551a (*aegeatur ornatur*); cod. Vossianus Fol. 82 (*aegiator*); cod. Vossianus Fol. 24 (*egeator*); cod. Vossianus Fol. 82 (*egeator*); gloss. Salomonis f. 4vb (*hortator uel ornator*); cod. Parisinus 7690[2] apud Hildebrandum p. 5 (*aegiatur ornatur*); gloss. Hildebrandi p. 5, 53 (*aegiator orator* Parisinus, *aegiatur ortator* Leidensis); cod. Sangermanensis Du Rieuo teste (*aegeatur ornator*). Hinc pendent glossae *egeator*: ΗΓΗΤΩΡ *graece hortator et dux* (Papiae) et *egeator*: *hortator navis, a mari Aegeo* (gloss. Isidori p. 679, 43: *Egeo*; Osberni p. 196a; cod. reg. 7657 Du Cangii: *e. locator n.,* nihil praeterea), quarum additamenta novicia sunt.

11. Militis III, 1, 102 (694):

Iámpridem, quia níhil abstulerit, súscenset torária

Libri *ceraria* pro *toraria.* Hoc Salmasius scripsit, e glossis afferens *torarius*: ὠλενοτρόφος. Iam cum Lorentium videam p. 159 adnotare '*toraria* .. in einem alten Glossar ὠλενοτρόφος erklärt, also von *torus* — ὠλένη, Wärterin', quid huius glossae sit non inutile duco explanare. Atque *toraria*: ὠλενοτρόφος glossa quidem non exstat nisi in Lorentii adnotatione. Neque enim Salmasius hanc protulerat, sed illam quam Ritschelius excitat *torarius*: ὠλενοτρόφος. Hausit autem ille e Philoxeno, ubi eandem glossam ter traditam esse persuasum habeo. Vide ipse:

Philoxenus p. 214, 16: *toranus*: ὤλενος τροφος
47: *toranus*: ὤλενος τρόφος
22: *tolarius*: πλεονοτρόφος

Nam ultimam eodem spectare quo priores neminem fugit.

Videtur autem Salmasius recte *torarius*: ὠλενοτρόφος scripsisse. Errat Vulcanius 'notarum' p. 67.

12. In emendando Bacchidum versu III, 3, 67 (471): 'atque acerrume aestuosę absorbet, ubi quemque attigit' (sic B; *atq; acerrumea est uos* C; *atque acerrum ea ẽ uose* D) cum alii *aestuose* adverbium retinuissent, Ritschelius rectissime ut puto *aestuosa* adiectivum substituit. Non inepte quispiam comparaverit scriptoris cuiusdam (fortasse ipsius Plauti) fragmentum a Placido servatum:

anus aestuosa: quod in modum aestuarii maris hauserit, id est biberit

Placidus Deuerlingii p. 12, 1 (*aestuantis*).

13. Ad Rudentis IV, 4, 65 (1109) versum praeter Pauli p. 46, 11 *caudeae cistellae: ex iunco, a similitudine equinae caudae factae* etiam Placidi p. 25, 9 glossa spectat: *caudeam: iunceam, quod iuncea cauda emergat; dicunt et 'scirpum' et 'tibim'*. Falsissime in lexicis *caudea cistella* explicant 'hölzernes Kistchen': diserte enim illis locis traditum habemus *caudeas cistellas* fuisse *iunceas*. Inducti sunt *caudex* (= *codex*) vocabuli similitudine. Non hoc commemorarem, nisi nuperrime C. M. Franckenus (v. eius 'Annotata ad Plauti Rudentem' in Mnemosynae n. s. t. III (a. 1875) p. 59 sqq.) tralaticium lexicorum errorem iterasset et Placidi glossam 'non assis esse' contendisset.

14. 'Patagus' quale tandem morbi genus fuerit nescitur. Quode quam variae sententiae prolatae sint e Gesneri thesauro v. *patagus* disci potest. Pertinet autem quaestiuncula ad haec nostra studia, cum Plautum ea voce glossematica usum esse e Macrobio Saturn. V, 19 sciamus. Plautina illa haec sunt: *mecum habet patagus aes morbus*. Nihil proficimus Pauli p. 221, 3 verbis: *patagus: morbi genus*; aliquid certe nova glossa *patago: genus morbi* (velut in Vossiano Fol. 82: *morui*; eiusdem alio loco: *petago*; gloss. Isidori p. 689, 47: *mortui*; al.), unde *patago* quoque formam exstitisse cognoscimus. Planissime autem explicatur pataginis natura ab Attone polypt. p. 58: 'inter *pataginem* et *patagium* hoc differt: *patago* est exulceratio oris, quod cum intumuerit, paene elinguem

facit; *patagium* vero est pallium ex auro purpuraque variatum'. Haec Attonem finxisse eo minus crediderim, quod etiam patagii explicatio admodum exquisita est. Unde autem hauserit me latet. Vide num forte *aes morbus* verba e loco Plautino eicienda sint, ut *patagus* vocabuli interpretamentum tale: *oris morbus*. Ceterum si Attoni fidem denegaveris, Placido certe credes non aliter explicanti p. 75, 6: *pataginem*: *cum propter pituitam non facile labra movent.*

15. Mostellariae III, 2, 140 (825) sq.:

Quápropter? :: Quia édepol ambo ab ínfumo tarmés secat.
Íntempestivós excisos crédo: id eis vitiúm nocet

'Tarmes' scriptura Scaligero debetur, cum libri BaCD exhibeant *trami secat.* Corruptelae lenior etiam ni fallor medela praesto est *trami secăt* = *trami secant*, vel si μετάθεϲιν *r* litterae improbaveris, *tarmi secant.* Exstitisse enim praeter *tarmes* etiam *tarmus* formam glossa *tarmus*: *vermis in carne* (gloss. Isidori p. 696, 54: *tarmus*; cod. Leidensis 67E f. 55^{v}a) docet[1]). Quodsi ob interpretamentum 'vermis in carne' dubitaveris, idem contra Scaligeri emendationem obiciendum erit: nam tarmitem grammatici aiunt vermem carnis esse, termitem ligni. Cf. Paulum Festi p, 358, 5: *tarmes vermiculi genus carnem exedens.* Praeter Plauti locum, de quo agimus, *tarmes* = 'vermis ligni' etiam apud Vitruvium II, 9 (p. 56, 7 ed. Rose et Mueller-Struebing) exstare dicitur: 'sed ea [abies] quod habet in se plus caloris, procreat et alit tarmitem ab eaque vitiatur [cf. Plauti: id eis vitium nocet]'. At ibi ipso Vitruvio p. 58, 16: 'qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem neque eas bestiolas quae sunt nocentes' et codicibus, qui pro *tarmitem* potius *pariē* vel *partem* exhibent, ducibus dudum *cariem* scripserunt. Quod cum ita sit putaverim grammaticos illam differentiam *termes* et *tarmus* vermium de suo excogitasse, vel saltem eam Plauti aetate nondum exstitisse. Ceterum ad enarrandos Mostellariae versus Lorentius multos attulit locos

---

[1]) Neque haec sola, verum etiam Isidorus Orig. XII, 5, 15: 'tarmus vermis est lardi'.

παραλλήλους; qui autem optime quadrat, eum omisit: Isidori Orig. XII, 5, 10 'teredonas Graeci vocant lignorum vermes, quod terendo edunt. Hos nos termites dicimus. Ita enim apud Latinos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno caesae arbores gignunt' = Serv. ad Georg. I, 256.

16. Ad Plauti Persae v. 244 *néque tippullae lévius pondust quám fides lenóniae* vel eiusdem fragmentum a Nonio p. 180, 11 servatum *lévior est quam típpull(a)* spectare potest haec glossa:

tippula: vermis aquaticus

cod. Amplonianus[1] p. 383, 150.

Quamquam etiam Varro in saturis ea voce usus est.

17. Infelicandi verbum apud Plautum satis frequens est: cf. Casin. II, 3, 30; Epid. I, 1, 11; Mercat. II, 3, 99 (436); Poen. II, 1, 1; Rud. III, 6, 17 (885) et IV, 6, 21 (1225)[1]. Sic illud explicatur:

infelicare: affligere, infelicem facere

cod. Leidensis 67 D f. 28^{r}c (*inuicem f.*); gloss. Salomonis f. 100^{v}a; gloss. Isidori p. 682, 46 (om. *inf. fac.*); Iohannes de Ianua (*infelico . . . infligere, infelicem facere*).

Videtur haec esse Placidi glossa p. 58, 7: *infelicare: infelicem facere, affligere*, quamquam collocatio verborum discrepat.

18. Plautus apud Isidorum Orig. XIX, 23, 3: *linna cooperta est testrio Gallia.* 'Linnas' Isidorus ait Gallorum saga quadra et mollia esse, unde ad Plautum spectare patet 'Isidori' glossam p. 684, 47 *luma: sagum quadrum*, quam emendare frustra studuit velut Martinius in Lex. philol. (ed. Bremae a. 1623), p. 1695. Eadem corrupta exstat in Diefenbachii gloss. 76 *luma: stagnum*, integra vero in Panormia p. 328b et 322 *linna: sagum quadrum.* Vides nihili eam esse, cum Osbernus procul dubio ex Originibus hauserit. Fontem glossae re vera Isidorianae ignorabant, qui in lexica haec receperunt: '*lūma* . . . a) ein Dorn; b) eine Art Mantel Gloss. Isidor'. Versum contra Plautinum neque lexicographi curarunt neque illi qui fragmenta poetae collegerunt.

---

[1]) Cf. Buechelerum in Musei Rhenani t. XV (a. 1861) p. 431 sqq.

Codd. Isidoriani[1]) ita eum scriptum exhibent: *linna cooperata est testrio gallia*, ubi *cooperta* alii emendandum coniecerunt, ego ⏑ – ⏑ *linnam operatast textrix Gallica* dubitanter proposuerim.

19. 'Babylonicum' substantivum esse scriptorum loci, velut Lucretii IV, 1022 '.. babylonica ... rigantur' et Publilii Syri p. 304 Ribb.[2] 'plumato amictus aureo babylonico', docent itemque hae glossae:

babulonicum: ψιλὴ πολύμιτος

Philoxenus p. 27, 51.

ψιλόν: *tenue babylonicum*

Cyrillus p. 664, 21. Num forte nata est haec glossa e duabus:
ψιλόν: *tenue*
ψιλή: *babylonicum* ?

babylonicum: ψιλή

cod. Amplonianus[3] p. 279 a 4 (*babilonicum sine aspiratione*); fragm. Werthinense p. 11 a (*b. sine aspiratione*). Cf. Actorum soc. philol. Lips. t. V p. 341 sq. et IV p. IV sq.

Talis cum sit *babylonicum* vocis usus, non neglegendum puto quod in Stichi versu II, 2, 54 (378): 'túm Babylonica péristromatia, cónchyliata tapétia' ABCD libri post *babylonica* exhibent *et* voculam. Videor autem mihi eiusdem versus a variis varie tentati (quode v. Ritschelii adnotationem) medelam repperisse. Quod enim in libris proditum est *peristroma*, defendendum puto duce scriptore 'de dubiis nominibus' p. 586, 7 (G. l. ed. Keil. t. V): '*peristromum* generis neutri; sed Cicero elegantius dixit hoc *peristroma* et haec *peristromata*'. In altero hemistichio Ambrosiani scriptura quae est TONSILIA (eodemque redit Palatinorum *ton silla* vel *ton sella*) non minus integra esse mihi videtur quam Cn. Matii apud Gellium XX, 9, 3 fragmentum: *iam tonsiles tapetes ebrii*. Noluerim autem *conchyliata* illud defendere adscito Pseuduli v. 147, ubi nunc scribitur *conchyliata tapetia*, ego contra in

---

[1]) Vel ut verum dicam, liber glossarum in quem locus Isidorianus receptus est. De Isidori codicum scripturis nihil apud Arevalum legi. Recentior eaque peioris notae editio mihi non praesto est.

Palatinorum memoria *consilia tapetia* idem *tonsilia* agnosco. Itaque Stichi versum 378[1]) sic emendo:

Túm babylonica ét peristroma, tónsilia (sive 'tonsilia et') tapétia[2])

Appendicula.

De *Cacistione Baccaria Lipargo Pagone* fabulis Plautinis.

1. 'Cacistio' Plautina uno Varronis de l. l. VII, 67 loco commemoratur: 'in cesistione: distribula ...' (sic Florentinus). Ibi postquam Scaliger *in Gastrone* (vel *Restione* vel *Quaestione* vel *Aeschrione*) emendandum et O. Muellerus traditam scripturam defendendam putaverunt, Ritschelius in Parergis p. 151 proxime ad codicis memoriam accedens 'in Cacistione' proposuit. Hinc 'Cacistionem' Ribbeckius com.[2] p. 501a in palliatarum indicem recepit et Teuffelius Hist. litt. Rom.[2] p. 142 inter fabulas Plautinas commemoravit. At quaeritur, num forte probabilius etiam pro *cesistione* scribendum esse coniciam *cocistrione*. 'Cocistrio' appellabatur *praegustator cocinae* vel, ut alii interpretantur, *tabernarius*.

cocistrio: *praegustator cocinae*

gloss. Isidori p. 674, 38 (*cocistro*).

cocistrio: *graecum est, id est tabernarius*

liber glossarum, velut cod. Ambros. B 36 inf. Idem in *o* littera: *ocistrio*: *graecum est, id est tabernarius*, unde pendent Vulcanii 'vocabula rariora' p. 700, 30 (*occistrio*). Cum graecum non sit vocabulum, vide num praestet 'Imogontis' memoria: *cocistrio*: *tabernarius*.

'Cocistrio' formatum est a *cocister* = *cocester* = *coquester* (cf. Osbernum p. 241a *fulinarius*: *coquus, coquester*). 'Cocister' autem et 'cocester' formae non aliter fluctuant atque 'ped*i*ster'[3]) et 'pedester' idque genus similes.

---

[1]) Ibi olim *psillas et tapetia* e Palatinorum *tonsilla et tapetia* efficiendum esse putaveram.

[2]) [Dum plagulas corrigo ab amico quodam moneor *tonsilia* meum iam Bergkium in Philologi t. XVII (a. 1860) p. 38 sq. utrique versui vindicasse eundemque anonymi 'de dubiis nominibus' loco usum esse: id quod me fugere non debebat.]

[3]) Cf. etiam cod. Amplon.[2] p. 292, 108: 'circensis: circulus equ*i*stris'.

2. De 'Baccaria' semel a Macrobio Sat. II, 14 commemorata Ritschelius in Parergis p. 155 sq. haec scribit: 'Obwohl schwer zu errathen ist, in welchem Sinne *Baccaria* von *bacca* abgeleitet sein mag, so ist doch die gewöhnliche Schreibung *Bacharia* entschieden unstatthaft'. Quid si *Baccariam* a *baccar* appellatam esse statuimus, eodem modo quo *Agitatoria* Naevii ab *agitator* voce? 'Bacar' autem erat 'vas vinarium, simile bacrioni' Festo Pauli p. 31, 2 teste. Aliarum fabularum nomina item a vasis derivata sunt velut *Cistellaria* et *Vidularia*, atque similius etiam *Frivolaria*; frivola enim erant vasa fictilia.

3. 'Lipargum' titulum, quem ex Prisciano X p. 522 H. novimus, nihili esse Ritschelius l. s. s. p. 156 sq. demonstravit. Freundius[1]) illo loco *plautusinlipargo* e *plautusinsitellitergo* breviatum putat, quae coniectura ab externa litterarum similitudine non est prorsus evidens. Apud Ribbeckium in palliatarum indice p. 502 a eadem fabula audit *Lupercus*. Codicum memoriam paene intactam relinquam, si pro *lipargo* scripsero *arpago*. 'Harpagus' autem titulum cave putes a more Plautino abhorrere. Derivationum enim copia (*harpagare* Bacch. v. 657 et Pseud. v. 139; *harpago* Trin. v. 239; *harpax* Pseud. v. 653; *harpagus* Pseud. v. 665) docet hac stirpe *harpag-* Latinos quodam modo ut sua, non ut graeca, usos esse. Videtur autem Harpagi nomen alibi quoque latere. Apud Varronem enim de l. l. VII, 61 Plauti versus excitatur in hunc modum: 'in pagone: *honos syncerasto perit, pernis, glandio*', ubi 'Pago' quid tandem sibi velit nondum perspectum est; namque omnes coniecturae adhuc prolatae certis de causis displicent, velut *Pago* (sic Pius, quocum Ribbeckius in com. coroll. p. CIII sq. facit: cf. Ritschelium l. s. s. p. 151); *Paplago* (ab Hertzio excogitatum); *Phao* (a Ladewigio Anal. scen. p. 13 propositum: cf. Ritschelium Opusc. II p. 731). Ego ibi tres (vel duas) litterulas excidisse ratus pro *inpagone: honos syncerasto* ... scribo *in [ar]pago: ne honos syncerasto.* Ipsum autem hoc alterum Harpagi fragmentum sic restituo:

[Métuo] ne honos sýncerasto péreat, pernis, glándio

---

[1]) Vide Ritschelium Opusc. II p. 729 sqq.

§ 2.

De Placidi aliorumque glossariorum glossis Lucilianis.

Placidi glossarum largam copiam ad Plautum spectare post scriptam a Ritschelio de hoc glossario commentationem[1]) nemo iam negat. Num autem fide digna sit codicis Corsiniani illa inscriptio 'Incipiunt glossae | Luctatii Placidi grammatici | in Plauti comedias', vel ut planius dicam, num praeter Plauti aliorum quoque priscae aetatis scriptorum γλῶccαι in Placidi collectanea fluxerint, de ea re inter viros doctos nondum convenit. Atque Ritschelii quidem sententia ea fere est, ut posterioris aevi vestigia inesse non negans eas glossas quae sermonis vetusti speciem prae se ferant ad Plautum revocandas esse iudicet. Cf. Trinummi² Lipsiae a. 1871 editae p. 88: '*denixe* Bergkius usus Placidi glossa .., quod recepi quia ad ipsum Plautum spectare glossarium illud omne intellexi'; Musei Rhenani t. XXV (a. 1870) p. 463: 'Meiner Ueberzeugung nach hat es aus verhaeltnissmaessig alter und guter Zeit eine umfaengliche Plautinische Glossensammlung . . . gegeben, aus der unser heutiger Placidus nur ein magerer . . . Auszug ist'; ibidem p. 459: 'Nicht als wenn nun gleich die Placidusglossen . . . mit Haut und Haar als Plautinisch in Anspruch zu nehmen waeren . .: aber darum kann doch ein urspruenglicher Kern Plautinischer Glossen der jetzigen Sammlung als einer nur durch Ueberarbeitung mehr und mehr interpolirten zur Grundlage gedient haben'.

Contra H. A. Kochius, qui non paucas Placidi glossas Plautinas sagaciter indagavit, tres vel quattuor alias veteribus poetis Pacuvio Ennio Terentio tribuit: cf. eius commentationem 'Zu Placidus' inscriptam in Musei Rhenani t. XXVI (a. 1871) p. 549 sqq. Item Otto Ribbeckius in corollariis poetarum scaenicorum fragmentis praemissis (Tragicorum p. LXXII sqq., Comicorum p. LI sqq.) non nullas glossas ad Livium Andronicum, Pacuvium, Titinium, Afranium, alios rettulit.

---

[1]) Vide supra p. 152.

Longe alia Hermanni Kettneri sententia est, qui non modo multo plura quam Ritschelio et Kochio visum sit ad Plautum spectare censeat, sed integrum glossarium Plautinum esse ratus, de glossarum Plautinarum ordinibus quos apud Festum exstare non sine probabilitate O. Muellerus coniecit ex Placidi glossario hic illic certiora derivare non dubitet. In Hermae enim t. VI (a. 1872) p. 165—177 'Zu den Glossae Placidi' velut haec scripsit: 'Fuer *Raetiae* wird *Raeti* zu emendiren sein; seit dem Jahre 222 v. Chr. konnte Plautus in einer Comoedie recht wohl so sagen[1]). . . . . Es ist offenbar auch fuer den Festus von Wichtigkeit, dass wir wissen, dass die glossae Placidi ein Glossar zum Plautus sind. . . Bergk vermuthet, dass die Plautusglossen (Paulus epitome p. 27, 14) schon mit *addues* beginnen. Dies wird wahrscheinlich dadurch, dass zwei jener Glossen bei Placidus wiederkehren. . . .' et in libello 'Zur Kritik der Glossae Placidi' Berolini a. 1872 evulgato de *gallicula* glossa, quam Lucilianam esse mox videbimus, haec habes: 'ich habe darauf aufmerksam gemacht, dass jene Glosse bei Paulus . . . in einer Reihe von Plautusglossen vorkommt. Beide Stellen stuetzen sich gegenseitig und zeugen fuer Plautinische Provenienz'.

Venimus ad eum, qui nuperrime Placidum edidit. A. Deuerlingius Luctatii glossas seorsum (hoc est propriis libris) traditas quoad eius fieri possit omnes ad Plautum referendas esse iudicat: atque eas quidem quae bonae notae sint neque vero in fabulis etiamnum superstitibus compareant, ad deperditas poetae comoedias, sive re vera Plautinas sive dubias spuriasve, quae autem ad tempora Plautina nullo modo revocari possint, eas putat aut antiquis Plauti commentariis intextas fuisse aut Placidi libris extrin-

---

1) Spectant haec ad Placidi glossam III p. 497 M. = p. 79, 3 D.: *Romam ex aquilone retiae stringunt: vel conlimitant vel finibus se eius adiungunt.* Vix putaverim haec verba Plauti esse; namque cum 'Romam ex aquilone | Raeti destringunt' scribendum videatur (v. Mus. Rhen. t. XXXI (a. 1876) p. 70), dactylici potius poetae fragmentum agnosco.

secus adiectas: vide praefationem p. X sqq. Aliam autem esse rationem Placidi glossarum in *G* (hoc est in 'libro glossarum') traditarum, quo in numero multae insint ad Vergilium, res grammaticas, al. spectantes: id quod sane verum est. Neque nos amplius curabimus eas ex his glossis, quae noviciae originis speciem aperte prae se ferunt, praesertim cum de nulla suspitio oriri non possit Placidi nomen falso adiectum esse (v. Deuerlingii praefationem p. XIII). Ceterum Deuerlingio quoque glossarii Plautinitas, ut ita dicam, adeo certa videtur esse, ut Kettneri de glossarum Plautinarum ordinibus opinionem ut suam p. XI iterare non dubitet.

Vidés quam diversae sint de quaestione satis gravis momenti virorum doctorum sententiae. Iam ut qua de re agatur plane appareat, repetendum videtur quaeri, utrum Placidi glossarum ut hac voce utar medulla, hoc est glossae vetustatis quadam specie insignes, titulo illo codicis Corsiniani duce ad unum Plautum revocandae sint an ad alios quoque praeter poetam Sarsinatem fontes. Qua de re sic statuo, ut Placidi glossas ad vetustissimos Romanorum scriptores spectare putem omnes, haud aliter atque Festi (Verrii Flacci) corpus, Plautinas autem frequentiores esse aliis. Negari enim non potest a Ribbeckio et Kochio non nullas glossas ad alios poetas recte relatas esse: neque desunt quae addi possint, quode vide Musei Rhenani t. XXXI (a. 1876) p. 71 sqq. Multo vero fortius ad nostram de hac re sententiam quasi compellimur eo, quod non paucas Placidi glossas ad Lucili saturarum certos versus spectare demonstrari potest. Quae quidem ratio quoniam ut Lucili et Placidi novissimos editores ita omnes quantum sciam viros doctos fugit, operae pretium esse duco paulo explicatius de his glossis agere. Qua in re reliquorum glossariorum glossas Lucilianas statim adiungemus, cum ibi quoque tam locupletis fontis reliquiae exstent. Comprobandi autem ratio eadem erit, quam in colligendis Plauti glossis secuti sumus: adhibebimus ἅπαξ εἰρημένα quae vocantur et ea vocabula perrara, quorum eosdem casus et apud Lucilium et in glossis repperimus.

Exordium petimus non a Festi Noniive ἀναλογίᾳ — quamquam est sane ἀναλογία minime spernenda, quod horum grammaticorum, sive glossographos appellare malueris, corpora cum glossariis magna ex parte quodam modo cognata, Luciliana exhibent permulta —, sed inde quod etiamnum in glossis Lucilius nominatim excitatur. Vel hinc enim sententiae nostrae multum probabilitatis nascitur. Namque si tres vel quattuor eius modi glossas exstare certum est, quid impedit quominus aliis quoque locis, ubi fontis indiculus ob librariorum incuriam vel eius qui glossas collegit neglegentiam intercidit, pariles relliquias — obscuratas sane — latere censeamus? Ac quinque quidem locis Lucili nomen traditum legere me memini. Quo ex numero unum statim segregabimus. In excerptis enim Pithoeanis p. 69 *noxit*: *noceat Lucill.* editum est. Respicit glossa ad versum 'ex libris incertis' undequadragesimum (frgm. XIV p. 136 ed. Muell.): *inguen ne existat, papulae, tama, ne bova noxit.* Quod additamentum[1]) non dubito quin a Scaligeri manu profectum in Pithoeana pervenerit. In apographo enim Burmanniano[2]) 'Lucill.' eodem modo adscriptum est quo non nullae aliae 'doctorum phoenicis' adnotatiunculae: parvo nimirum interiecto intervallo, quamvis *S* nota plerumque adpicta hoc loco desit. Itaque ut iam mittamus illud testimonium, quattuor restant, quae ex egregio 'Philoxeni' glossario hauriemus. Qua in re praeter Stephani Vulcaniique editionem (non editiones), Scaligeri e Parisino 7651 excerpta, scripturas ex eodem fonte a Friderico Osann programmate Gissensi a. 1826 editas, quorum omnium adnotamenta minime inter se consentiunt, praesto mihi fuere quae ex unico codice petita Aemilius Baehrens benevolentissime mecum communicavit.

I. Philoxenus p. 19, 45: *aquilum*: μέλαν, ὡς Λουκίλλιος = inc. frgm. LXXIX Muelleri, ubi μέλαν mendum est tralaticium. Cum enim Osannus et Baehrensius e codice

---

1) Codex ille Vossianus Oehleri l. s. s. p. 247 nihil exhibet nisi *noxit*: *noceat*.

2) Cf. supra p. 38 sqq.

ΜΕΛΑΝΟΝΩΛΟΥΚΙΛΛΙΟϹ enotaverint, potius *aquilum*: μελανόν, ὡϲ Λουκίλλιοϲ scribendum esse nemo non videt, atque μελανόν quidem ex usu posterioris aetatis: cf. excerpta Stephani p. 333, 40 *nigellum*: μελανόν et Cyrillum p. 535, 48 μελανή: *atra, nigra.* Sed hoc secundarium est; illud multo gravioris momenti, quod hac una glossa adhibita luculentissime demonstrari potest glossaria, in brevius quippe paullatim contracta, fontium indices noniam retinuisse. Saepissime enim haec ipsa glossa, quam Lucilianam esse certo scimus, poetae nomine non addito in glossariis mere latinis traditur. Cf. quae subiecimus:

aquilum: *fuscum, nigrum*

cod. Vossianus Fol. 82; glossar. Hildebrandi p. 14, 121 et 151, 294 (*fuscum nigrum aquilum* hoc loco); cod. Leidensis 67 F[1] f. 6^{r}b; cod. Bernensis 258 f. 50^{v}a; cod. Bernensis 224 f. 200^{v}b; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Amplonianus[2] p. 270, 307 (*fustum vel n.*). Cf. etiam Papiae glossam contaminatam: *aquilum antiqui dicebant fuscum vel nigrum.*

aquileum: *fuscum vel nigrum*

'liber glossarum': vide cod. Sangermanensem (Hildebrando p. 14b et Du Rieuo testibus); glossarii fragmentum ab Hildebr. a. 1845 ed.; cod. Bernensem 16 f. 35^{v}b.

aquilium: *fuscum vel subnigrum*

cod. Amplonianus[1] p. 258, 56. Haec glossa prorsus singularis est, cum servaverit idem illud *subnigrum*, quod apud Festum Pauli p. 22, 2 habes: *aquilus color est fuscus et subniger.*

Lucilianae huius glossae memoria mere latina accurate collecta hoc quasi lucramur, quod poetae illud fragmentum nunc multo aptius magisque proprie *fuscum, subnigrum* explicatum habemus. Fuit enim 'aquilus' color *fuscus, subniger* (cf. Festum Pauli l. s. s.), sive *nigro proximus, fuscus* (cf. glossam *aquilus color*: *nigro proximus, fuscus*, ex parte etiam cod. Leidensi 67 E f. 7^{v}b servatam), sive etiam *fulvus*, si fides habenda est codicum Amploniani[3] p. 274, 178 et Deycksiani glossae *aquilus*: *fulvus*[1]). Praeterea inde cognoscitur nova fragmenti illius scriptura quae est *aquilium* (cf. 'libri glossarum' et codicis Amploniani testimonia). Iam

---

[1]) *aquiluus* uterque cod. Pro *fulvus* reliquis glossis ducibus fortasse *fuscus* scribendum est.

cum alibi quoque *aquilus* in codicibus *aquilius* scribatur, Hildebrandus ad glossarium Parisinum p. 14b utramque formam exstitisse putat. Mihi contra *aquilus* unice vera esse videtur maxime propterea, quod ubi codices non nulli *aquilius* similesque formas exhibent, alii non peioris notae easdem sine *i* littera servarunt. Sic res se habet in illa glossa, cuius memoriam supra collegimus, nec minus in eis quae ad *deos aquilos* spectant. Veluti glossam

di aquili: *manes inferi*

cod. Leidensis 67F[1] f. 18^{v}a et cod. Bernensis 224 f. 207^{v}c (***draquili***: ***manus invidi***, atque ita quidem ut ***dra-*** litterarum ordine defendatur); cod. Leidensis 67E f. 18^{v}b (***manus inuidi***); glossa 'Isidori' p. 677, 13 (***draquiti manus invidi***); cod. Vossianus Fol. 24 (***draquilini manus impii***).

codex Amplonianus[2] p. 296, 102 sic prodidit: *diaquilu*: *manus inferi*, ubi *aquilu* nihil est nisi *aquilii*. Et Placidi p. 30, 16 *di aquili*: *dii inferi*[1]); *aquilos*[2]) *antiqui nigros dicebant* codices Hamburgensis et Maiani *di aquilii* exhibent: similiter Pauli epitomae l. s. s. libri Monacensis Guelferbytanusque *aquilus color*, excerpta autem post Salomonis glossarium adiecta f. 244^{v}a *aquilius color*. Praeterea certum est Plautum in Poenuli versu supra p. 273 excitato *aquilo* forma usum esse, eandemque habes in adiectivo composito *subaquilus*, quod etiam in glossis meis sine *i* littera traditum exstat. Mirum sane est tam saepe corruptelam illam redire: neque enim (quode cogitaverit fortasse quispiam) *Aquilius* nomen eius rei causa fuit.

II. Non minus ad persuadendum idonea est altera Philoxeni reliquorumque glossariorum memoria Luciliana, de qua accuratius agendum erit, cum prorsus novi aliquid inde sit redundaturum. L. Muelleri ex libris incertis fragmentum LXXX p. 147 hoc est:

'glosae Stephani 105: *gullucae* (ita M [hoc est Lucianus Muellerus], *gulliocae* Vulcanius, *gutilliocae* cod. Paris. 7651,

---

1) Huius glossae pars in glossaria e Placido neutiquam derivata aliunde permanasse videtur. Habes enim in codicibus Vossianis Fol. 24 et Fol. 82 ***dii·aquilini*** (scr. ***aquili***): ***dii inferi***.

2) ***aquilos enim*** Deuerlingius, secutus ille Papiam.

culliola Muellerus ad Festum p. 50) κάρυα (κάροια Steph.) ἄκρα (sic Osannus, μακρα codex) παρὰ Λουκιλλίῳ.'

Fragmentum difficillimum et tam obscurum, ut nullius hucusque usus sit. Glossa illa Philoxeni a Stephano Vulcanioque p. 105, 16 sic edita est: 'Gutilli ōcae, κάροια μακρὰ, παρὰ Λουκιλλίῳ', unde non mirum quod Labbaeus II p. 83c tale lemma finxit: *gutilli oncae.* Sed aliud exstat in Parisino, quode Osannus iam a. 1826 recte testatus est, parum curatus ille a L. Muellero, qui *gutilliocae* ibidem scriptum esse contendat. Exhibet enim codex: 'Gutullio cae ΚΑΡΟΙΑ ΜΑΚΡΑ ΠΑΡΑ ΛΟΚΕΙΛΙΩ' (with Υ written above the Ο of ΛΟΚΕΙΛΙΩ). Ad idem autem vocabulum[1]) nemo non videt etiam Festum Pauli p. 98, 12 spectare: *gulliocae: nucum iuglandium summa et viridia putamina,* quo loco usi in Philoxeni glossa Scaliger — neque enim Vulcanii[2]) coniecturam esse e Scaligeri ad Paulum l. s. s. adnotatione disci poterat — *gulliocae* et Osannus l. s. s. κάρυα ἄκρα scribendum proposuerunt. Aliter rem instituit L. Muellerus. Namque ut saepe apud Philoxenum eiusdem egregiae glossae duplex memoria exstat, sic huius quoque Lucilianae. Habes enim p. 105, 8 *gulluca:* κᾶροιοτομια[3]), itemque in codice scriptum esse scio. Hac glossa duce Muellerus Lucili fragmentum *gullucae* scripsit. At neutram emendandi viam ego sequor, quoniam plane aliam eiusdem sine ulla dubitatione vocabuli[4]) memoriam servavit idem Festus Pauli p. 50, 12: *culliola cortices nucum viridium dicta a similitudine culleorum, quibus vinum sive oleum continetur.* Quid iam faciendum? Hic habes *culliola*[5]), illic *gutulliocae,*

---

[1]) Tam enim similia sunt utrobique lemmata (*gutulliocae* et *gulliocae*) neque minus interpretamenta (agitur et hic et illic de nucibus), ut dubitari nullo modo possit.

[2]) Vulcanius sane suam fecit 'notarum' p. 42, 35: 'lege *gullioc*ę κάρυα μακρά'.

[3]) Num forte καρυοτομια interpretamento glossographus 'nucis putamina' parum apte reddidisse censendus est? Multas sane Philoxeni glossas translatas esse vidimus.

[4]) Dudum hoc intellectum est.

[5]) Atque *cull-* litterae ipsis Festi verbis quodam modo stabiliuntur; comparantur enim *cullei.*

gulluca, *gulliocae*: certum nihil est, si quid video, nisi quod loco illo saturarum deperdito iam scholiastae veteres discrepantes scripturas traditas reppererunt, ita tamen ut de significatione vocabuli dubitari non posset. Iam accedit tertia memoria eaque omnium optima, Placidi quaedam glossa a Fulvio Ursino iam adhibita et ab O. Muellero ad Festum iterata, nihilo tamen setius a Luciano Muellero neglecta, quae sic currit[1]):

gallicola[2]): cortice nucis iuglandis viridis, per quem corpus humanum intellegi vult

Cuius glossae lemma et interpretamentum si cum eis contuleris, quae e Philoxeno et Festo modo dedimus, haud cunctanter nobis concedes Placidi quoque locum Lucili illud vocabulum exhibere. Iam tria ni fallor hinc peti possunt. Ac primum quidem illud, quod de forma vocis obscurae certa procul dubio sententia praesto est. Dubitanti enim mihi de re non mediocriter difficili Fridericus Ritschelius succurrit, qui *callicola* sive *gallicola*[3]) ingeniose perspexit *callum* vocis diminutivum esse: dicitur nempe foliorum, fungorum, uvarum, pirorum, malorum callum. Praeterea autem e Placidi illa glossa discimus, quinam casus vocabuli restituendus sit: *calliculā* ablativo Lucilium usum esse 'cort*ice*' interpretamentum docet. Novum igitur exemplum habes eius rationis, quam in Museo Rhenano l. s. s. p. 70 sqq. explicatius exposuimus. Denique — id quod omnium gravissimum est — sententiam loci Luciliani Placidus facit ut cognoscamus.

---

[1]) Cf. Mai III p. 467; VI p. 562b; glossar. Salomonis f. 84^{v}a; glossar. post Salomonis glossas adiectum f. 263^{v}a; cod. Leidensem 67 D f. 25^{r}c, imprimis autem Deuerlingium p. 49, 14.

[2]) *gallicula* Deuerlingius: ego certa de ratione *gallicola* praetuli. Utraque enim scriptura in libris Placidi exstat.

[3]) Videtur enim *gallicola* forma defendi posse, ut e *callicola* emollita. Ceterum hinc alienum vocabulum ὁμώνυμον *gallicula,* quo significatur calciamenti genus (diminutivum vocis quae est *gallica*: cf. *gallicul ae calciamenta sunt pastorum,* quae glossa e Salomonis glossario erui potest, et *gallicas*: *sandalias graece* cod. Amplonianus[2] p. 335, 7); potest sane hinc non alienum esse *gallicula* = 'signum vestis', quod in 'libro glossarum' servatum est: cf. velut Mai VII p. 562b et glossarium Salomonis.

Ille enim ex quo haustum est vocabulum — fuisse autem Lucilium ex Philoxeno constat — 'per illud voluit intellegi corpus humanum'. Hinc apparet Lucilium in satura nescio qua corpus humanum cum nucis iuglandis viridibus putaminibus comparasse, ita ut non sine probabilitate conicere nobis videamur animam corpori humano insitam a poeta cum ipsa illa re quae in nuce inest, cum nucleo ni fallor, collatam esse. Quam praeclare autem eius modi comparatio ad Lucili usum illum quadrat suavissimum, exemplis e vita humana et rerum natura depromptis sententias explanandi et illustrandi! Illuc spectant velut haec fragmenta, quibus quae addi possint restant non pauca.

III, 4 sq.: Viamque degrumabis uti castris mensor facit olim

III, 34 sq.: Porro homines nequam, malus ut quartariu' cippos collisere omnes

XV, 7 sqq.: Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena vivere et esse homines: sic istic omnia ficta vera putant, credunt signis cor inesse in ahenis

XIX, 5: Ut pueri infantes faciunt mulierculam onustam

XX, 5: Iam disrumpetur medius, iam, ut Marsu' colubras disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis

XXVII, 18 sq.: Ut mercede quae conductae flent alieno in funere praeficae, multo et capillos scindunt et clamant magis

inc. 107: Ut veles bonu', sub vitei qui subicit hastas

inc. 152 sq.: Velut ollim, auceps ille facit cum inproviso insidiisque

VII, 14: Sic movet ac simat nares delphinus ut olim

VI, 12: Nequam et magnus homo, laniorum inmani' canes ut

VI, 13 sq.: Uno oculo pedibusque duobus dimidiateis ut porcus

IX, 77: Scaberat, ut porcus contritis arbori' costis

XXIX, 114: Paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa

XXX, 110 sq.: Hic ut muscipulae tentae atque ut scorpio' cauda sublata

III, 8: Broncu' Bovillanus, dente adverso eminulo hic est, rhinoceros velut Aethiopus

VII, 32: Primum fulget uti caldum ec fornacibu' ferrum

III, 29 sq.: Crebrae ut scintillae, in stricturis quod genus olim ferventi ferro

inc. 117 sq.: Et velut in fabrica fervens cum marculu' ferrum multorum magnis incumbentum ictibu' tundit

XXIX, 118 sq.: Ventrem alienum maestum fovere ex molito hordeo uti cataplasma

inc. 53 sq.: Quam lepide λέξεις conpostae, ut tesserulae omnes arte pavimenti atque emblemati' vermiculati

inc. 37: Iactans me ut febris querquera

III. Philoxenus p. 141, 34 *muttonium*: προβασκάνιον[1]), Λουκίλλιος[2]). Statim adiungimus eiusdem glossae truncatam et corruptam memoriam p. 141, 35: *muttonius*: προβασκάνιον. Hoc fragmentum apud Muellerum est ex incertis libris XXVII: alii contra ad certos Lucili versus referendum putaverunt. Velut Osannus in indice lectionum saepius iam adhibito et Iosephus Klein in Musei Rhenani t. XXIV (a. 1869) p. 289 sqq. ad XXX, 127 *et Mutoni'* (sic Festus; *Musconi'* Nonius) *manum perscribere posse tagacem*: parum considerate, cum *Muto* sive *Musco* pro nomine proprio ibi habendum sit. Scaliger ad Priapeia LXXII eandem glossam ad versus II, 13 sqq.:

---

[1]) Sic codex, non προβασκάντον, quod mendum typographicum esse videtur.

[2]) Λούκιος cod., quod non Vulcanius 'notarum' p. 51, 53 primus emendavit, sed Scaliger, id quod L. Muellerus ex illius ad Priapeiorum c. LXXIII adnotatione (p. 154 editionis Patavianae a. 1664) haurire poterat.

Nam quid Moetino subrectoque huic opu' signo,
Ut lurcaretur lardum et carnaria fartim
Conficeret?

revocavit[1]): ne hoc quidem probabiliter propterea, quod *Moetino* forma a *muttonium* nimium distat. Restat tertius locus, de quo ego cogitaverim. Libri enim octavi in fragmento V (v. 7 p. 40) *a laeva lacrimas muttoni absterget amica*[2]) quid impedit quominus *muttoni* non dativum *mutto*, sed genetivum *muttonium* vocis esse censeamus? Neque enim obstat, quod *mutonium* glossographus interpretatur προβασκάνιον, hoc est idem quod *amuletum* Romani posteriores nominabant: reddidit haud dubie parum accurate interpretamentum latinum *fascinum*, quod hic non *amuletum* est, sed *membrum virile.* Ipsae Philoxeni glossae hoc docent, in quibus duae aliae exstant idem vocabulum Lucilianum exhibentes neque tamen ab ullodum adhibitae. Sic p. 141, 43 habes: *mutonium*: πρόcθεμα, ubi Vulcanius 'notarum' p. 51, 54 (an Scaligeri coniectura est?) πέοc emendandum putat, ego non item, cum etiam πρόcθεμα *penem* significet. Quarta fortasse glossa eodem spectat p. 141, 44 *mutulosus*: ψιλή. Nempe improbo emendationem Vulcanianam l. s. s. p. 51, 58 *mentulosus*: ψωλώδηc, potius *mutunius* (hoc est *muttonium*): ψωλή latere suspicatus: cf. Philoxeni glossam supra excitatam 'muttonius: προβαcκάνιον'; Labbaei I p. 146a[3]) *mutunium*: πέοc, quae glossa *E* nota insignita neque tamen e Stephani 'Excerptis' petita est; Cyrilli p. 665, 1 ψωλή: *mencla* (hoc est *mentula*). Vocis obscenae licet ab eo qui Philoxeni glossas collegit satis adamatae non exstat tamen quinta memoria p. 141, 5 *mutonium*: κυδώνιον, ubi nisi *cutonium* sive potius *cotonium*: κυδώνιον[4]) scripseris, de medela ego de-

[1]) Non attulit hanc coniecturam L. Muellerus, licet Scaligerana sit.

[2]) Non commemoravit Lucili editor Hermannum in Elementis doctrinae metricae p. 423 *a levi lacrumas mutone absterget amica* scribendum proposuisse et Anacreontis frgm. 31 (p. 403 Anthologiae Bergkianae minoris): δακρυόεccάν τ' ἐφίληcεν αἰχμάν comparasse.

[3]) Falso apud eundem II p. 118b *o* nota addita est: nam non in '*O*nomastico' glossa exstat.

[4]) Cf. Philoxenum p. 56, 31 *cotoneum*: κυδώνιον.

sperabo. Quinque glossis bilinguibus *mutonium* vocabulum servatum esse vides: in mere latinis nostris nulla est quae aliquo modo huc pertineat praeter unam codicis Leidensis 191[3] *muto: priapus.*

IV. Philoxenus p. 11, 16 (neque aliter codex): *acactum:* ἄκανθα, ὡς Λουκιανός. Pro ΛΟΥΚΙΑΝΟC Vulcanius (nisi forte Scaliger) 'notarum' p. 7, 22 scripsit ΛΟΥΚΙΛΛΙΟC, unde apud L. Muellerum habes ex incertis frgm. LXXXI. Lemma glossae Vulcanius et Salmasius, quos sequitur L. Muellerus, in *cactum* mutarunt, Osannus in *acantum* sive *acantus* sive *acantium*, quarum coniecturarum has nullo modo probo, de illa dubito.

Haec quattuor[1]) exempla, imprimis autem priora illa duo plane docent non illud solum Lucilium in glossariis nominatim excitari, sed etiam (id quod gravioris paene momenti est) glossas Lucilianas sine fontis ullo indice ibi latere (cf. *aquilum* et *gallicula*). Idem nunc demonstrabimus adhibitis talibus glossis quae, quamvis ipsum Lucili nomen additum non habeant, maxima tamen cum probabilitate ad certos saturarum versus referri possint.

I. Certo scimus testimonio Lucilium *carissa* vocabulo usum esse, quod utrum ad virum an ad feminam spectet non satis apparet ex Pauli epitoma p. 44, 3: 'earissam apud Lucilium [fragm. ex incertis libris LIX p. 144] vafrum[2]) significat'. Nam *uafram* codex Monacensis ut videtur, *uafrum* reliqui, etiam Leidensis 116 L. Muelleri et glossae post Salomonis glossarium adiectae f. 249[r]b.

---

[1]) Fieri potest ut in hac quoque Philoxeni glossa:
adfatio: ἐπίλογος, ἀπόφασις, προσομιλία, ὡς ΠΛΟΥCΙΟC
p. 5, 17. ἀπόφασις scripsi, collata Philoxeni p. 5, 9 glossa 'adfatu: ἀποφάσει, προσφθέγματι': πρόφασις cod., pro quo Vulcanius πρόσφασις proposuit, vocem alibi ut videtur non traditam.
Lucili nomen lateat; dici enim nequit quam saepe librarii LUCILIUS in LUCIUS corruperint. Minus, si quid video, probabilis Vulcanii coniectura Plauti nomen restituentis, multo etiam minus Iosephi Klein in Museo Rhenano l. s. s. de Plautio cogitantis.

[2]) Apud O. Muellerum in ipso contextu *vafram* positum est, quod mendum typographi esse adnotatio docet.

Multo accuratiora de hac voce e glossariis discimus. Apud Philoxenum sane p. 34, 50 habes *carisa*: μαυλιστής, πορνοβοσκός: sed alia interpretamenta in glossis mere latinis.

carisa: *vetus lena percallida, unde et in mimo fallaces ancillae 'cata carisia'*[1]) *appellantur*

Placidus p. 27, 17: cf. Mai III p. 449 (*lana*); VI p. 559b; glossar. Salomonis f. 29ʳa; cod. Vossianum Oct. 24; Osbernum p. 98; Iohannem de Ianua v. *carisia*; al.

L. Muellerus curavit non hanc glossam — licet iam ab O. Muellero ad Festum l. s. s. excitatam —, sed misellam 'Isidori' p. 675, 54 *carisia*[2]): *lena vetus et litigiosa: ancilla dolosa, fallax.* Quae quin ad Hugutionis sive Iohannis de Ianua sive Osberni turbelas redeat equidem non dubito. Sic enim Osbernus[3]) p. 98: '... a careo ... carisa, sae .i. vetus lena et litigiosa; unde et fallaces ancillae carisae dicuntur, quia veritate carent' et similius etiam Iohannes de Ianua: 'carisia: ... lena vetus et litigiosa .., unde et fallaces ancillae carisiae dicuntur'. Horum autem fons ipsa illa Placidi glossa est, quam 'libri glossarum' nescio quae epitome ad eos perduxit. Praeterea unam novi codicis Vaticani 3321 f. 18ʳ (unde edidit Mai VI p. 514a) *carisa*: *lena est dupla*, ubi quo modo *dupla* emendandum sit nescio: *dolosa* sive *vetula* cum mihi in mentem venissent, vidi in eadem vocabula iam Hildebrandum ad glossarium Parisinum p. 44a incidisse. Neutrum tamen omni ex parte placet[4]). Iam ut comprehendam his ex glossis quid lucri redundet, hoc ni fallor est:

1) omnes vocem per *s*, non per *ss* scriptam exhibent;

---

[1]) 'cata carisia' nemodum emendavit: *catae carisae* Hildebrandus ad glossarium Parisinum p. 44a et *cata carisula* Ribbeckius tentaverunt.

[2]) *Carissa* Vulcanius et quicunque glossam adhibuerunt, sed *carisia* Scaligeri liber et excerpta Pithoeana p. 58. Eodem spectat 'codicis' Vossiani p. 239 scriptura *carilia*.

[3]) Idem in 'repetitionibus' p. 141a *carisa*: *vetus lena*.

[4]) Num forte huc facit usus *duplex* vocis pro *callidus, fallax* usurpatae, qualem habes etiam in glossario Monacensi 6210 p. 370: *altriplicem*: *dupplicem, dolosum*? At nusquam *duplus* hoc modo videtur usu venire.

2) glossarum interpretamenta planissime ad 'len*am* calli-d*am*' spectant.

Itaque apud Paulum *vafram* scribendum esse videtur, et censendum Philoxeni glossam *lena* interpretamento in *leno* corrupto translatam esse μαυλιστής, πορνοβοσκός: nisi forte praestiterit ita rem sibi informare, ut iam antiquitus de vocabuli illius apud Lucilium significatione duas opiniones exstitisse diversas putemus, qualis quidem ratio minime esset singularis. Quod autem ad ἔτυμον vocis attinet, obscurissimum est neque quidquam lucis inde oritur, quod gemella paene glossa inter Amplonianas[1] p. 285, 366 exstare videtur *carier*: *leno*. Quae quoniam supra prolatae *carisa*: *lena* . . . simillima est cum a lemmate tum maxime ab interpretamento, Oehlerus l. s. s. p. 239 eiusdem utramque vocem originis esse suspicatur, assentiturque Hildebrandus ad glossarium Parisinum p. 44a. At dolendum est quod, si reliquorum illius glossulae fontium consensum sequimur, *carier* non potest non videri unius codicis Amploniani[1] pro *canier* corruptela. Cf. glossae memoriam quam subiecimus.

canier: *leno*[1])

cod. Amplonianus[2] p. 286, 26; Mai VI p. 513b; glossar. Salomonis f. 27^{v}a; glossarium Hildebrandi p. 44, 32; eiusdem cod. Leidensis 67 F[3] (*cannier*); cod. Sangermanensis Hildebrando l. s. s. teste; Papias (*leo*); cod. Vaticanus 3321 f. 18^{r}; cod. Vossianus Fol. 24 (*leo*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Sangallensis 912 p. 46; cod.

---

[1]) Glossam obscurissimam pauci attigerunt, neque quisquam feliciter. Matthias Martinius *canis* 'propter impudentiam' lenonum scripsit; Oehlerus l. s. s. p. 237 olim de *casnar*: *senex* se cogitasse dicit; Semlerus aut *ganeo leno* aut *canities*: *albedo* emendandum proposuit. Mihi si lemma et interpretamentum coniunxeris — tum habebis *canierleno* sive *canierleo* sive *camerleo* sive *canietleno* pro varia librorum memoria —, persimilis esse videtur *camelleo* vox, h. e. χαμαιλέων. Qua coniectura satis audacula si verum assecutus sim, in huius glossae archetypo interpretamentum intercidisse, lemma autem satis corruptum exstitisse censendum est. Ceterum ipsum hoc versipellis animalis vocabulum foede corrumpere solent qui glossaria describunt librarii. Cf. exempli gratia codicem Leidensem 67E f. 12^{v}b: *camelleas buias dicunt id est humilis leo*, ubi de chamaeleonte sermonem esse facile apparet, quo autem modo emendandum sit difficilius. Fortasse sic: *cameleontas* b e l u a s *dicunt, id est humiles leones.*

Leidensis 191[3] (*camer leo capoleos,* ubi *capoleos* novae glossae lemma esse videtur; cf. glossarium Salomonis: *capoleos*: *decem ciuitates*); glossae Isidori p. 673, 18 (*levo* mendum Vulcanianum). *caniet*: *leno* in 'libro glossarum', velut Mai VII p. 554a = cod. Palat. 1773 f. 63[v]; cod. Sangermanensis du Rieuo teste; cod. Leidensis 67 D f. 11[r]a; cod. Ambrosianus B 36 inf.

Quod cum ita sit, 'ca*n*ier' nihil commune habere cum 'ca*r*issa' per se patet.

II. Lucilius XXVII, 27 p. 93:

Víginti domi án triginta an céntum cibicidás alas

Versum Nonius servavit p. 88, 8, ubi *tibicidas* et in lemmate (cuius interpretamentum intercidit[1]) et in ipso versu scriptum est, ut tamen litterarum ordine '*c*ibicidas' postuletur. *Cibicida* etiam glossa servavit Philoxeni p. 39, 6 *civicida*: cκατοφάγοc, iam a Dousa adhibita et in *cibicida*: cιτοφάγοc correcta. Eiusdem autem memoria mere latina exstat in codice Amploniano[3] p. 292, 97 *cibicida*: *stercus comeda,* quam integram exhibet fragmentum Deycksii p. 13b *cibicida*: *stercus comedens.* Si quae supra p. 133 coll. 192 disputavimus recte se habent — quode vix dubitari posse videtur —, haec ex illa pendet, ut sat antiquam cκατοφάγοc scripturam esse appareat. Dousae autem coniectura L. Muellero probata parum si quid video commendabilis est cum, qui factum sit ut cιτοφάγοc, vox admodum plana et perspicua, tam miro modo in cκατοφάγοc corrumperetur, me equidem prorsus lateat. Verum dudum perspexit Du Cangius in Castigationibus Labbaei glossariis adiectis καταφαγᾶc proponens. 'Cibicidae' enim (ut recte etiam L. Muellerus interpretatur) illi sunt qui 'cibum caedunt[2]), interficiunt', servi ni fallor, cum de la Cerda Advers. sacr. CLXXXV, 4 p. 494a de 'cibicidis' ut de 'ciborum diribitoribus' parum probabiliter cogitasset.

III. Lucili libri II frgm. XI v. 18 sq. Nonius p. 25, 13 servavit: 'catax dicitur, quem nunc coxonem vocant. Lucilius ..:

---

[1]) Quod in codicis Guelferbitani margine et in glossariolo Noniano (v. Commentationes philologae sem. Lips. a. 1874 ed. p. 248 et 250) *tibicinas* additum habes, videtur haec coniectura esse nescio cuius de 'tibiis canendo' perversissime cogitantis.

[2]) De hoc *caedere* verbi usu v. Georgium Goetz in Actis soc. phil. Lips. t. IV p. 354 sqq. disputantem.

. . . . . Hostiliu' contra
Pestem perniciemque catax'.

Nusquam praeterea haec vox exstat, si exceperis mythographum quem vocant Vaticanum II, 176 Mai Classic. auct. t. III p. 61b: 'catax tamen permansit [Vulcanus]'. E tali scriptore glossographos sua petiisse cum a probabilitate prorsus abhorreat, ad Lucilium spectant hae glossae[1]):

1. *catax: a coxa claudus*

cod. Amplonianus[1] p. 285, 359 (*cadax*); cod. Amplonianus[2] p. 286, 15 (*catex*); Papias; cod. Leidensis 67 F[5] f. 124[r]a (*axaxo cludus*); glossarium vetus codicis regii 7613 apud Du Cangium (*cosa*); cod. Vaticanus 3321 f. 19[r] = Mai VI p. 514b (om. *claudus*); idem f. 18[v] = Mai l. s. s. (*aut clox ā clodus*, quae est interpretamenti *a coxa claudus* foeda corruptela).

2. *catax: clodus a coxa*

cod. Sangallensis 912 p. 41; idem p. 59 (*coltax*); cod. Amplonianus[2] p. 288, 177 (*coltax collo dura coxa*, ubi *d* ex *t* facta esse videtur).

Ad eandem glossam refero has paullulo sive breviores sive ampliores:

catax: claudus

cod. Sangermanensis du Rieuo testė (*clodus*); cod. Leidensis 67 D f. 12[v]c (*clodus*); glossae Arabicae p. 702, 54.

catax: claudus coxa

e glossis *affatim*: cf. glossas Turnebi; cod. Vossianum Fol. 26 (*catox .. coxa consentaneus*); cod. Leidensem 67 F[1] f. 13[r]a (*catex .. coxa consentaneus*); cod. Bernensem 224 f. 205[r]b (*catox .. coxa consentaneus in alio catax*).

Quae huic glossae agglutinata est vox *consentaneus*, consulto ut videtur a Turnebo omissa, ea lemma est alius quam *consentaneum: conveniens, aptum* olim fuisse conicio, cum in codice Leidensi 67 F[5] f. 124[r]a hae duae iuxta se positae exstent:

catax: axaxo claudus
consentanium: conueniens, aptum

Haec glossa *a* vocula post *claudus* omissa ex illa quam supra posui nata esse videtur: minus probaverim, si quis *coxo* pro *coxa* scribendum proponat.

---

[1]) Cf. etiam Festum Pauli p. 45, 4: *catax: claudus.*

catax: *claudus a coxa vel claudicans*

cod. Ambros. B 36 inf. (*coltax clodus*); gloss. post Salom. f. 256^{r}b (*coltax* . . *claudans*); cod. Leidensis 67 D f. 14^{r}a (*coltax clodus*).

Haec aut plenior memoria glossae II est, aut illa ipsa cum nova *catax*: *claudicans* contaminata.

catax: *claudus a coxa, quod quasi gressus cadat*

glossarium Salomonis f. 30^{v}a.

Haec glossa a vetustioribus 'libri glossarum' exemplaribus aliena ad eandem originationem redit unde nata est similis quaedam, ad Ugutionem ut videtur revocanda:

cadax: *claudus, qui saepe cadit*

Osberni Panormia p. 149 b; Iohannes de Ianua; glossae 'Isidori' p. 673, 22. Cf. etiam Du Cangii glossam latinoitalicam mscr.: *cadax*: *cadevole*.

Videbatur enim vox inaudita '*cat*ax' = *claudus* a '*cad*endo' derivata esse, qui error etiam lemma glossae pessumdedit.

3. *catax*: *claudus, coxus*

cod. Leidensis 67 E f. 12^{v}a; glossae 'Isidori' p. 674, 55.

Coxus illud vulgare est vocabulum[1]) quemadmodum etiam *coxo*, cuius unus testis Nonius l. s. s., et *coxosus*, quod e glossa *coxosus*: *sciadicus*[2]) (cod. Amplonianus[3] p. 293, 136 et fragmentum Deycksii p. 14 a) eruimus.

Ceterum a *catax* derivatum est *cataclus*, quode vide Musei Rhenani t. XXXI (a. 1876) p. 59.

IV. Lucili ex incertis libris fragmentum XXVIII (p. 139) Festus[3]) Pauli servavit p. 175, 2: 'noctilugam Lucilius cum dixit, obscenum significat'. Quasi herba irrigua coniecturae ad hoc unum vocabulum spectantes succreverunt. De Pauli autem codicibus non verum est quod O. Muellerus adnotat '*noctilugam*] sic Paulus', secutus ille solos Guelferbitanum et

---

[1]) Cf. *coxus*: χωλός in Excerptis[2] Stephani p. 349, 52 (λολος, quod Scaliger emendavit).

[2]) *sciaticus* libri. *Sciadicus* ex *isciadicus*, hoc est ἰςχιαδικός, factum est ut *Spania* ex (*H*)*ispania* et alia multa.

[3]) In Festi codice lacunoso ipsum hoc vocabulum intercidit. Virorum doctorum supplementa Oehlerus loco quem statim indicabimus ut codicis memoriam profert.

Monacensem. Discrepant enim alii. Velut 'vetus codex V. Cl. Mercerii diserte scriptum exhibet *nocti nuga'* [1]) idemque e Leidensi 116 Lucianus Muellerus enotat, excerpta autem glossarii Salomonis — ut breviter loquamur — f. 273^{r}b et codex quidam Nansii a Vossio in Etymologico p. 346b commemoratus *noctiiugam*, ut taceam de altero Nansii codice, unde *noctigauam* idem Vossius ibidem excitat. Ac Scaliger quidem in 'Coniectaneis' *noctilugam* putaverat avem mali ominis esse noctu lugentem, ad quam *obscenum* vocabulum sane quadraret (cf. Vergilium Aeneidos XII, 876: *obscenae volucres*), minime autem ad Ursini *Noctilucam*, quae est luna, 'Ἑκάτη [2]). Lucianus Muellerus satis caste *noctiiugam* proposuit, quam coniecturam 'excerptorum' et codicis Nansiani memoria fulcire poterat. Iam Salmasius in 'Plinianis Exercitationibus' Traiecti a. 1689 editis p. 70b *noctipugam* emendavit veterum glossarum Palatinarum ope, ubi se repperisse testatur *noctipugam*: *obscaenum, quod quasi noctibus compungat*, ita ut *noctipuga* — quod νυκτίκεντρον vertit — virile fascinum significare ei videatur. Quo in vocabulo fingendo Lucilium putat *solipuga* vocis similitudinem secutum esse. Haec Salmasius, cuius emendatione etiam a Muellero Festi editore commemorata et laudata quo modo putas L. Muellerum usum esse? Haec habes in commentario Luciliano p. 276: '... *noctipugam* tutatur Salmasius glosis Palatinis, quas praesto esse sibi dicit: *noctipugam* ... *compungat.* sed de his nihil aliunde innotuit'. At — ut concedamus (quamquam non verum est) nihil aliunde de hac glossa innotuisse —, quid causae est cur Salmasiana coniectura reiciatur, confirmata illa glossa quadam, quam fictam esse ne L. Muellerus quidem contenderit? Et si fugit eum Classicorum auctorum tomus VI, ubi eadem glossa a Maio ter edita est, quidni respexit

---

[1]) Haec Salmasius eo quem mox excitabimus loco.

[2]) Ursinianum illud Stephanus in linguae latinae Thesauro permire ita interpretatur, ut *noctiluca* sit 'qui alteri facem ad libidinem praeferat'. Idem Stephanus ipse coniecit *noctilegum* 'a noctibus legendis' sive 'quia obscenius quid postulare locus videatur' *natipugam*, Nansius apud Stephanum l. s. s. *noctivagam*.

certe Franciscum Oehlerum, qui in Philologi t. XVII (a. 1861) p. 159 glossam Salmasianam apud Maium l. s. s. exstare docuit? Ego hanc eius memoriam novi:

noctipugam: *abscenum, quod quasi noctibus conpungatur*: cod. Vaticanus 3321 f. 104r, unde Maius VI p. 535b mendose edidit.

noctifugam: *obscenum, quod quasi noctibus conputatur*: alius Mai l. s. s. codex.

Eadem autem in librum glossarum recepta est, ubi Placido tribuitur:

noctipugam: *obscenum, quod quasi noctibus conpungatur*

cod. Palatinus 1773 f. 208r (*conpugatur*, N superscript) = Mai VI p. 568a, ubi male *noctipuga*; cod. Leidensis 67 D f. 34va (*noctipagam*); Papias (*noctipuga obscaena dicta . . . pungatur*: discrepat paullulum Papias Du Cangii); cod. Lipsiensis bibl. sen. CI f. 211va (*noctipungus ga gum ·i· obscenus qui in noctibus pungatur vel pungat*); Iohannes de Ianua (*noctipugnus . . . obscurus, quia quasi noctibus contra pugnatur vel compugnat*[1]).

Nihil igitur dubium quin Lucili fragmentum *noctipugam* scribendum sit. De scriptura autem interpretamenti testimonia a nobis collecta faciunt ut dubitari possit; nam omnia[2]) *conpungatur* exhibent, *conpungat* contra Salmasius, quem tacite correxisse censuerim. Quod sive fecit sive non fecit: verum tamen est; neque enim aliter sententia evaserit sana. *Noctipŭga*[3]) si significat 'obscenum, quod noctibus conpungat', eodem modo vox formata est quo *caelicola, agricola, transfuga* atque Luciliana illa *cibicida* et *canalicola*[4]). Ceterum iuvat addere anonymi cuiusdam scriptoris fragmentum nondum notum, quod aliquo modo huc spectare videbis.

---

[1]) Haec et his similia addere soleo non ut testimonia reliquis paria, sed eo consilio ut, quo modo corruptela prorepserit appareat.

[2]) Nullius momenti sunt codicis Lipsiensis (*vel pungat*) et Iohannis (*vel compugnat*) scripturae.

[3]) Falso enim Klotzius in lexico II p. 513b *noctipūga* metitur.

[4]) Lucili inc. XLIX. Hanc vocem Nonium p. 198, 4 falsissime interpretatum esse postquam Festo Pauli p. 45, 18 duce intellexi, idem L. Muellerum non fugisse e commentario p. 280 video.

cordipugis versibus: *litteris corda pungentibus*

cod. Ambrosian. B 36 inf. (*pungentis*); cod. Leidensis 67 D f. 14[v]c (*punguentis*). Cf. etiam Papiam.

V. VI. Festus p. 360b 18: 'tama dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit. Lucilius [ex libris incertis[1]) frgm. XIV]: *inguen ne existat, papulae, tama, ne boa noxit*'. Idem Festus breviatus p. 30, 13: 'bova serpens est aquatilis, quem Graeci ὕδρον vocant, a qua icti obturgescunt; crurum quoque tumor viae labore collectus bova appellatur', quem locum secutus[2]) L. Muellerus Lucilio *bova* restituit.

Fluxerunt e versu Luciliano hae glossae:

noxit: *noxia sit vel noceat*

Placidi glossa: vide Mai III p. 486 (*est* pro *sit*); Deuerlingium p. 68, 17.

Qua in glossa *noxia* cave opineris substantivum esse: est potius adiectivum feminini generis ad *bova* substantivum spectans. Ad Placidi glossam revocaverim etiam Scaligeri illam a Vulcanio non editam *noxit*: *noceat*[3]) (vide Pithoeana p. 69 et 'codicem' Vossianum Oehleri p. 247), quam 'libro glossarum' Scaliger debere videtur.

bova: *vehemens rubor; interdum genus serpentis*

Placidi glossa: cf. Mai III p. 436 (*boa*); cod. Palatinum Mai VI p. 556; glossarium Salomonis f. 24[r]a; cod. Parisinum reg. 7646 Du Cangii (*boba* et *robur*); cod. Sangermanensem Du Rieuo teste et cod. Leidensem 67 D f. 10[r]c (*boba* et *robor*); Deuerlingium p. 13, 4.

Vides Placidi quoque glossam 'bova' commendare. In aliarum lemmatis *v* littera intercidit. Cf.:

boa: ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνων

Philoxenus p. 31, 23: *bor* codex, quod Scaliger ad Festum l. s. s. emendavit. Post φλεγμαίνων substantivum intercidisse mihi videtur. Aliter interpretamentum Scaliger intellexit.

boa: *tumor pedum prae itinere*

fragmentum Deycksii p. 11b; cod. Amplonianus[3] p. 279, 47 (*bea* . . . *pro*).

---

[1]) Quo ex libro versus haustus esse videatur, in 'Coniectaneis Lucilianis' p. 241 sq. exposuimus.

[2]) Secutum se esse etiam 'iudicem euphoniam' dicit, cuius hac in re iudicium ego non agnosco.

[3]) De additamento 'Lucill.' vide supra p. 296.

boa: tumor vehemens

glossae Paulo insertae.

boa: serpens mirae magnitudinis, et tumor in crure suffuso sanguine

cod. Amplonianus[2] p. 278, 54 (*boas est serpens miremagnitudinis ... cruore*); cod. Vossianus Fol. 24 (*bor s. mure ... cruore fuso*); cod. Vossianus Fol. 82 (*bor ... cruore suffusus*); glossae Paulo insertae (*boas ... et incruore s. s. tumor*); gloss. Salomonis f. 24^{v}a (*boor ... mire .. timor in cruore suffusus*).

VII. I, 34 sq. (frgm. XXIX p. 5):

Ad cenam adducam et primum hisce abdomina thunni
Advenientibu' priva dabo cephalaeaque acharnae

attitarna: εἶδος ἰχθύος Philoxenus p. 22, 32
atharna: ἰχθύος εἶδος idem p. 21, 47

Eiusdem glossae apparet duplicem memoriam esse eamque et hic et illic corruptam: fuerat olim *acharna*, non *atharna*.

VIII. I, 41 (frgm. XXXV p. 6):

... artaenaeque et aquales

artena: εἶδος ποτηρίου ὀστρακίνου, ᾧ οἱ πρυτάνεις ἐν ταῖς θυσίαις χρῶνται

Philoxenus p. 21, 43: *atena* inter *at-* et ὀστράκου cod.; emendavit Scaliger.

IX. Paulus Festi p. 32, 1: 'bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari. Lucilius [ex incertis libris frgm. XXVI v. 54]: *haec* inquit *te imbubinat, at contra te imbulbitat.* imbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant βόλβιτον'. Ad versum Lucilianum spectant hae glossae:

1. *bubinare: sanguine inquinare: bubinarium autem est sanguis, qui mulieribus menstruus venit*

Placidi glossa: cf. Mai III p. 436 (*bibinare*; *binare* cod. Corsii); in 'libro glossarum' lemma fere *bibilionare* scribitur (sic cod. Vossianus Oct. 24[2]; glossarium Salomonis f. 23^{r}b; cod. Bernensis 16 f. 59^{r}a; *biblionare* cod. Sangermanensis Du Rieuo teste), *menstruis* et *inquinari* in non nullis exemplis (vide Deuerlingium), in omnibus autem *bibinarium*, quae est etiam Placidi librorum scriptura. Non debebat Deuerlingius *bibinare* et *bibinarium* in contextu intactum relinquere, cum in adnotatione *bubinare* et *bubinarium* scribendum proponeret. Similiter in cod. Sangallensi 912 *bibinare* lemma corruptum est, sed ita ut *bubinare* litterarum ordine postuletur.

2. *bubinare*: *sanguine inquinare mulieris menstruae*

bobinare*: *sanguine inquinare mulieri menstruae glossae 'affatim': cf. cod. Vossianum Fol. 26 (***bobimare***); cod. Leidensem 67 F[1] f. 11^{v}c (***muliebri***); cod. Bernensem 224 f. 204^{v}a (***muliebri menstrue***). 'bobinare' traditum repperisse eum qui glossarium collegit certum est.

bubinare*: *sanguine inquinare mulieris menstruatae cod. Leidensis 67 E f. 11^{r}a (***buminare s. inqinare muliebres menstruate***) = gloss. 'Isidori' p. 671, 32 (***buvinare***). 'mulier menstruata' in vulgata librorum sacrorum interpretatione non frustra quaeres.

bubinare*: *inquinare sanguine muliebri menstruo cod. Sangallensis 912 p. 39 (***bibinare,*** sed inter ***bu-***; ***minstruum***); cod. Vossianus Fol. 24 (***sanguine*** om.; ***mulieri monstrum***); glossae Pauli cuidam codici Leidensi insertae (***bibinare***; om. ***muliebri***).

bubinare*: *sanguine inquinare mulieri menstruum cod. Vossianus Fol. 82 (***muliebri monstrum***); cod. Amplonianus[1] p. 278, 77 (***muliere menstruum***); cod. Leidensis 191[3] (***sanguinare id est inquinare***: extrema parte interpretamenti omissa).

Si triplicem Festi, Placidi, reliquarum glossarum memoriam paulo diligentius contemplatus eris, unumquemque fontem aliquid ut ita dicam bonae frugis servasse non te fugiet: Festus Pauli integrum lemma exhibet et Lucili versum; Placidus, cuius lemma corruptum est, vocem unde derivatum est *bubinare*[1]); glossae nostrae lemma non corruperunt et *inquinare* scripturam, quam unice veram esse Lucili versus docet, tam tenaciter servarunt, ut nullus fons dissentiat, cum Pauli 'boni' libri omnes *inquinari* exhibeant, Placidi autem certe pars.

X. XI. Festus p. 142, 1: 'mamphula appellatur panis Syriaci genus quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur decidit in carbones cineremque, cuius meminit Lucilius [ex libris incertis LXII p. 144]: *pistricem validam,*

---

[1]) Egregiae Placidi glossae etiam aliam vocem huc spectantem servarunt p. 13, 14: ***bubino*** (***bibino*** libri): ***menstruo, id est fluore sanguinis.*** Hinc sine dubio formatum est ***bubinare*** = 'inquinare sanguine menstruo', ut Meursius fallatur qui in 'Exercitationibus criticis' II p. 160 sq. ***bubinare*** nihil esse nisi 'aliqua re inquinare' putet. Ceterum satis mihi suspectae sunt voculae ***id est,*** quibus deletis multo planior evadit interpretamenti sententia.

si nummi suppeditabunt, | *addas empleuron, mamphulas quae sciat omnis*'.

Ad alterum versum haec glossa spectat:

mamphulae: panes Syrici

cod. Bernensis 258 f. 180^{v}c (*mamphile pannes sirici*).

Praeterea cum *pistrix* vocabulum nisi in hoc versu nusquam traditum exstet, Philoxeni glossae p. 162, 19 *pistrix*: κῆτος καὶ ἀρτοποιός, quae e duabus hisce

pistrix: κῆτος
pistrix: ἀρτοποιός

in unam contracta est, alteram partem ad Lucilium rettulerim. Contra quod Onomastici p. 111 *pistrix*: ἡ σιτοποιός et Osberni p. 415 *pistrix . . . pro muliere dicitur, quae pinsit* locos οὐδὲ γρῦ curavimus, hoc certis de rationibus factum est.

XII. Nonius p. 88, 16: '*canicas* veteres furfures esse voluerunt. Lucilius lib. XXVII [frgm. XXI p. 93]: *quanti vellet † quam canicas ad pultem e maconis manu*'. Glossae nostrae:

canicae: furfures cod. Sangermanensis Du Rieuo teste (*canictę fur fures*); cod. Leidensis 67 D f. 11^{r}a (*camictę*); Papias (*canictae*).

canicas: furfures glossarium Salomonis f. 27^{v}a; Mai VII p. 554a (*canictas*) e codice Palatino 1773.

Miram concedo esse *canictas* apud Maium scripturam, cum proxime accedat ad 'libri glossarum' reliqua testimonia. Iam cum glossarii Salomonis memoria *canicas: furfures* valde mihi suspecta sit — videtur enim e Nonio fluxisse, qualia quidem exempla in ipso 'libro glossarum' exstant nulla, in glossario Salomonis paucissima[1]) —, non dubito quin Maius *canictas* falso ediderit sitque in Palatino potius *canictae* scriptum. Non debebat Luc. Muellerus Festi p. 46, 1 glossam *canicae: furfures de farre a cibo canum vocatae* praetermittere, quae item ad versum Lucilianum spectat. Num codicis Vati-

---

[1]) Praeter *canicas: furfures* nullum novi locum qui ad Nonium redire videatur nisi *bobiatores*: *maliciosos*: cf. Nonium p. 79, 25 *bovinatores, quos nunc malitiosos . . . dicimus,* ubi libri fere *bobiatores* exhibent.

cani 3321 f. 18r (= Mai VI p. 513b) glossa *canice*: *recremeo* eodem referenda sit me latet, cum quo modo interpretamentum emendem non habeam. Non minus dubium est, num eiusdem codicis f. 17v (= Mai VI p. 513b) memoria *caniles*: *ex farina et aqua coquitur* vocem servaverit ab eadem radice derivatam.

XIII. Nonius p. 21, 18: 'quiritare est clamare: tractum ab iis qui Quirites invocant. Lucilius satirarum lib. VI (16 sq., frgm. XIII p. 33):

Haec inquam rudet ex rostris atque heiulitabit
Concursans veluti ancarius, clareque quiritans'.

quiritans: *Quiritium fidem inplorans*[1])

cod. Leidensis 67 E. f. 49vb: *quiritia* pro *Quiritium*. Quid sit *Quiritium fidem* glossa quae praecedit explicat: *Quiritium fidem*: *votum*, *iudicium*.

quiritans: ἐπιβοώμενος

Philoxenus p. 179, 52. Interpretamentum ni fallor truncatum est.

Iuvat addere, quae praeterea de *quiritandi*[2]) verbo in glossis repperi.

quiritat: *populum adloquitur*

quiritat: *populo adloquitur* gloss. Hildebrandi p. 256, 56; gloss. post Salomon. (*alloquitur vel frequenter quaerit*).

ciritat: *populum adloquitur* cod. Bernensis 224 f. 206rb et cod. Leidensis 67 F¹ f. 14vc (*alloquitur*); Mai VI p. 516a (*civitat*); cod. Sangallensis 912 p. 57; cod. Vaticanus 3321 f. 24v.

queritat[3]): *clamat*

cod. Amplonianus¹ p. 369, 13 (*quaeritat*); cod. Bernensis 357 f. 22rb (*q. c. querit monet*).

---

[1]) Cf. Varronem de l. l. VI, 68: 'quiritare dicitur is qui Quiritum fidem clamans implorat'.

[2]) '. . . *quiritare* verbum, unde vulgo dicunt *cridar* italice, hispanice et gallice' Scaliger ad Priapeia p. 140.

[3]) *Quĕrītare* = *quiritare* et *quērĭtare* = *quaeritare* verba non mirum est quod in glossis non discernuntur: cf. cod. Leidensis 67 E f. 49rb *queritat*: *querit s̃ incitat ū proclamat* (hoc est: *queritat*: *quaerit, sciscitatur, proclamat*). Ceterum praeter 'quaeritare' (cf. *quaeritat*: *frequenter quaerit*, cuius lemma falso etiam *quiritát* scribitur) in codice Leidensi 67 E bis 'quaesitare' quoque habes; cf. f. 49rb: *quaesitat*: *quaerit, interrogat, sciscitatur* et ibidem: *quaesitare*: *quaerere*.

queritat: *vociferatur, clamat*.

gloss. Hildebrandi p. 255, 30 (*vociferat*; *quaeritat* Par. contra ordinem litterarum).

quiritare: *populare*

Glossarium post Salomonis glossas adiectum. Num forte *populare* pro 'populum alloqui' a vulgo dicebatur? An corruptum est hoc interpretamentum?

queritat: *publice clamans querit*

cod. Bernensis 357 f. 22ʳb: *queritat*, sed inter *qui*-. Si glossa integra est — quode dubitari potest —, glossographo 'queritare' a 'querere' = 'quaerere' derivandum esse videbatur.

queritat: *qui per publicum clamat*

Mai VII p. 576a e codice Palatino 1773.

queritatur: *qui assidue clamosus est*

Mai VII p. 576a: verbo deponenti usi sunt 'Varro ad Ciceronem' (de l. l. fragm. 18 p. 268 ed. O. Muell.) et, ut videtur certe, Nigidius apud Nonium l. s. s.

Paulus Festi p. 328, 6: 'squarrosi a . . squamarum similitudine dicti, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuviem. Lucilius [inc. v. 108 p. 146]: *varonum ac rupicum squarrosa, incondita rostra*'. Vocabuli ἀπ. εἰρ. novum exemplum repperisse mihi videbar in glossa Amploniana[1] ab Oehlero p. 376, 193 sic edita: *scariossus*: *asper*, cum ipse codex *scarąossus* (u superscr.) potius exhibeat ita, ut *a* littera deleta et *u* superscripta e *scaraossus* factum sit *scuarossus* = *squarrossus*. Nunc intellexi *scabrossus*: *asper*[1]) emendandum esse libro glossarum aliisque fontibus ducibus.

XIV. XXX, 127 (p. 131):

Et 'Musconi' manum perscribere posse tagacem

'Tagax furunculus, a tangendo' Festus p. 359a 12.

tagax: *furunculus*

cod. Amplonianus[1] p. 380, 11; cod. Sangallensis 912 p. 286 (*foruncolus*); cod. Leidensis 67E f. 55ʳa (*ferunculus*); glossarium Salomonis; gloss. 'Isidori' p. 696, 55.

XV. XI, 27 (frgm. XVI p. 58):

Hic strigosu' bovinatorque ore inprobu' duro

Gellius XI, 7, 9 hunc versum ita attulit: '*non enim Lucilium legistis, qui tergiversatorem bovinatorem dicit?*' est *autem*

---

[1]) Cf. etiam glossas *scabrus*: *asper*; *scabra*: *aspera*; *scabrum*: *asperum, nodosum*.

in Lucili XI versus . . . eundemque Nonius p. 79, 25 *bovinatores, quos nunc malitiosos et tergiversatores dicimus. Lucilius lib. XI* . . . Praeter numerum pluralem[1]), qui in glossis sic explicatur:

bobinatores: *inconstantes*

Mai VII p. 553a; glossarium Salomonis f. 24ʳa; cod. Leidensis 67 D f. 10ʳb; glossae 'Isidori' p. 671, 46; Mai VI p. 511b; glossae Turnebi (*bovinatores,* ubi quin Turnebus *bob-* in *bov-* mutaverit nullus dubito: omnes enim fontes nostri 'bobinatores' exhibent, etiam codices *affatim* glossarii, quali ille usus est); cod. Leidensis 67 F¹ f. 11ᵛc (*bobinacores*); glossar. Hildebrandi p. 33, 50; cod. Sangermanensis Hildebrando l. s. s. teste; cod. Amplonianus¹ p. 277, 124; cod. Amplonianus² p. 278, 52 (*instantes*); cod. Vossianus Fol. 24 (*bobinacores*); cod. Vossianus Fol. 82; cod. Sangallensis 912 p. 37; cod. Bernensis 16 f. 57ᵛa; cod. Bernensis 224 f. 204ᵛa; cod. Vossianus Fol. 26.

apud Placidum glossa exstat, quae propius etiam ad ipsum Lucili versum accedit, ipsum singularis numeri casum nominativum exhibens:

bovinator: *tricosus et inconstans*

cf. Mai III p. 436 (*bobinator*); cod. Bernensem 16 f. 57ᵛa (*bobinatur*); cod. Sangermanensem Hildebrando p. 33b teste (*bopinator*; *et* om.); Papiam (*bobinator* . . . *inconstans boum pastor,* quae duae voces extremae interpretamentum sunt lemmatis, quod intercidit, *bobulcus*); glossarium Sangermanense 501 Du Cangii (*bobinatus*); cod. Vossianus Oct. 24 (*bobinator*; *et* om.); Deuerlingium p. 13, 6; 'praefationem' codicis Salmasiani p. 69, 16 ed. Ries.: '. . . alucinari velut vovinator'.

Difficillima de *bovinator* voce quaestio nondum soluta est. Dudum enim intellexerunt idem — vel certe eiusdem originis — vocabulum apud Festum Pauli traditum esse in glossa p. 30, 12 *bovinatur*: *conviciatur.* Iam cum Scaliger inauditam appellasset hanc significationem 'conviciandi', cum *bovinari* esset *tergiversari,* Doederlinus in Synon. et etym. t. VI p. 41[2]) et post eum Luc. Muellerus commentarii Luciliani p. 233 Gellii Noniique sententiam damnarunt et Festi amplexi sunt. Velut audi Luc. Muellerum: '*bovinator*: id non recte vocabulum apud Gellium et Nonium explicatur;

[1]) In Nonii lemmate pluralem, singularem in illo versu habes: nihilo autem minus Lucilius fons est.

[2]) Locum debeo Muelleri ad Paulum l. s. s. adnotationi.

quos ipsum illud *ore duro*[1]) errorem dedocere potuit: melius Paulus ...' Ad Gellii autem Noniique auctoritatem accedunt iam glossarum Lucilianarum *bobinatores*: *inconstantes* et *bovinator*: *tricosus et inconstans* testimonia: haec omnia falsa esse Muellero credemus? Minime. Sed ne Scaligerum quidem sequemur, Pauli memoriam reicientem. Nobis enim utriusque significationis — *conviciandi, clamandi* et *tergiversandi* — tanta dissimilitudo esse videtur, ut duplex memoria conciliari nequeat. Quod cum ita sit, facere non possumus quin duo *bovinandi* verba exstitisse putemus diversissimae notionis. Etenim ne Festi quidem *bovinatur*: *conviciatur*[2]) singulare est, cum eodem spectent hae glossae:

bovinari: *conviciari, clamare*

Placidi glossa: cf. III p. 437 (*bombinari combicare*); codd. Bernensem 16 et Sangermanensem Du Rieuo teste (*bobinare conviciare*); cod. Vossianum Oct. 24 (*bobinare convitiare*); Papiam (*bobinare conviciari*); Vincentium (*bobinare*; om. *conviciari*); Deuerlingium p. 14, 5.

bovinatores: θορυβοποιοί, θρύλλον ποιοῦντες ἢ ταραχήν

Philoxenus p. 31, 26 (*bominatores* cod.).

Alterius autem significationis quae est *tergiversari, inconstantem esse* exemplis novum fortasse addi potest hoc: *bovinatur*: *insidiatur* glossarii Salomonis f. 24^{v}a, quamquam ut singulare ita satis dubitabile huius glossae interpretamentum est[3]). Duas has voces diversae originis esse cum diversa significent facile est perspectu: cuiusnam vero, non item. Si licet ἐτυμολογοῦντα ludere, *bovinari* = 'clamare' eiusdem radicis mihi videtur esse cuius *bovare, boare, boere* = 'clamare'. De bovinatore qui est 'tergiversator, inconstans, tricosus' commendabile nihil scio. Scaligero a *bove* ita videbatur dictus esse, ut *bovinari* (vel *bovinare*: ipsum enim verbum non traditum est) proprie significaret 'in arando strigare', translate

---

[1]) *ore inprobu' duro* verba ad diiudicandam vocis significationem nihil faciunt. Quidni enim tergiversatori tricoso 'os durum' tribui potest?

[2]) Non scribendum est *bovinator*: *conviciator* cum L. Muellero l. s. s., quoniam Placidus 'bovinari' formam testatur.

[3]) Coniecerit fortasse quispiam *insidiatur* e *convitiatur* corruptum esse, quae coniectura litterarum similitudine non commendatur.

autem 'tergiversari'. Si ad animal redire volebat, probabilius ni fallor de *bovae* serpentis tortuosis intricatisque voluminibus cogitare poterat.

Sed ut ad glossas redeamus, qui reputaverit apud Placidum *bovinator*: *tricosus et inconstans* interpretamentum illud 'tricosus' satis exquisitum esse — neque enim praeterea usquam servatum habes —, ei aliquid hinc commendationis evadere videbitur eorum coniecturae, qui in versu Luciliano scripserunt *hic 'st tricosu'*[1]) *bovinatorque ore improbu' duro* (libri Gelliani fere *hicstricosus*, Noniani *hicsitricosus*). Videtur enim glossographus vocem synonymam ex ipso Lucili versu haustam ad interpretandam alteram adhibuisse.

XVI. Lucilius XXVI, 66 (p. 85):

Quándoquidem † repperi magnis cónbibonum ex cópiis

Ad hunc versum spectare cod. Sangallensis 912 p. 68 glossam *conbibiones*: *a bibendo dicti* concedes, si Nonii p. 38, 11 verba ipsi fragmento Luciliano praemissa consideraveris: *conviviones* (sic libri Noniani) *conpotores a bibendo dicti.* Nonius cum dubium sit num pervetusto illi glossario materiam ut ita dicam glossematicam praebuerit, utraque memoria ex eodem fonte fluxisse potest.

XVII. Macrobius Saturn. III, 16, 17: 'sed et Lucilius, acer et violentus poeta, ostendit scire se hunc piscem egregii saporis, qui inter duos pontes captus esset eumque quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. . . Lucili versus hi sunt [inc. XXII, v. 48 sqq. p. 138]:

Fingere praeterea, adferri quod quisque volebat.
Illum sumina ducebant atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo'.

His in versibus Lucilius satis lepide lupum piscem[2]) 'catil-

---

[1]) *hic 'st tricosus* si scribatur, proxime accedi ad librorum memoriam iam Gesnerus adnotat in Thesauro s. v.

[2]) Cf. Horatium sermonum II, 2, 31 sqq.:

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet, pontesne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusci?

lonem' appellat, ut riparum cloacarumque stercoris appetitorem: catillonem nempe esse hominem gulosum, quem nos dicimus 'Tellerlecker, Schlecker', Festus Pauli docet p. 44, 12: 'catillones appellabant antiqui gulosos' idemque p. 90, 2: '... catillones catillorum liguritores', et doctius etiam Macrobius Saturn. II, 12: 'proprie catillones dicebantur qui ad polluctum Herculis ultimi cum venirent, catillos liguribant'. Ad versum Lucilianum refero Placidi glossam:

catillo: *gulosus, a catilli appetentia*

cf. Mai III p. 450 (*catelli*); glossar. Sangermanense 501 ms. Du Cangii (*catelli*); cod. Leidensis 67 D f. 11ᵛc, cod. Sangermanensis Du Rieuo teste, *G* Deuerlingii p. 29, 12 (*catilo ... catelli*). Cf. etiam Papiam: *catillo*: *gulosus a catellis dictus.*

Praeterea cf. has:

catillo: λίχνοc

excerpta e lexico graecolatino p. 309, 2 ed. Vulc.

catillo: *gulosus, ligurius*, λίχνοc

Cyrillus p. 529, 47. Mutavi verborum ordinem, cum aperte olim latinograeca, non graecolatina glossa fuerit.

catillo: *homo multum desiderans*

cod. Amplonianus[3] p. 291 b 53; frgm. Deycksii p. 12 b.

Sed non hae tantum glossae exstant propriam vocis vim explicantes, verum etiam una, quam ad singularem eius apud Lucilium usum respicere apparet. Ea autem sic currit:

catillo: *nomen piscis, a catino dictus, ob cuius suavitatem homines catinum corrodunt*

glossarium Salomonis f. 30ᵛb.

XVIII. Lucilius ex libris incertis frgm. CXV (p. 153):

Scinde calam ut caleas ...

'calas dicebant maiores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium' Servius ad Aeneid. VI, 1, ubi Lucili fragmentum addit.

---

et Iuvenalem V, 104 sqq.:

Aut glacie aspersus maculis Tiberinus et ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca
Et solitus mediae cryptam penetrare Suburrae.

quos locos Luc. Muellerus in commentario attulit.

cala: *genus ligni*

frgm. Deycksii p. 18b: *galas* inter *g* litteram, ita tamen ut *gala* pro *galas* postulet terminationum lex.

cala: ἐπικοπίϲ, ἐπιγλυφίϲ

Philoxenus p. 33, 18: ἐπιϲκοπιϲ ἐπιγλφειϲ cod.; emendavit Scaliger, non Vulcanius 'notarum' p. 20, 55. Cf. illum ad Catalecta p. 161.

Ceterum quod in commentario p. 284 L. Muellerus scripsit: 'huc pertinere existimo Isid. XVIII, 7, 7: *haec* [*clava*] *et cateia quam Horatius calam* [vulgo *caiam*] *dicit*', hanc coniecturam noli credere Muelleri esse: est potius Grialii (qui a. 1599 Isidorum edidit), contra quem iam Salmasius recte monuit *caia* vocabulum 'fustem' significans re vera exstitisse videri ob *caiare* = 'fustibus caedere' verbi similitudinem[1]).

XIX. Nonius p. 22, 18: 'capronae dicuntur comae quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae. Lucilius sat. lib. VI [frgm. XIV v. 18sq.]:

Iactari caput atque comas fluitare capronas,
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.'

Cf. etiam Festum Pauli p. 48, 12: 'capronae: equorum iubae in frontem devexae, dictae quasi a capite pronae'. Praeter Lucilium Apuleius, quo est prisci sermonis imitandi studio, hac voce in Floridis I, 3 semel usus est, sed casu ablativo, non accusativo.

capronas: *iubas equorum*

Placidi glossa: cf. Mai III p. 448; glossarium Salomonis f. 28^{v}a; cod. Leidensis 67D f. 11^{r}c (*acquorum*); cod. Vossianus Oct. 24; cod. Sangermanensis Du Rieuo teste; Deuerlingius p. 26, 10.

Ad certum scriptoris anonymi — Lucili nimirum — locum 'hic' vocula respicit scholiastae cuiusdam, cuius adnotatio haec est:

capronae: *hic* '*medios inter tempora capillos*'; *proprie vero* '*equorum iubae quae inminent*', *ita dictae quod sint in caput pronae*

Mai VI p. 514a; cod. Leidensis 67E f. 13^{r}a (nihil nisi: *caprone hic medius inter tempora capillus*).

Quae de persimili vocabulo *antiae* in glossariis nostris tra-

---

[1]) v. Arevalum ad Isidorum l. s. s. t. IV p. 382.

dita exstant, ea non inutile ducimus statim subicere. Sunt autem haec:

antiae: capilli admissi

frequentissime haec glossa tradita est, neque usquam non habes *capilli amissi* (cf. glossarium Hildebrandi p. 13, 112; cod. Amplonianus^2 p. 270, 285: *anthiae* ... *amisi*; cod. Leidensis 67E f. 6^{v}a: *anticiae*, quae scriptura nata esse videtur ex *an*$\overset{ti}{c}$*iae*; cod. Vossianus Fol. 24: *amissis*; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Bernensis 224 f. 202^{r}a; cod. Leidensis 67F^1 f. 6^{v}b: *antite*, om. *amissi*; cod. Vossianus Fol. 26: *anciae*; cod. Bernensis 258 f. 50^{v}a: *antię*) praeter Mai VI p. 508a, ubi *admissi* exstat. Videtur autem *admissi* defendi posse collato Ovidii Amorum II, 16, 50 versu: 'parvaque quam primum rapientibus esseda mannis | ipsa per admissas concute lora iubas', quamquam non deest quod huic scripturae obici possit. Hildebrandus ad gloss. Paris. p. 13a *emissi* scribendum proposuit: potest etiam de *inmissi* (cf. glossam quam statim proferemus) vel *demissi* (cf. Festum Pauli p. 17, 5: 'antiae: muliebres capilli demissi in frontem . . .') cogitari.

antiae: capilli immissi, cincinni

cod. Vossianus Oct. 24^2 (*circinni*).

antiis: capillis muliebribus, ante id est a fronte pendentibus

Placidus p. 8, 18 ed. Deuerl. *antis* libri, quod O. Muellerus ad Festum l. s. s. emendavit. Liber glossarum (velut cod. Sangermanensis Du Rieuo teste) *mulieribus*, quod si cui non displiceat, sic erit interpungendum: *capillis, mulieribus ante* . . . *pendentibus*.

antiae: capilli, quos mulieres promissos in capite conponunt

cod. Vaticanus 3321 f. 15^{r} = Mai VI p. 508a; cod. Sangermanensis Hildebrando p. 13a teste (*capilli sunt*: qui Hildebrandi error esse videtur); cod. Bernensis 16 f. 30^{v}b (*antic capillos*); cod. Palatinus 1773 f. 42^{r} (*anciae capillos*); glossae 'affatim' (in harum codicibus omnibus mendose *proximos* pro *promissos* traditum est: cf. cod. Leidensis 67F^1 f. 6^{v}b-c; cod. Bernensis 258 f. 50^{v}a; cod. Vossianus Fol. 26; cod. Bernensis 224 f. 202^{r}a).

antiae: cincinni dependentes

hanc glossam 'liber glossarum' exhibet, velut cod. Bernensis 16 f. 30^{v}b et cod. Palatinus 1773 f. 42^{r}, 'de glosis' nota adpicta. Est autem procul dubio pars loci Isidoriani Originum XIX, 31, 8 (t. IV p. 472 ed. Arev.): 'antiae sunt cincinni dependentes prope auriculas, graeco vocabulo ab auribus'. Ceterum nemodum explicavit, quid sibi velint illa verba 'graeco vocabulo ab auribus'. Quid si scribamus 'graeco vocabulo ab ἀντίον' collata

Pauli memoria p. 17, 5: '*antiae* muliebres capilli . . . appellati ex Graeco videntur; quod enim nos *contra*, illi ἀντίον dicunt'?

antiae: κόμαι διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι

Philoxenus p. 20, 34: *antide* cod., quod Scaliger ad Paulum l. s. s. emendavit. Ceterum aliud eiusdem glossarii vocabulum exquisitum *antiosa* (cf. p. 20, 22: *antiosa*: ὀρχήστρια) Scaligero videbatur ab *antiis* derivatum esse; attulit enim hanc quoque glossam ad Paulum l. s. s.

antiae; singulare non habet: κόμαι τῶν κροτάφων

Cyrillus p. 519, 18 (*anciae*).

antiae: τρίχες αἱ μεταξὺ τῶν κεράτων τῶν βοῶν[1])

Cyrillus p. 639, 45 (*anciae*). Insignis haec glossa propterea, quod *antiae* vocabuli proprium usum servasse videtur. Similiter *capronas* proprie esse *iubas equorum inminentes* glossographi diserte tradunt.

XX. Nonius p. 74, 10: 'armillum. Lucilius lib. XXVIII [frgm. XX v. 29 sq. p. 100]: *hinc a me ilicet | anu' russum ad armillum.*'

armillum: *vas vinarium, unde 'anus ad armillum'*

Placidi glossa: cf. Mai III p. 432 (*inde*); Deuerlingius p. 7, 9. 'Liber glossarum' *antis* pro *anus* exhibet (quode tacet Deuerlingius): velut cod. Sangermanensis Du Rieuo teste et cod. Bernensis 16 f. 40^{r}b, unde natum Vossiani Oct. 24 *antiqui.*

Hac in glossa ipsa Lucili verba excitantur; neque enim referri potest ad Apulei Metamorphoseon locos duos satis similes, quos iam Scaliger ad Festum Pauli p. 2, 5 attulit: '. . . et aegra facie matris suae repentinam sobrietatem pertimescens. ad armillum redit' et 'ad armillum redit et ad familiares feminarum artes accenditur', cum utrobique desit 'anus', addatur 'redit'. Eadem glossa sine verbis *unde . . . armillum* in aliis glossariis exstat:

armillum: *vas vinarium*

cod. Amplonianus² p. 270, 313; glossarium Salomonis; cod. Bernensis 16 f. 40^{r}b (ut 'de glosis': ibidem praeterea Placidi glossam habes); cod. Sangermanensis Du Rieuo teste; glossae Festo insertae; Ugutio Du Cangii (quamquam huius glossa etiam ad ipsum Placidum redire potest).

---

[1]) Frustra quaeres inter nostras hanc glossam: *antiae*: προκόμιον, quam Dacierius et O. Muellerus ad Festum, Gesnerus in Thesauro, alii excitant; est enim novicia 'Onomastici' p. 11.

Praeterea has collegi glossographorum de illo vocabulo reliquias[1]):

armillum: *cratera, vas vinarium*

codd. Vossiani Fol. 26 et 82; cod. Bernensis 258 f. 50ᵛa; cod. Leidensis 67F¹ f. 6ʳb (*ciatera*); cod. Bernensis 224 f. 200ᵛb; glossae 'Isidori' p. 668, 34 (*crater*); cod. Vossianus Fol. 24 (*armilla crãta vel*).

armillum: *vasa sacrorum* * *

Mai VI p. 509a; cod. Leidensis 67F¹ f. 6ʳb; cod. Bernensis 258 f. 50ᵛa; cod. Bernensis 224 f. 200ᵛb (*vas s̃corum*). Eadem in 'libro glossarum' (cf. codd. Bernensem 16 f. 40ʳa et Sangermanensem Du Rieuo teste) talis tradita est: *armellum*: *uasa s̃corum uel uicinarum*, ubi *uicinarum* corruptum esse puto ex *uas uinarium*, ut duae glossae in unam contractae sint. Stellulas posui post *sacrorum*, quoniam in omnibus[2]) fontibus 'vas*a*' scriptum est, non *vas*; interciderint autem verba *armilla dicuntur, quod armo id est humero deportentur* vel his similia collato Festo Pauli p. 2, 5: 'armillum: vas vinarium in sacris dictum, quod armo, id est humero, deportetur'. Ceterum satis memorabilis glossa est, cum ad sacrum armilli usum spectet, quode praeter Festi locum nihil traditum habemus.

armillum: σκεῦος

Philoxenus p. 25, 4: *armilium* cod.: em. post Vulcanium (sive Scaliger fuit) 'notarum' p. 16, 24 O. Muellerus ad Paulum l. s. s.

Multae mihi praeterea glossae praesto sunt, quae quamquam non certa ratione aliqua tamen cum specie probabilitatis ad versus Lucilianos referri possint. Quo ex numero paucas delibasse satis habeo. Velut illa glossa, quam supra p. 6 sq. reconcinnavimus: *discerniculum*: *ornamentum capitis virginalis ex auro*, potest sane ad Lucilium XXX, 58 'euplocamo digitis discerniculumque capillo' spectare — et si me sequeris, non dubitabis illuc eam referre —, attamen eodem vocabulo Varro usus est de l. l. V, 129: *discerniculum, quo*

[1]) Varronem scimus in primo 'de vita populi Romani' libro *armillum* vocem *urceoli genus vinarii* interpretatum esse: cf. Nonium p. 547, 13 (p. 638 ed. Quich.).

[2]) Unius codicis Bernensis 224 testimonium nullius momenti est, cum qui 'affatim' glossas collegit sine dubio receperit 'vas*a*': cf. codd. Leid. 67F¹ et Bern. 258.

discernitur capillus, ut non nimis rarum videatur fuisse. Sic ne has quidem glossas:

fruniscor: vescor

glossarium Salomonis.

fruniscor: fruor, nanciscor

gloss. Hildebrandi p. 148, 260 et cod. Vossianus Fol. 82: *fruor nanciscor fruniscor* uterque fons, perverso ordine, ut facile apparet. 'Abavus' glossas mutato ordine verborum bis vel adeo ter exstare supra vidimus p. 94 sq.

Lucilianas esse (cf. Lucilium XVIII, 3: *aeque fruniscor ego ac tu*) confidenter autumaverim, cum non solum Q. Metellus Numidicus 'in epistula, quam exul ad Domitios misit' (cf. Gellium XVII, 2, 7: ... *summa gloria fruniscor*), sed etiam Cato (cf. Festum Pauli p. 92, 9: *fruniscor et frunitum dixit Cato* ...) eadem forma[1]) usi sint. Neque aliter statuo de glossa:

comedo[2]): *manduco, vorax, edax*

cod. Amplonianus[2] p. 288, 195 (*comodio*; om. *manduco*); cod. Vossianus Fol. 24 (*cor* pro *vorax*: minus probaverim si quis *manduco cor* in *manducator* mutandum censeat, cum ob Amploniani memoriam quae est *vorax*, tum maxime ob *manduco* vocabuli elegantiam).

---

[1]) *frunisci* habes apud Q. Claudium, Plautum, Novium; *frunitus* apud eundem Novium et Catonem, neque deest in titulis; *fruniscaris* apud Petronium. Quibus testimoniis haec adde ex glossis petita: *fruniscitur: fruitur, intercipit* (cod. Vossianus Fol. 82; glossar. Salomonis; Papias: in gloss. Hildebrandi p. 148, 259 *fructus* pro *fruitur* mendum videtur esse typographi, cum Hildebrandus pro *intercipit* in adnotatione *vel percipit* scribendum proponat); *frunitus: fructus: non est latinum* (cod. Leidensis 67 E f. 27 v a, quae glossa quam memorabilis sit intelleges, ubi Gellium XVII, 2, 5 de *frunisci* verbo disserentem comparaveris: 'rarius quidem fuit in aetate M. Tullii ac deinceps infra rarissimum, dubitatumque est ab inperitis antiquitatis, an latinum foret').

[2]) Exstitisse etiam *comedus* formam Festus Pauli p. 58, 6 auctor est: 'comedum bona sua consumentem antiqui dixerunt'. Ubi quod O. Muellerus hanc formam a solo Paulo servatam esse adnotat, dubito num re vera ita se habeat. Inter 'affatim' enim glossas (cf. cod. Leidensem 67 F[1] f. 16 v c et cod. Bernensem 224 f. 207 r a) exstat etiam *comicus: qui comedit* (sic Bernensis, *comedet* Leidensis), quam scribendam puto *comedus: qui comedit.* Comprobatur coniectura vel eo, quod ipsa haec glossa pars est ordinis ad *comissandum* et *comedendum*

quam quominus ad Lucilium V, 41 'vivite lurcones, comedones, vivite ventres!' referam, Varronis apud Nonium p. 93, 17 locus 'putat fore hoc, quod his comedonibus venit usu ...' impedit.

Exquisita Mai VI p. 542a glossa: *querquera est febris acris, quae cum magno frigore solet venire* non dubitarem quin ad alterutrum horum Lucili fragmentorum spectet:

inc. 35 sq.: .... querquera consequitur capitisque dolores,
Infesti mihi tam quam Rhondes Icadionque
inc. 37: ... iactans me ut febris querquera ..,

nisi apud Plautum quoque in Frivolaria *querquera* vocabulum usu venisse Prisciani et Festi[1]) p. 257b 31 testimoniis constaret.

Similiter comparatae sunt harum glossarum ad certos Lucili versus relationes:

XXVIII, 43 (frgm. XXX p. 101):
'Piscium magnam atque altilium vim interfecisti'.
"At nego"

ex libris incertis v. 49 (frgm. XXII p. 138):
Illum sumina ducebant atque altilium lanx

Ex alterutro versu Philoxeni glossam p. 14, 20: *altilium*: σιτευτῶν derivatam esse putarem, nisi Horatium quoque epist. I, 7, 35 *nec somnum plebis laudo satur altilium* ... genetivo casu usum esse scirem. Accedit quod etiam Horatiana inter 'Philoxeni' collectanea exstare certum est.

---

spectantis, quales ordines in illo glossario non raros esse supra p. 107 sq. docuimus. Conferas quae praecedunt et subsecuntur glossas:
comisatur: turpiter convivatur
comesationes: luxuriosa convivia cum meretricibus
comicus: qui comedit
comesurus: manducaturus
commeatus: victus, alimentum

[1]) Opillianae huius vocabuli interpretationis nihil restat praeter frustula *Opilius frigidam a* et *tem. Santra eam* ...., quae vulgo sic supplentur:
Opilius frigidam a[it dici et cum horrore tremen-]
tem. Santra eam . . .
Ego glossa illa duce pro '*tremen*tem' potius '*venien*tem' scripserim, de reliquis autem despero.

XXVI, 35 (p. 82):

Di monerint meliora, amentiam averruncassint tuam!

Aut ad hunc Lucili, aut ad Pacuvi versum 112 (p. 90 Ribb. Trag.[2]: cf. eundem 'Corollarii' p. LXXII) referenda est Placidi p. 5, 9 glossa *averruncassint*: *avellerint vel averterint.*

XVII, 5 sq. (p. 72):

Num censes . . . .
Conpernem aut varam fuisse Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν
Alcmenam?

conpernis: *genibus conpressis*

cod. Amplonianus[2] p. 289, 269: *conperis* ... *conpresis* codex. Oehlerus edidit *genibus ipsis*, compendio *ɔp̃sis* h. e. *conpraesis* sive *conpresis* inductus.

conpernis: σύνμηρος

Philoxenus p. 49, 26.

Non me fugit etiam ad Plautum (cf. Festum p. 375, 20) haec spectare posse, qui scripserit '... aut varum aut valgum aut compernem aut paetum ...' Ceterum Nonius, qui versus illos Lucilianos servavit, *compernes* parum accurate ut videtur ait 'dici *longis pedibus*'; multo melius interpretantur glossae nostrae, quibuscum consentit Festus Pauli p. 41, 1: 'compernes nominantur homines genibus plus iusto coniunctis'.

XXX, 89 sq. (p. 127):

Inluvies scabies oculos huic deque petigo
Conscendere . . .

depetigo: λέπρα, λειχήν

Philoxenus p. 68, 2: *depertigo* cod., emendavit Scaliger.

Eadem vox apud Catonem exstat.

XXII frgm. II v. 3 sq. (p. 76):

Defusum e pleno siet hir siphoneve, cui nil
Durist, cum nix et sacculus abstulerit

Hic si recte viri docti *hir* restituerunt, quode dubitari potest non mediocriter[1]), ad versum Lucilianum unam alteramve ex hisce glossis rettulerim:

---

[1]) Versus omnium nisi fallor Lucilianorum facile sunt difficillimi, neque ego quicquam de eis coniecturae proferre audeo. Hoc autem adeo pro certo contendo parum feliciter H. Rumpfium in programmatis 'tres commentationes' inscripti et Francofurti ad Moenum a. 1868

ir: θέναρ

Philoxenus p. 108, 24; idem p. 125, 31.

ir: *indeclinabile est; vola*, θέναρ

Cyrillus p. 489, 58.

ir: θέναρ, τὸ κοῖλον τῆς χειρός

Philoxenus p. 126, 17.

ir: *concava pars manus*

cod. Amplonianus[3] p. 343, 131 (*irconcava*: *p. m.* cod.).

ir: *semis palma*

cod. Amplonianus[1] p. 339, 56 (*iir*).

ir: *medietas palmae, quae et vola dicitur*

Osbernus p. 292b: nescio unde.

Non autem sine fructu haec collegisse nobis videmur, cum de *hir* sive *ir* vocis significatione non recte statuant lexicographi, qui interpretentur 'Hand' — est enim potius 'semis palma' 'concava pars manus' 'vola' —, multo autem minus recte Luc. Muellerus, qui in commentario p. 243 scripserit: '*hir* idem ferme quod *siphon*', quae verba prorsus non intellego. Ceterum nullam glossam vides '*h*ir' exhibere; atque grammatici quoque omnes *ir* formam testantur praeter Charisium p. 24. 32. 35.

Collectis his et enarratis Lucili scholiorum reliquiis dubitari noniam posse videtur quin praeclarissimi poetae saturae cum omnibus tum inprimis Placidi et 'Philoxeni' glossariis satis largam glossarum copiam suppeditaverint, quae quidem ratio si plura etiam Lucili fragmenta servata exstarent, multo maiore ni fallor exemplorum numero probari posset. Ceterum non mirabor, si alii nostris novas glossas adiecerint: neque enim unius est omnes investigare. Accedit

---

editi parte secunda quae est 'de locis quibusdam Ciceronianis' p. 18 sqq. sic scribendum proposuisse:

quibu' vinum
Defusum e pleno sit chrysidio, cui nil dum
Dempsit sacculu' vis, nil abstulit,

multo etiam infelicius H. Holsteinum in Ciceronis de finibus librorum editione Lipsiensi a. 1873 evulgata:

Vinúm defusum e pléno sit ὑπέρσιζον (sic!),
Cui níl duri sit vís et sacculus ábstulerit,

quos versus sciendum Holsteino videri esse 'senarios iambicos'.

quod novi glossarum codices nova scholia procul dubio exhibebunt, ita ut has quaestiones non ad finem perduxisse, sed earum quasi fundamenta iecisse nobis videamur. Addidimus autem ut appendiculam adnotatiunculas non nullas ad versus Lucilianos glossematicas.

1. Fragmentum e libris incertis CXLIII v. 177 apud Muellerum p. 158 hoc est: 'Tappulam rident legem concerae optimi', ubi *concere* Festi p. 363a 20 codex. Quod si intactum relinquimus, *concerae* idem fere significat atque *congerrones*, *c* pro *g* littera e prisco scribendi usu servata (cf. Festum Pauli p. 40, 6: *cerrones leves et inepti* . . .) et *r* non geminata. At multo simplicius pro *concere* potius *concene* h. e. *concenae* scribere mihi videor duce Philoxeno p. 44, 48 *concaenae*: σύνδειπνοι, ubi lemmatis malam ὀρθογραφίαν emenda Cyrillum p. 622, 23 σύνδειπνος: *conviva*, *concena* secutus.

2. Lucilius VI, 28 (p. 34):

Zonatim circum inpluvium cini' raru' fluebat

Pro *cini' raru' fluebat* Nonii libri *cineraris cludebat.* Ubi quid pro *cludebat* scribendum sit nescio — neque enim L. Muelleri *fluebat* satis evidens est coniectura —, in *cineraris* autem *ciner ardus* latere suspicor. *Ciner* nominativum et Priscianus testatur et glossae haec:

ciner: *favilla*

cod. Amplonianus[3] p. 292, 106 (*cineri* codex, contra terminationum certam legem); fragmentum Deycksii p. 13b. Ceterum *fabilla* uterque fons.

κόνις: *cinis*, *ciner*

Cyrillus p. 519, 49.

Forma autem quae est *ardus* pro *aridus* Lucilius etiam XXVII, 40 *ardum*, *miserum*, *atrum* ... usus est.

3. In Lucili XIII, 11 versu 'iucundasque puer qui lamberat ore placentas' Priscianus *lamberat* ut plusquamperfectum *lambere* verbi interpretatur. Cogitaverit fortasse quispiam aliis formam illam potius praesens tempus *lamberare* verbi visam esse, collata Pauli p. 118, 10 glossa *lamberat*: *scindit ac laniat.*

4. Lucilius VII, 14 (p. 37):

Sic movet ac simat nares, delphinus ut olim

A 'simando' delphinus vulgo 'simo' vocabatur, quod vocabulum in glossis legere me memini neque tamen reperire nunc possum. Praeterea exstat in scholio quodam manu scripto Achilleidos Statianae I, 56 (cf. 'Glossarium novum latinitatis ex aliquot nostris editionibus et codicibus sumptum' Mai in Spicilegii Romani t. IX Romae a. 1843 editi p. 63): 'delphines quando praeludunt in fluctibus et undarum se motibus saltu praecipiti ferunt, tempestates significare videntur. hi proprie semones nominantur'.

5. Nonius p. 120, 13: 'hippocampi equi marini, a flexu caudarum quae piscosae sunt ... Lucilius transverso ordine posuit *hippocampi elefanto camillos*'. L. Muellerus p. 142 (inc. frgm. XLVII et XLVIII) corrigendum putat '*camphippi* et *pantherocamelos*'. Sic qui corrigit cum probabilitatem a litterarum traditarum similitudine petendam prorsus spernat, facere non possum quin Scaligerum et Dousam sequar, *camphippelephantocamellos* sine ulla mutatione (nam *camphippi* pro *hippocampi* ipsa Nonii verba efflagitant) scribentes. Quae quidem scriptura non mediocriter eo commendatur, quod *camphippelephantocamellos* hexametri versus dimidiam partem explet, id quod casui tribui non potest. Iam huic coniecturae Muellerus opponit se nescire, quid sibi velit hoc monstrum animalis. At quidni cogitari potest Lucilium Graecorum vocabula velut ἱππαλεκτρυών imitatum prodigiosi cuiusdam monstri nomen finxisse, quale se vidisse iactantem aliquem poeta iocose fecerit? Multa praeterea cogitari possunt, sed nullo modo coniectura Muelleriana probari. Quod autem ad ipsum illud vocabulum attinet, non sequor Nonium opinantem *hippocampi* a Lucilio transverso ordine esse positum: immo mirae vocis prima pars non *camphippi* est, sed *campae*; sic enim marinos equos Graeci a flexu posteriorum partium appellabant Festo Pauli p. 44, 1 teste. Quo loco bonorum codicum scripturam quae est *cappas*[1]) O. Muellerus se deserere

[1]) Idem legit qui codicis Leidensis 67 E f. 12^{v}b glossam ***cappe*: *equi marini*** excerpsit. Cf. supra p. 146.

non ausum esse dicit: at deseruisset, ni fallor, si haec glossa ei nota fuisset:

campae: *equi marini*

cod. Sangallensis 912 p. 40; cod. Vossianus Fol. 24 (*campe equi narii*); cod. Amplonianus[2] p. 287, 73 (*campe aequi marinae*); glossarium Salomonis (*campi*); cod. Vossianus Fol. 82 (*campe*).

6. XVI, 6 sqq. (p. 70):

Rex Cotus ille duo hos ventos, austrum atque aquilonem,
Novisse aiebat solos, sed demagis istos
Ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare

De *demagis* vocabulo prorsus contraria glossographi docuisse videntur. Cum enim Festus Pauli p. 71, 9 'antiquos *demagis* pro *minus* dixisse' tradat, Nonius contra, ubi versus illos Lucili servavit, p. 98, 15 'valde magis' illud interpretatur. Cum Nonio autem faciunt duae glossae: *demagis*: σφοδρῶς Philoxeni p. 65, 47, quam iam Scaliger attulit ad Festum l. s. s., et *demagis*: *vehementer*, quam ex Amplonianis[2] p. 296, 66 (*vehimens* cod., quod dubitanter in *vehementer* mutavi) hausi. Eandem vocem apud Plautum indagasse videtur Scaligeri divina sagacitas; sic enim ille ad Festum l. s. s.: '... de hoc satis dicemus in Plautum'. Maximopere dolendum est eum quod hoc loco promittit ratum non fecisse: neque enim de Plautino huius adverbii usu quicquam hodie constat.

7. Inter Placidi glossas haud paucas Lucilianas esse cum supra demonstraverimus, vide num novum poetae fragmentum in hac agnosci possit:

iuvenale φάος: *semper virens et numquam senescens lumen, ut si de sole dicamus*

Placidus p. 55, 25: *pharos* libri; emendavit Deuerlingius. Litteras graecas nos restituimus.

Habes rhythmum ut videtur dactylicum et vocem graecam inter latinas insertam.

8. 9. Duabus 'Isidori' glossis Scaliger adnotatiunculas adscripsit, quibus Lucilianas ibi voces explicari aperte indicat. Earum altera haec est p. 686, 50: *malce*: *popino*, *qui amat in popinas ire*, cuius lemma *malta* scribit memor hau dubie

versus Luciliani XXVII, 38 'insanum vocant quem maltam ac feminam dici vident'. Quae emendatio etiamsi recte se habet — quode dubitaverim —, restat tamen illud dubitationis, quod *malta* vocabulum longe aliter a Nonio explicatur. Sic nimirum: 'maltas veteres molles adpellari voluerunt, a Graeco quasi μαλθακούϲ'. Alteram autem Lucilianam non esse pro certo adfirmari potest. Iniuria enim Scaliger glossae p. 696, 32 *trocinus: sectae genus arduum*[1]) adpinxit 'troginus calix Lucilio', quae verba ad XXX, 104 'cuia opera troginu' calix per castra cluebat' spectant. Ubi quid sibi velit *troginu' calix* quamquam incertum est[2]), hoc tamen nullo modo dubium quin corruptissima illa glossa sic emendanda sit: *trochus: rotae genus ad ludum.* Hausta est ex 'abavus' glossario, cuius cod. Vossianus Fol. 82 *troclinus secte genus arduum* exhibet, neque multum discrepat glossarium Salomonis (*troclinus ferre genus arduum*) vel cod. Amplonianus[1] p. 383, 159 (*troclinus sectae genus addũ*). At exstat eiusdem sine ullo dubio glossae non corrupta memoria, quae sic currit:

trochus: rotae genus ad ludum

glossae Turnebi; cod. Leidensis 67F[1] f. 51^{v}c (*trocus . . . lcitum*); cod. Bernensis 224 f. 225^{r}c (*lutum*); cod. Vossianus Fol. 82 (*lusum uel rotarum dentium,* quae verba pars sunt novae glossae, de qua statim dicetur); cod. Amplonianus[1] p. 380, 8 (*trocus genus roti*).

Mirum illud *troclinus* ex *troclius* nisi fallor natum est, *ch* litteris in *cli* corruptis. Ceterum non deest gemella[3]) plane glossa talis:

trochus: ludentium rota

cod. Leidensis 67F[1] f. 51^{v}c (*trothus*); cod. Bernensis 224 f. 225^{r}c (*rotae*); cod. Sangallensis 912 p. 300 (*trocus r. l.*); cod. Leidensis 67E f. 57^{r}a (*r. l.*); glossae Turnebi (*ludentum*); glossae 'Isidori' p. 697, 5 (*rota ludentum*). Cf. etiam cod. Vossiani Fol. 82 scripturam supra excitatam.

10. Solus Lucilius *amptruandi* sive *andruandi* verbo usus est IX, 62:

---

[1]) *aridum* Scaliger adscripsisse videtur, quamquam non omni ex parte plana est in apographo Burmanniano haec adnotatio.

[2]) v. L. Muellerum commentarii p. 271.

[3]) v. supra p. 18 sqq.

Praesul ut *amptruet* hinc, ut volgu' redamptruet inde

cuius quidem verbi in hoc versu sententia nihil habet obscuritatis. Sed glossographorum exstat satis intricata ad idem spectans memoria, quam expedire ego non potui. Addidi autem tribus illis glossis duas Pauli item subobscuras.

antruare: *non dare* (Mai VI p. 508a)
andruare: ἀνδρίζεϲθαι[1]) (Philoxenus p. 16, 35)
antruare: ϲπιλευϲε[2]) (idem p. 20, 32)
andruare: *id est recurrere a Graeco* ἀναδραμεῖν *venit, hinc et drua vocata est* (Festus Pauli p. 9, 11)
antroare: *gratias referre. truant moventur. truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta* (idem p. 9, 12)

Extricabunt haec acutiores.

11. Lucilius cum adverbia in *-atim* satis nove formaverit, velut *zopyriatim* (IX, 74 sq.: 'arripio et rostrum labeasque huic zopyriatim percutio dentesque advorsos discutio omnis') et *zonatim* (VI, 28: 'zonatim circum inpluvium ...'), non inepte videtur conici posse ad saturas eius spectare hanc Scaligeri (cf. glossas 'Isidori' p. 697, 9) glossam:

tongiliatim loqui: *pravis verbis, a Tongilio parasito, qui hoc*[3]) *invenerat risus aucupium, ut salutatus convicio responderet et maledicentem blandissime salutaret*[4])

Quamquam satis infirmo fundamento hanc coniecturam niti minime me fugit: namque refutari non potest L. Muellerus, qui commentarii Luciliani p. 229 locum illum comicorum latinorum reliquiis addendum esse censeat. Quocunque autem ex scriptore illa optimae notae glossa derivata est, hoc certum videtur aliis glossographis singularem vocem aliter interpretandam esse visam. Neque enim ullus dubito quin ad eundem anonymi cuiusdam poetae versum referenda sit haec glossa:

---

[1]) Ne Scaliger quidem hanc vocem emendare potuit.
[2]) ϲαλεῦϲαι O. Muellerus ad Paulum p. 9, 12, ϲπηλεῦϲαι et ϲπεῦϲαι alii. Quid si simpliciter scribimus *antrum*: ϲπήλαιον?
[3]) *in hoc* Scaligeri excerpta itemque Vulcanius.
[4]) *salutaret blandissime* Vulcanii editio.

tongillatim: *singillatim*

Mai VII p. 583b; glossarium Salomonis; Papias (*singulatim*); Mai VI p. 548b; cod. Amplonianus^{1} p. 382, 132 (*tobligatim si^{n}gillatim*: *tob-* ex *tog-*); cod. Bernensis 224 f. 225^{r}b (*siggillatim*); cod. Vossianus Fol. 26; cod. Leidensis 67F^{1} f. 51^{v}a; cod. Bernensis 357 f. 26^{v}b; cod. Vossianus Fol. 82 (*togillatim*); glossae 'Isidori' p. 696, 29 (*togillatim*); eaedem p. 696, 39 (*sigillatim*).

Cuius glossae lemma illa duce in *tongiliatim* mutandum esse videtur.

12. Nonius p. 84, 6: *colustra*: *lac concretum in mammis. Lucilius lib. VIII: 'Hiberam insulam fomento omnicolore colustra'.* Pro *concretum in* in libris fere exstat *chonereuunmi*, quam corruptelam Hauptius egregie sanavit. Qua in re num glossam quandam adhibuerit, nunc nescio; poterat autem hanc:

colustrum: *lac concretum in mammis*

cod. Amplonianus^{2} p. 288, 183; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Bernensis 224 f. 207^{r}a. Cf. etiam cod. Leidensem 67F^{1} f. 16^{v}b: *colustrum lac concretum finitum vel debitatum*, ubi extrema tria verba aliunde invecta sunt.

Hac ipsa glossa ita quispiam utatur, ut Nonianorum librorum lemmatis scripturam quae est *columnam* (sic L. Muelleri Leidensis 1, qui *lustra* manu 2. suprascriptum exhibet) non ad *colustra*, sed *colustrum* spectare coniciat.

13. 'Repedare' verbum apud Pacuvium[1]) habes et post eum apud Lucilium duobus his locis:

XXVI, 78: rediisse ac *repedasse* ut Romam bitat gladiatoribus

incert. 165: sane ego a Metelli Roma tum *repedabam* munere

Longo demum temporis intervallo post illa vox quasi in lucem resuscitata est ab Ammiano, Iuvenco, Vegetio, aliis, quorum testimonia Roenschius 'Itala und Vulgata' p. 199 collegit. E glossariis permulta hauriri possunt eiusdem exempla, velut haec:

repedantes: *redeuntes* (cod. Leidensis 67F^{2} f. 60^{r}c)
repedemus: *revertamur* (cod. Leidensis 67E f. 51^{v}b)

---

[1]) Cf. Festum p. 281a 15 et Ribbeckii Trag. frgm.^{2} p. 131.

repedare[1]: *reverterunt* (cod. Bernensis 258 f. 182ᵛ: *reuerter̃*)
reppedat: *redit, remeat* (cod. Sangallensis 912 p. 68)
repedat: *revertitur aut redit* (cod. Bernensis 224 f. 222ʳa; codd. Leidenses 67 F[1] 45ᵛc et 67 E f. 51ʳa: om. *aut redit*)
repetitis: *repedatis* (cod. Leidensis 67 F[2] f. 60ʳd: *repeditis* pro *repetitis*)
repedat: *repetit, revertitur* (gloss. Hildebrandi p. 261, 105)
repedat: *revertitur, redit, regreditur, remeat* (glossarium Salomonis)
repedare: *remeare, reverti* (cod. Amplonianus² p. 372, 45)
repedare: *reverti, redire* (gloss. 'Isidori' p. 693, 4: *revidare,* em. Scaliger: male Hildebrandus ad gloss. Paris. p. 261 a *reviare* vel *rebitare* commendat)

14. XXX, 5 sq. (p. 118):

. . . sicubi ad aures
Fama tuam pugnam clarans adlata dicasset

Hic si recte Franckenus *dicassit* scribendum proposuit, Pauli p. 75, 15 glossa *dicassit*: *dixerit* fortasse Luciliana est.

15. XXX, 30 (p. 121):

Nunc, Gai, quoniam incilans nos laedi' vicissim

Incilare verbo, quod antiquorum poetarum proprium est, praeter Lucilium usi sunt Pacuvius (*incilet*), Accius (*incilans* et *incilas*), Lucretius (*incilet*), quid autem significet unus testatur Nonius p. 124, 37: 'incilare est increpare vel improbare'. Non inutile duco nova eiusdem testimonia interpretamentaque protulisse haec:

incilat: *inclamitat-vitam inprobat*

Qua in glossa e codice Leidensi 67 E f. 35ᵛb hausta quid sibi vult mirum illud *vitam,* inter media interpretamenta *inclamitat* et *inprobat* insertum? Non dubito quin simpliciter eiciendum sit; praecedit enim glossa truncata *infule*: *sacerdotes,* quae propter spatii angustias sic olim scripta:

---

[1]) *repedare* = *repedavere,* quod tamen satis ambiguum est num recte se habeat, cum aliis de rationibus tum ob interpretamenti scripturam *reuerteĩ*.

infulc: *sacerdotes*
incilat: *inclamitat* (*uitam*
inprobat

integra ni fallor talis fuit: *infulae*: *sacerdotis vittae.* Ceterum glossae *incilat*: *inclamitat*, *inprobat* interpretamentum quoque alterum *inclamitat* exquisitum vocabulum est: neque enim ullum eius testem proferre possum praeter Plautum Epidici V, 2, 46 (694): 'etiam inclamitor quasi servos?'[1]).

incillat: *increpat*

cod. Leidensis 67 E f. 34^{r}b (*incurat* pro *incillat*).

incilat: *inclamat*, *arguit*

cod. Vossianus Fol. 82 (*incelat*).

16. Vel ex parvulis tertii saturarum libri fragmentis quae ad Lucili iter Siculum spectant facile apparet, quantopere dolenda sit poetae praeclarissimi carminum iactura. Sat lepidum etiam hoc est, a Gellio XVI, 9, 1 servatum (VII, 11—14 L. Muelleri):

Verum haec ludus ibi susque omnia deque fuerunt,
Susque haec deque fuere, inquam, omnia ludu' iocusque;
Illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem:
Αἰγίλιποι montes, Aetnae ocres[2]), asperi Athones.

In ultimo versu codices Gelliani has vocabuli graeci formas exhibent: ΑΙΓΙΑΠΟΙ *L*; ΑΙΠΙΛΙΠΟΥ *P*; ΑΙΠΙΛΙΠΟΙ *V M O*, ubi αἰγίλιποι latere dudum intellectum est. Haec autem ipsa forma Luc. Muellero satis dubia esse videtur; sic enim ille commentarii p. 203: 'αἰγίλιποι, non αἰγίλιπες codices omnes adstruunt; unde mutare non sum ausus, sicut ne Hertzius quidem; quamquam fatendum apud Graecos scriptores illius formae exemplum non iam exstare'. At nihil si quid video impedit quominus, ut praeter οἰνώψ οἰνῶπος diserte traditum habemus οἰνωπός οἰνωποῦ aliasque id genus formas gemellas, sic praeter Homericum illud αἰγίλιψ αἰγίλιπος etiam αἰγίλιπος αἰγιλίπου exstitisse menti informemus. Accedit quod novum eiusdem formae testimonium afferre possum, ita ut dubi-

[1]) Ad ipsum hunc Epidici versum Placidus p. 58, 13 spectat.

[2]) Sic scripsimus Coniectaneorum p. 240 sq., cum quod traditum est *Aetnae omnes* miserrimum in modum langueat.

tationis restet nihil. E codicis enim Amploniani glossario primo hanc permemorabilem glossam Franciscus Oehlerus p. 259a 88 edidit: 'aegilippon, saxum eminens, quod nec capille ascendere potest', quam sciendum est in ipso códice planis litteris sic potius scriptam exstare: 'aegilippon saxum eminens ingens quo nec capille possunt ascendere'. Itaque sic restitue:

αἰγίλιπον *saxum: eminens, ingens, quo nec*[1]) *capellae possunt ascendere*

Cuius quidem glossae lemma quod est 'αἰγίλιπον saxum' si ad deperditum Lucili versum rettulero, ne nimia mihi audacia crimini detur non timeo, rationibus fretus hisce:

1. In glossariis latinis Luciliana vocabula non pauca inesse supra demonstravimus.
2. Aperte illud fragmentum dactylicum prae se fert rhythmum: αἰγίλι|πον sax|um ||.
3. Graeca vocabula versibus latinis inserendi mos est Lucilianus.
4. Αἰγίλιπος vocabulum neque apud graecos neque apud latinos scriptores usquam traditum est nisi semel apud Lucilium.

---

[1]) *nec* pro *ne quidem*, ut non raro usu venit.

CAPUT III.

De novis vocibus et formis e glossariis eruendis per saturam agitur.

'Non mediocres tenebrae in silva ubi haec captanda, neque eo quo pervenire volumus semitae tritae, neque non in tramitibus quaedam obiecta quae euntem retinere possent.' Varro de l. l. V, 5.

HELITORES

Festus Pauli p. 100, 1 tradit: '*helus* et *helusa* antiqui dicebant, quod nunc *holus* et *holera*'. Hinc antiquos etiam *helitor* pro *holitor* dixisse haud inepte — quamvis nullo testimonio nisus satis inutiliter — quispiam coniecerit. Ac re vera ita dicebant; en glossam, satis mihi certe placentem:

helitores: *hortolani*

cod. Leidensis bibl. publ. 191[3] (*ortolani*); cod. Sangallensis 912 s. VII/VIII p. 121 (*ortolani*); cod. Vossianus Fol. 82 (*elitores*); cod. Vossianus Fol. 24 (*elitores ortalani*).

Iam cum *helitor* formam certo testimonio comprobaverimus, vide num forte antiquissimi codicis Vaticani 3321 f. 71[r] glossam *hilitor*: *ortica* nostro iure scribamus *helitor*: *horticola*[1]), ut *hilitor* haud aliter ex *helitor* corruptum sit atque glossae ibidem traditae *hilidri*: *serpenti aquatici*[2]) lemma ex *helidri*. At exemplis non opus, cum neminem fugiat *e* et *i* in tam vetusto codice fere semper commutari solere.

PANCRA

Impancrare verbi notitiam uni Nonii p. 59, 17 testimonio debemus. Ibi habes haec: '*impancrare* est invadere: verbum

---

[1]) Cf. cod. Palatinum 1773 f. 148[v]: *horticuli*: *ortulani, ortum colentes*, ubi scribe *horticule* = *horticulae*.

[2]) Scribenda est *chelydri*: *serpentes aquatici*.

a graeco tractum, quasi πᾶν κρέας consumere. Varro: *ecclesia in regiam arcam impancrarunt*. Nolo nunc de verbis difficillimis *ecclesia in* agere: hoc unum e glossis addiderim *impancrare*, quod a παγκράτιον voce derivandum esse putant Oehlerus Vahlenusque, procul dubio cohaerere cum *pancra*, quod glossographi *rapina* explicant. Vide sis hanc glossam:

pancra: *rapina*

Mai VII p. 572b = cod. Palatin. 1773 f. 226^{r} (*pancras*); cod. Sangallensis 912 p. 200; Mai VI p. 538a; cod. Vaticanus 3321 f. 113^{v}; idem f. 113^{r} (*karina*); cod. Leidensis 67 E f. 45^{r}b; cod. Amplonianus^{1} p. 361, 162 (*parera*); p. 364, 380 (*pancia*); cod. Amplonianus^{2} ined. p. 366, 29/30; gloss. Hildebrandi p. 231, 23; gloss. Salomonis; Papias; gloss. Isidori p. 689, 37 (*panera*); p. 689, 40 (*panora* Vulcanius: Scaliger non item); p. 691, 33 (*panchra*). Quid sibi velit satis similis glossa *sarapia*: *rapina* (cod. Leidensis 67 E f. 52^{v}b et cod. Leidensis 67 F^{1} f. 47^{r}a, ut alia testimonia nunc mittam) sive *sarapiae*: *rapinae* (cod. Bernensis 224 f. 222^{v}b: *sarapię*) ego non assequor; nisi forte hanc ex illa foede corruptam esse menti informaveris.

LEPTIS · LVSVS · BRVTA

Nepos non solum 'Enkel', sed etiam 'Neffe' significare constat: haud aliter *neptis* fuisse praeter 'Enkelin' etiam 'Nichte' demonstramus adhibita hac glossa:

leptis: *filia fratris*

hanc glossae formam codicis Amploniani tantum glossaria primum (p. 346, 141) et secundum (p. 347, 45) servarunt: reliqui qui penes me sunt testes corrupte *liptis*: *filius patris* (Mai VI p. 532a = cod. Vatic. 3321 f. 90^{r}) et *leptis*: *filius fratris* (cod. Leidensis 67 F^{1} f. 33^{r}c; glossarium Salomonis; Papias) exhibent.

Leptis vox etiam eo insignis, quod exemplum luculentum est *n* in principio vocabuli in *l* mutatae[1]): nasalem enim vetustiorem esse linguarum cognatarum consensus docet, quode vide G. Curtium 'Grundzüge'^{3} p. 251. Hinc haud alienum videtur *lusus* vocabulum statim subicere non minus novum quam *leptis* forma. Nam quid disertis glossarum testimoniis hisce:

lusus: *frater mariti*

Mai VI p. 532b (*lussus*); cod. Palatinus 1773 f. 182^{r}; idem ibidem (*matris*); gloss. Arabicae p. 707, 10 (*lustrus*); Papias; cod. Amplonianus^{2} ined. p. 348, 77/78 (*lu÷sus*).

---

[1]) Cf. '*l*uscitiosus', '*l*usciosus' et '*n*uscitiosus', '*n*usciosus'.

obici potest? Nihil si quid video nisi hoc, non prorsus certam esse formam: novum illius significationis vocabulum latere concedendum videtur, quando hariolaretur qui *lusus* ex *levir* corruptum esse putaret. At ne de eo quidem, quo modo obscura illa vox si glossariorum testimonia sequimur scribenda sit dubito: *lustrus* scriptura consensu Papiae et codicis Palatini infringitur[1]), et quid Amploniani *lu÷sus* sibi velit incertum. Satis sane audaculus esset qui, ut etymon vocis enuclearet, *lusus* vel *lussus* vocabulum ad *ludere* arbitraretur eodem modo pertinere, quo *dêvâ* et *dêvaras* (= δαήρ, *lĕvir*) sanscrita ad *div* radicem, quae *ludere* significat: vide G. Curtium p. 217.

Tertium neque id minus novum huc spectare videtur vocabulum *bruta*, significans *uxorem filii.* Sic enim codex Amplonianus² p. 355, 36: *nurus*: *bruta* et glossarium Salomonis f. 143ʳb Vossianusque Fol. 82: *nurus*: *uxor filii vel bruta.* Cuius vocabuli quae ratio sit extricabunt doctiores. Difficultates auget quod glossa exstat et a lemmate et ab interpretamento simillima, quae cum per se obscurissima est tum quod ad necessitudinem cum priore illa intercedentem attinet non magis plana. Est autem haec:

narici: *bruti*

glossar. Salomonis f. 138ʳb; cod. Vossianus Fol. 82; glossae 'Isidori' p. 687, 46.

QVASSVM

Notabilis memoria haec:

quassum: *quomodo*

cod. Leidensis 67F¹ f. 44ᵛa; Mai VI p. 542b (*quassam quamodo*); cod. Amplonianus² ined. p. 370, 213 (*quarsum*); cod. Amplonianus¹ p. 369, 19 (*quasum*); Mai VI p. 542b; cod. Ambros. B 36 inf.

Quid faciendum *quassum* lemmati? Vide num e *quaversum* natum sit *quarsum*[2]) et *r* littera assimilata *quassum.* Non offendit autem *quomodo* interpretamentum, cum prorsus item comparata sit glossa *quorsum*: *quo usque, quo pacto* codicis Bernensis 357 f. 21ʳb, quo in codice etiam ipsum illud *quaversum* habes (ibidem): *quorsum*: *quaversum, in quam partem. Quoversum* et *quaversum* sicut *quoad* et *quaad.*

---

[1]) Scaligeri glossae Arabicae ex libro glossarum derivatae sunt.

[2]) Ut *quorsum* ex *quoversum.*

CONSERE · COSSENS

E et *o* vocalium variantium exemplis supra allato *helitores* et infra afferendo *noxae* item singularem addimus *consere* formam, quam in Ritschelii Act. t. II p. XII iam designavimus. Prolatis autem omnibus quae nunc novi testimoniis non cautum, sed plane perversum erit de *consere* et *consura* formis dubitare. Sunt autem haec:

conset: *statuit, definit, iudicat, modum ponit*

cod. Vaticanus 3321 f. 27r.

consebat: *exaestimabat*

cod. Leidensis 67 F[2] f. 55vc (*excst-*); cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis f. 37va (*exist-*).

consuistis: *statuistis*

glossarium Hildebrandi p. 75, 366; cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis f. 38rb.

consuerunt: *iudicaverunt, arbitrati sunt*

cod. Sangermanensis; cf. Papiam: *consueuerunt*: *arbitrati sunt, ordinauerunt, iudicauerunt.*

consurae: *rigoris, severitatis*

sic emendanda esse videtur codicis Bernensis 258 f. 178vb glossa *consurę*: *uigoro seueritatis.*

Quibus ducibus vide num glossa perobscura

cossam: *divinans*

cod. Leidensis 67 F[1] f. 16vc itemque cod. Vossianus; cod. Amplonianus[2] p. 288, 165 (*diuinam*); cod. Sangallensis 912 p. 70 (*corsam*); cod. Vossianus Fol. 24 (*costam*).

explicari possit. Cum enim et plenior et ut videtur integrior in glossario Salomonis talis tradita sit: *cossans*: *diuinans vel existimans*, glossae supra exscriptae *consebat*: *exaestimabat* memores una *a* litterula in *e* mutata scribendum proponimus:

cossens: *divinans vel existimans*

Nam *consens* in *cossens* transiisse videtur veluti *formonsus, laborionsus*, sim. in *formossus, laboriossus* et *Consus, Consualia* in *Cossus, Cossualia*; sic enim idem glossarium Salomonis eodem loco: *Cossus*: *consiliorum deus; hinc et Cossualia dicuntur festivitates Cossi.*

OLERI

Permultas de *delere* verbi etymo coniecturas prolatas esse scio, quarum numerum mea augere nihilo setius audeo.

Quattuor verba eiusdem plane formae, sed diversissimae significationis vetusta lingua habuisse videtur: *olēre* dicebatur *cremare* (*ad-olere*), *crescere* (*ad-ol-escere*, *sub-ol-escere*, *ol-escere*), *odorem spirare*. Restat quartum: dicebatur etiam *delere*. Habes enim praeter compositum quod est *ab-olere*[1]) verbum simplex hac glossa servatum:

oleri: *deleri*

cod. Leidensis 67F[1] f. 38[v]a; cod. Bernensis 224 f. 217[v]c; cod. Amplonianus[1] p. 357, 99 (*oliri*); cod. Amplonianus[2] p. 357, 36.

Iam quod *abolere* et *olere* explicare solent glossographi *delere* verbo (cf. glossarii Salomonis glossas *abolet*: *delet*; *abolenda*: *delenda*; *abolitio*: *oblivio*, *deletio gestorum*, quibus multas addere possum), id illi sensu quodam necessitudinis ducti fecisse mihi videntur: nam *dēlere* natum puto ex *de-ilere* = *de-olere*, haud aliter atque *abilitus*: *oblitus* (Mai VI p. 501 a) ex *abolitus*, *inquilinus* ex *incolinus* et *debere*, *dēscere*[2]), *cogere* ex *de-ibere* (*dehibere*), *de-iscere* (*de-hiscere*), *coigere* (*co-agere*).

LAVSANTES

Si quis in codice Leidensi 67F[1] f. 33[r]a; cod. Palatino 1773 f. 171[r] = Mai VII p. 566b; apud Papiam; apud Maium VI p. 531a *lausantes*: *lavantes* glossam permultis sane fontibus sic[3]) traditam reppererit, bellam formam se indagasse putabit: at carbones pro thesauro. Etenim non solum admodum similes hae glossae: *labsantem*: *subinde labentem* (glossarium Salomonis; cod. Vossianus Fol. 82: *latentem*); *lapsantem*: *saepe ruentem* (cod. Leidensis 191[3]; cod. Sangallensis 912 p. 149: *seruentem* pro *saepe ruentem*); *lapsantes*: *lubricantes*, *cadentes* (cod. Amplonianus[2] p. 347, 31: *lapsantem*); *lapsare*: *saepius labi* (cod. Vossianus Fol. 82 et glossarium Salomonis: *lapsari*), sed maxime cod. Vaticani 3321 f. 87[v] = Mai VI p. 531a *lapraentes*: '*lauentes* et cod. Leidensis 67E f. 35[v]b *lapsantes*: *labantes* testimonia

---

[1]) Fortasse etiam *ob-olere* exstitit, si quidem fidem habeas glossis Papiae: *obolitio*: *oblivio* et Diefenbachii 'Glossarii' p. 388b: *obolere*: *vergeen* et *obolescere*: *vergaen*.

[2]) Cf. glossariolum a Georgio Thomas editum p. 380: *descit*: *putescit*, ubi scribe *descit*: *fatescit*.

[3]) Nisi quod apud Maium VI p. 531a *laurantes* scriptum est.

faciunt ut, quin *lapsantes*: *labentes* scribendum sit ne hilum quidem dubitemus.

INDVPEDAT

Glossarium Hildebrandi Parisinum quod p. 172, 158 *indepetat*: *inpedit*[1]) exhibet, editor in glossae commentario duce Papiae memoria *indupedit*: *impetit* in *indupedit*: *inpedit* mutandum proponit, quam coniecturam meam non fecerim. Eadem enim glossa in codice Vossiano Fol. 82 et in glossario Salomonis *indupedat*: *impedit* est, ut *a* illa omnium testium consensu nitatur. Accedit quod gemellum verbum exstitit *propedare*, cuius notitiam item glossis debemus:

propedat: *inpedit*, *cohibet*, *prohibet*

glossarium Hildebrandi p. 250, 475; glossarium Salomonis (*impedit*); glossae 'Isidori' p. 690, 17 et Osbernus p. 472 *prohibet* omittunt. Cf. etiam Panormiam p. 472a: *propedare*: *impedire*, *tricare*, *irretire*.

Imped-ire et *induped-are* sicut *art-ire* et *art-are*, *impetr-ire* et *impetr-are*, *nav-ire* et *nav-are*[2]).

SAVRES

Antiquos pro *sorex* dixisse *saurex* qui prisci sermonis reliquias probe novit non nescit: cf. Servium ad Georgicon III, 278: '*Chaurum* pro *Chorum*, sicut *saurex* pro *sorex*, *caulis* pro *colis*'; Isidorum Originum XII, 3, 2 t. IV p. 61 ed. Areval.: '*sorex* ... antiqui autem soricem *sauricem* dicebant,

---

1) Codex Leidensis 67 F: *indupetat*: *inpedit*. Non neglegendus est alius eiusdem glossarii locus p. 178, 270, ubi Parisinus *inpendit*: *impendit*, *supereminet et praepedit*, *inopedat*, Leidensis multo melius

inpedit: *praepedit*, *indopetat*
inpendit: *supraeminet*

exhibet. Habes ibi glossae de qua agimus verborum ordinem inversum et *praepedit* interpretamentum additum.

2) Cf. glossas *navit*: *strenue agit* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 36[v]a: *strinuae*; Mai VII p. 570a; Mai VI p. 534b; cod. Leidensis 67 E f. 41[r]a: *n. strenuit ũ s. eg̃*); *navit*: *strenuit* (vide codicis Leidensis 67 E glossam modo excitatam); *navire*: *strenui aliquid facere* (cod. Leidensis 67 E f. 41[r]b: *extremi* pro *strenui*; *extremi* autem est *estreni*, forma vulgaris).

sicut et clodum *claudum*'; Papiam: '*saurex* antiquitus, nunc *sorex* dicitur'. Propterea autem hanc glossam:

saures: *sorices*

cod. Amplonianus[1] p. 378, 347 (*surices*); cod. Sangallensis 912 p. 255 (*surices*); glossarium quod exstat post Salomonis glossas (*saure*); glossarium Hildebrandi p. 267, 53 (*saure* Leidensis cum Parisino); glossae 'Isidori' p. 693, 43.

in *saurices*: *sorices* mutantem Hildebrandum non sequor; quidni enim cogitari potest eodem modo quo *senis* (cf. *senes*) et *senex*[1]), gemellas formas *sauris*[2]) et *saurex* olim in usu fuisse? *Saures* enim omnium fontium memoria est.

TOS · SOVE

Ad vetustissimam linguae formam redire videtur glossa *tos*: *tantos*, quam novi e codicibus Palatino 1773 = Mai VII p. 583b *tos tantos, sicut tot tanta* et Leidensi 67 E f. 57ra *tos tanto s͞co posita fabula.* Huius enim glossa in duas dispescenda est sic:

tos: *tantos*

[*tragoedia*]: *composita fabula*

At satis multae huic cascae formae difficultates obstant, quarum non levissima quod etiam haec glossa memoriae prodita est: *tot*: *tantos* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 51vc et glossarium Salomonis; idem Leidensis et Mai VI p. 549 a *tot*: *tantus* exhibent: *tantūs* enim vulgariter dicebant *tantos*). Quamquam nondum planam esse utriusque glossae rationem concedet, qui permirum illud *tos tantos, sicut tot tanta*[3]) non neglexerit. Multo etiam certius adfurcillari — ut glossematice loquamur — potest arcanae glossae

soue: *desine*

cod. Bernensis 224 f. 223vc; cod. Leidensis 67 F[1] f. 49ra; cod. Amplonianus[1] p. 378, 292.

---

[1]) Cf. glossarium Salomonis f. 283ra: *senecis*: *senis.*

[2]) *sauris* formam etiam Osberni p. 557 glossa *suris*: *musculus brachiorum* exhibet. Ut enim graec. μῦς, lat. *musculus*, german. *mūs* et *mäuschen* corporis partes significant, sic etiam *saurem* (= *sōrem* = *sūrem*) 'musculum brachiorum' appellatum esse glossa illa docet, quacum conferenda codicis Amploniani[1] p. 346, 158 *lacerti*: *murices in brachiis*, ubi emendo *surices*.

[3]) Cf. etiam Mai VI p. 548 b: *ton et tos*: *tantos.*

fides. 'Scribe *siva*: *desine* et habebis formam ni fallor vetustiorem quam Pauli p. 27, 13 *de-sivare*: *desinere.*' Minime; sed potius *solve*: *desine*, quam glossam libentissime concedo breviorem esse quam planiorem: at vide, num forte glossarium Salomonis glossis subiunctum dubitanti tibi succurrat. Ibi enim habes *solve*: *desine, cessa vel depone*, quae quo modo supplenda sint eiusdem glossarii quae huic praecedit glossa docet: *solve metum*: *desine, vel depone timorem.*

RANDVM · RABAMINI

Num soli errori tribuendae formae *rabamini*: *arbitrabamini* (cod. Monacensis 6210) et *randum*: *arbitrandum* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 60^rb; cod. Amplonianus^2 p. 372, 105[1]); cod. Sangallensis 912 p. 238; gloss. 'Isidori' p. 693, 21; glossarium Salomonis), an vulgares sunt, sicut *rabitere* pro *rebitere* et *da* pro *de*? An a *ra-tus* participio aliquid auxilii sperari potest? An ad primam coniugationem hae formae accommodatae sunt? Nescio qui diiudicem.

ITINESTEC · PERSTROMA

Ste, stinc, starum, sim. formarum exempla primus ni fallor Lachmannus ad Lucretium III, 954 p. 197 congessit et explicavit. Frequentissimae sunt in vetustis codicibus[2]) et in glossariis, ubi habes velut *stic*: *hic* (cod. Amplonianus^1 p. 378, 310); *stinc*: *hinc* (cod. Amplonianus^1 p. 378, 309); *stinc*: *de isto loco* (cod. Sangallensis 912 p. 272: *stino*); *stinc*: *ininu*[3]) *vel de isto loco* (glossarium Hildebrandi p. 276, 283); *harum*: *starum* (cod. Amplonianus^2 ined. p. 337, 10/11); *adventu temporis*: *sto tempore* (cod. Leidensis 67 F^5). Similis forma in Hildebrandi p. 185, 424 glossa *ita vero*: *itinestet* latet, ubi glossarii Parisini editor *itane scilicet* interpretamentum emendat: me equidem non plausore. Cum enim codex Leidensis 67 F^3 non *itinestet*, sed *it mestec* exhibeat eademque glossa in duas particulas discerpta in eodem glos-

---

[1]) Ibi *raidum* lemma est.

[2]) Num Plautus his formis usus sit admodum ego dubito.

[3]) Hildebrandus p. 276a *inibi* emendandum putat: ego corruptelam nondum sanavi; num *hinc* scribendum? An duae glossae contractae sunt *stic*: *in isto* [*loco*] et *stinc*: *de isto loco*?

sario sic tradita sit *staec*: *ita vero* p. 275, 277, ubi *stet* Parisinus, *stec* Leidensis, et p. 185, 427 *itine*: *ita vero*, ubi *itme* Leidensis, quin integra glossa sic fuerit scripta: *itane vero*: *itine stec* ego certe non dubito. *Itine* illud vulgare est pro *itane*, itemque *stec* pro *istaec*.

Similiter nata esse videtur *perstromata* forma. Graecorum enim περιστρώματα vulgariter sonabat *perstromata*, hisce glossis si fidem habemus:

I. *perstromata*: *tegmina, accubitus*

cod. Sangallensis 912 p. 216 (*tigmina acubitus*); cod. Palatinus 1773 f. 236ᵛ (*perstomata tegimina*); cod. Amplonianus² p. 366, 56 (*peristromata gemina*); cod. Leidensis 67F¹ f. 42ʳc; cod. Bernensis 224 f. 219ᵛc (*peristromata*).

II. *perstromata*: *tegmina*

cod. Palatinus 1773 f. 236ᵛ (*perstomata gemina*); cod. Amplonianus¹ p. 366, 79. Cf. etiam *perstromata*: *protegmina* (cod. Amplonianus¹ p. 361, 191). Glossa ut videtur truncata.

III. *perstromata*: *ornamenta stibadiorum*

cod. Leidensis 67E f. 46ᵛa (*stafediorĩ*); cod. Amplonianus¹ p. 365, 421 (*staefad brum*, quae corruptela latini vocabuli cum librariis tum Moneo vox anglosaxonica esse visa est; cod. Epinalensis *stefad brun* exhibet). Utriusque glossarii scripturae ad vulgarem *stefadium* pro *stibadium* formam spectare videntur. Ceterum cf. *peristromata*: *genus stibadii* (Mai VI p. 539 a).

Non nescio aliquotiens etiam *peristromata* scribi.

SATIM

Qui fieri potuerit ut *affatim* adverbium praeter *abundanter* etiam *statim* vocabulo glossographi interpretati esse videantur, non difficile est ad explicandum. Dico autem *affatim* glossarii primam glossam, quam omnes codices nostri uno excepto *affatim*: *statim, abundanter*[1]) exhibent: codex Bernensis non item. In hoc enim eadem forma servata est quam in notis Bernensibus 6, 84 (p. 88b indicis) et codice Vossiano Oct. 24² (*sat satim satis abundans*), quo sat multa interpretamenta Tironiana continentur, repperi: *satim*. Accedit tertium testimonium: idem *affatim* glossarium (velut

[1]) Non deest eiusdem formae corruptela paulo aliter comparata. Habes enim in codice Leidensi 67F⁵: *adfatim*: *saltim ł habundanter*, ubi scribe *a.*: *satim* .., itemque apud Hildebrandum p. 265, 20: *saltim*: *adverbium est: nunc vel affatim sive habunde.*

codicis Leidensis 67F[1] f. 46^{v}c) alio loco *satim*: *sufficit aut satis est* exhibet, ut Guilelmus Schmitzius notam Bernensem in *satin* mutans coniecturam nobis non probaverit. Hinc etiam codicis Amploniani[1] p. 263, 371 glossa *adfatim*: *statim* emendanda est.

PLAVSTRIT

Inauditum hucusque vocabulum *plaustrit* est. En fontes:

plaustrit: *quod de plaustro sonat*

Mai VII p. 574a; Mai VI p. 540a (*plaustris*); gloss. 'Isidori' p. 691, 48; cod. Leidensis 67E f. 47^{v}b (*plauso*, *sonat* om.). *De* praepositionem omittunt cod. Leidensis 67F[1] f. 40^{r}c; gloss. 'Isidori' p. 690, 41; cod. Bernensis 224 f. 218^{v}c; Papias.

Plaustrit, dum Salmoneus 'sonitus imitatur Olympi'.

QVVR

Franciscus Ruehlius *quur* formam nisi in glossario latinoarabico Leidensi se non repperisse in Ritschelii Act. t. IV p. 378 dicit. Non rara tamen in aliis glossariis est: cf. *quur*: *quare* (cod. Leidensis 67E f. 50^{r}a et gloss. Hildebrandi p. 256, 74[1]); *quur per q scribitur* (gloss. post Salomonis glossas et Papias); *quur*: *quo pacto, quo modo, quo initio, quemadmodum, qua ratione, qua via, qua virtute, quam ob rem, quapropter, quam ob causam*[2]), *qua re, quid ita, qua de re, quorsum, quid, qua re* (gloss. Salomonis glossis subiunctum). Item comparatae *quulina, quurulis, quum primum* formae in glossariis item non raro obviae.

AVBVBVLCVS

Nihili est codicis Amploniani[1] p. 265, 513 glossa *aububulcus*: *pastor bovium,* nisi *b* litterula deleta *aububulcus*: *pastor ovium* scripseris. *Aububulcus* enim ex *avibubulcus* natum, sicut *augur* ex *avigur*[3]), *auspicium* ex *avispicium*, sim.: *aves* autem illae non sunt volatiles, sed lanigerae, cum pro *ovis* olim *avis* formam exstitisse *avillus* diminutivum doceat. Habes

---

[1]) Cf. idem p. 254, 16: *quare*: *quur*.

[2]) *quam ob quam causam* glossarium.

[3]) Cf. Mai VII p. 552a et 'Salomonis' glossam ut videtur pervetustam: *avigerus*: *augurator, qui aves aspicit,* ubi *-gerus* illud in dubium vocare noli; nam antiquos *auger* et *augeratus* dixisse Priscianus auctor est.

enim apud Pauli Festum p. 14, 7: *avillas*: *agnus recentis partus*, quae glossa nondum persanata est. G. Curtius 'Grundzüge'³ p. 364 sic eam affert coniectura nescio cuius usus: *avillas*: *ovis recentes*[1]) *partus*; Schuchardtus 'Vokalismus' t. I p. 179 et Corssenus 'Aussprache'² t. II p. 67 Gothofredi aliorumque vulgatam secuti *avillas*: *agnas recentis partus*; Lindemannus p. 319, recte ceteroqui formam sanscritam quae est *avis* comparans, 'antiquissimam nominativi per *s* formam' latere putat: ego scripserim *avillus*: *agnus recentis partus* collata glossa

avillus: *agnus recens natus*

fragmentum Vindobonense (*abellum*); 'vocabularium [bibliothecae Casinensis] insigne annorum circiter 700' Montefalconii 'Bibliotheca bibliothecarum' I p. 216a (*abellus*); Mai VI p. 510a; codex Sangallensis 912 p. 4 (*abellum*); Mai VI p. 501a (*abellum agnum recens natum*).

Mirum autem illud compositum sic intellegendum, ut *bubulcus* vox ampliorem *pastoris* notionem adepta denuo videatur composita esse, quemadmodum *go-pa-s* sanscritum non solum *bubulcus*, sed latiore significatione *pastor* est. Similia sunt Graecorum vocabula βουκόλος et βουκολεῖσθαι; cf. Homerum Τ v. 220: ἵπποι ἐβουκολέοντο; glossarium Sangermanense apud Valckenarium ad Phoenissas p. 14: βουκολεῖσθαι αἶγας· Εὔπολις Αἰξίν; Euripidem Phoenissarum v. 28: Πολύβου δέ νιν λαβόντες ἱπποβουκόλοι . . .[2]). E latina lingua nihil mihi notum praeter glossam codicis Amploniani¹ p. 258, 27: *auspex*: *qui avium augurium exercet*, unde discimus vulgariter loquentes in *augurium* latere *avis* vocabulum noniam sensisse. Ceterum dubitari posse de glossa tam singulari me non fugit.

NERIOSVS

Apud Sabinos scimus *nero* 'fortis'[3]) et *nerio* 'virtus' significasse, quorum vocabulorum hoc ut nomine proprio etiam

---

[1]) *recentes* aperte mendum typographi pro *recentis*.

[2]) Ibi scholiasta p. 604 ed. Valck. Homeri νέκταρ ἐῳνοχόει satis apte comparat: neque hinc aliena eiusdem κυνέη πάγχαλκος, ταυρείη, κτιδέη, si re vera κυνέη ad κύων revocandum.

[3]) Cf. Philoxeni p. 143, 39 glossam: *nero*: ἀνδρεῖος; Suetonium Tiberii c. 1: 'inter cognomina autem et Neronis assumpsit, quo significa-

Latinorum vetusti poetae non raro usi sunt: appellabatur enim Nerio[1]) Martis uxor. Novum eiusdem prosapiae[2]) vocabulum elegantissimum e glossis profero *neriosus*, quod habes apud Maium VI p. 535a *neriosus*: *resistens, fortis*. Quam glossam e codice Vaticano 3321 f. 102v haustam si quis collata 'Isidori' p. 688, 33 *nervicus*: *nervicosus, fortis* in dubium vocandam et *nervicosus*: *resistens, fortis* scribendam censeat, assentientem me certe non habet, cum Isidorianam ex Osberni Panormia[3]), ubi ficticiae et noviciae formae paene innumerabiles exstant, fluxisse supra p. 49 viderimus.

SOC

Stirpis quae vocatur demonstrativae *so-* (vide G. Curtium 'Grundzüge'³ p. 367) apud antiquos usurpatae tenues reliquiae exstant *sum sam sos sas sapsa* formae, quibus accedit vocabulum omnibus temporibus frequentissimum *sic*, ex *si-ce* natum[4]). Accusativo et locativo casibus addendus ablativus modi *soc*: cf. glossam Mai VII p. 580a *soc*: *ita*[5]); *soc* enim significare videtur 'eo [modo]'. Inauditam formam parum intellegens in dubium vocavit Maius et *sic*: *ita* proposuit, contra codicis memoriam non minus quam contra rationem. Hausit enim glossam e codice Palatino 1773 f. 301r, ubi inter '*sob*rius' et '*soc*er' scriptam exstare Usenerus benevolentissime me certiorem fecit. Nihil autem perversius quam glossographos *sic* vocem tritissimam interpretandam duxisse putare.

---

tur lingua sabina fortis ac strenuus'; Gellium XIII, 23, 7: 'Nerio sive Nerienes . . . Sabinum verbum est eoque significatur virtus et fortitudo'.

1) Vide quae nuperrime de hac dea egit Usenerus 'Italische Mythen' Musei Rhenani t. XXX (a. 1875) p. 221 sq.

2) Cognatarum linguarum vocabula huc spectantia vide apud G. Curtium 'Grundzüge'³ p. 287.

3) Cf. p. 381: *nervicosus*: *fortis, superbus*; p. 385b: *nervosus nervicosus firmus stabilis insolubilis*; ibidem: *nervicus et nervicosus pro fortis dicuntur*.

4) *Si* pro *sic* vulgaris erat, fortasse etiam vetusti sermonis.

5) Glossam iam designavimus in Ritschelii Act. t. II p. 472.

PROCAPIS

Pauli Festus p. 225, 4: *procapis*: *progenies, quae ab uno capite procedit,* ubi O. Muellerus: '... *procapis* substantivum femininum'. Mihi contra adiectivum esse videtur, ut sic glossa intellegenda sit: 'procapis [progenies appellabatur] progenies, quae ab uno capite procedit'; idem enim nomen pervetustum ut adiectivum hisce glossis explicatur:

procapis: *proximus*

cod. Leidensis $67F^1$ f. 44^rb; cod. Bernensis 224 f. 221^ra; glossarium Salomonis; glossae 'Isidori' p. 691, 5.

procapibus: *proximis*

cod. Leidensis $67F^1$ f. 44^rb (*proximus*); cod. Bernensis 224 f. 221^ra (*procapib: proximus*); gloss. Isidori p. 691, 4.

Utraque glossa perbona nisi in *affatim* glossario nusquam tradita esse videtur.

TITIENSIS

Ab auguribus 'titias aves' scimus observatas esse, quodc vide Varronem de lingua latina V, 85: '*sodales Titii* dicti ab *Titiis avibus*, quas in auguriis certis observare solent'. Harum avium tumultuosum sonitum augures videntur *titiensem clangorem* appellavisse; cf. glossam:

titiensis clangor: *id est sonitus cum tumultu*

cod. Leidensis $67F^2$ f. 61^va; idem codex f. 61^vc (*tumulus c. i. e. sonit*); glossae Isidori p. 696, 51 (*clangor i. sonitus*).

GALIT · GALIVIT

'Isidori' p. 681, 55 *galivit*: *peribit* glossam ut 'prodigiose corruptam' non posse sanari nisi satis gravi medela rati Graevius *gallulat*: *pubescit* et Semlerus *gallulat*: *puer iba*[1]) proposuerunt: neque praeter eos quisquam emendare studuit. Quae coniecturae per se satis improbabiles vel propterea reiciendae sunt, quod Mai t. VII p. 562b et Papias *galivit*: *perivit* exhibent[2]), ut et in lemmate et in interpretamento praeteritum, non praesens tempus latere videatur. Accedit quod glossa plane gemella eisdem glossariis tradita est *galit*: *perit* (*gallit* Papias), unde mutare memoriam duplicem audacius est quam probabilius. Itaque videamus, quo

---

[1]) *Iba* existimans ἥβᾳ esse non conicit, sed insanit.

[2]) Nisi quod Papias *gallivit*.

modo explicari possit. Certum autem mihi quidem videtur *galit*: *perit* et *galivit*: *perivit* glossas coniungendas esse cum Pauli p. 377, 5 memoria: *vallescit*: *perierit, dictum a vallo militari, quod fit circa castra, quod qui eo eiciuntur pro perditis habentur*; tanta enim lemmatum et interpretamentorum utrobique similitudo, ut quin eadem stirps et hic et illic habeatur nullus dubitem. Illud autem perdifficile dictu, qui *galire* verbum cum *vallere* forma[1]) conciliari possit. Namque si nolumus glossam errore e *v* in *g* litteram delatam esse statuere, quae est sane ultima ratio, nihil si quid video restat, nisi ut *g* illam ex *v* natam esse collatis linguarum quae vocantur romanarum formis *golpe* (*volpes*), *gâter* (*vastare*), sim. coniciamus, quamquam ad vetustiorem linguae latinae aetatem talia redire non crediderim. Quod autem ad 'gal*i*t' 'gal*i*vit' attinet non secundae, sed quartae coniugationis formas, haud inepte quispiam ad Schuchardti 'Vokalismus' I p. 269 sqq. refugerit, ubi *delit delivit* sim. linguae vulgaris esse demonstratur. Denique quod *galit* et *galivit* simplici, *vallere* gemina *l* littera scripta sunt, haec discrepantia eo fortasse tolli possit, quod Papias *gallit* et *gallivit* exhibet, quamquam veri minime simile Papiam integram scripturam servasse, codices Scaligeri et Palatinum 1773 corruptam. Vides difficultates gravissimas, quas ita ut mihi ipse satisfaciam solvere nequeo: nihilo tamen setius glossarum illarum et Pauli memoriam eodem spectare mihi constat.

MAREDVS · MADERATVS · MARCEROS

D litterae in *r* mutatae exempla omnibus nota sunt *meridies*, *peres* (forma apud Consentium tradita), *ar*, *apor*,

[1]) Admodum suspectum *vallescit* illud. Eiusdem autem originis verbo usus est Varro Prometheo lib. II teste Nonio p. 217, 25: 'retrimenta cibi, quae exierant per posticum, evallefeci'. Iam *vallefacere* (sic Lachmannus) est 'facere ut quis *valleat*', sicut *madefacere* 'ut quis *madeat*'. Hinc si *vallescit* illud eodem modo formatum quo *madescit*, qui quaeso explicari potest *perierit* interpretamentum? *Madescit* enim nunquam 'madidus fuerit' significat. Non audeo tamen mutare, non magis autem de etymo quidquam conicere, quamquam derivandi rationes et Pauli (a *vallo* militari) et Salmasii (a *vallo*, hoc est vanno parvulo) displicent.

quibus non nulla libet addere: *maredus, maderatus, marcerus, marcerat, solerare. Maredus* autem pro eo quod est *madedus* = *madidus* habes in glossis *maredus: madidus, udus* (cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis; Papias); *madedus: maredus, udus, liquore umectus vel sanguine* (glossarium Hildebrandi p. 202, 9: sic enim compositis Parisini et Leidensis scripturis conformanda est glossa, quam subito perspexeris contaminatam esse); *crepalum: maredus, madidus* (gloss. Hildebrandi p. 83, 480: *crepalium* Parisinus, *crepalum* Leidensis, quibus in corruptelis quae forma a κραιπάλη derivata lateat nescio; num forte *crepalum* est κραιπαλῶν?). *Maderatus* = *madedatus* = *madidatus* ex sola codicis Vossiani Fol. 82 glossa *maderatus: umefactus* novi; nec plures testes exstare videntur *marcerat* et *marceros* pro *marcedat* = *marcidat* et *marcedos* = *marcidus* formarum apud Philoxenum qui vocatur servatarum: p. 136, 42 *marcidat et marcerat:* τήκει, τήκεται, λεπτύνει et p. 136, 44 *marcidus et marceros:* τετηκώς, νωθὴς ἀπὸ κραιπάλης. Hinc profecti 'Isidori' p. 695, 41 glossam *solerare ·i· solidare a solus, soleris ·i· solium* aliter explicandam putamus atque ipse glossographus fecit; *solus, soleris* enim pro eo quod est *solium* neque exstitisse omnino videtur neque ad solidandi notionem bene quadrare, ut *solerare* formam addendam censeamus supra comprobatis *maderare* et *marcerare.*

SCITAT

Notum est hucusque *scitari* deponens: antiquos etiam *scitare* activo usos esse hae duae glossae docent:

plebis scitat: plebs interrogat

cod. Amplonianus[1] p. 364, 346 (*plebiscitat*); cod. Amplonianus[2] ined. p. 367, 137/138 (*plebiscitauit*); cod. Vossianus Fol. 82 (*plebs scitat ples*).

plebem scitat: plebem adloquitur

Mai VI p. 540a (*plebiscitat*); cod. Bernensis 357 f. 20[v]a; (*plebiscitat*); cod. Leidensis 67E f. 47[v]b (*plebcitat*); Mai VII p. 574b (*plebiscitat* et *alloquitur*); cod. Amplonianus[1] p. 364, 367 (*plebescat*); gloss. 'Isidori' p. 691, 49 (*plebiscitat* et *alloquitur*); cod. Sangallensis 912 p. 203.

Utriusque glossae cum fontes paene omnes lemma *plebiscitat*

exhibeant[1]), hic quoque glossarum gemellarum par (vide supra p. 18 sq.) traditum esse putarem, nisi obstaret interpretamentorum discrepantia ad conciliandum difficillima itemque codicum Vossiani Fol. 82 (*plebs scitat*) et Sangallensis 912 (*plebem scitat*) singulares scripturae. Ceterum harum formularum satis memorabilium praeterea nec vola exstare videtur nec vestigium.

GNAVAT · COGNIVEO · COGNECTO · GNANVS

Gn- in principio vocabuli positum posterior lingua non iam servavit. Integrarum huius modi formarum non pauca exempla optimae 'Philoxeni' glossae exhibent, velut p. 103, 14 *gnarrat*: *narrat*, διηγεῖται; 103, 20 *gnata*: θυγάτηρ; 103, 22 *gnatus*: υἱός; 103, 39 *gnovit*: οἶδεν, ἐπιγινώσκει; 103, 40 *gnotu*: γνῶσιν, διάγνωσιν[2]); 103, 41 sqq.; 103, 47 *gnatare*: παιδοποιῆσαι, quibus e glossariis mere latinis praeter Placidi p. 50, 8 *gnoscet*: *sentiet*, *experietur* hanc adde:

gnavat: *fortiter exsequitur*

cod. Vossianus Fol. 82 (*gnabat*); glossarium Salomonis (*gnabat f. exequitur*); glossae 'Isidori' p. 681, 47 (*gnabat f. exequitur*); gloss. Hildebrandi p. 156, 72 (*ganabat* P, *gnabat* et *exequitur* L).

Diutius *gn-* litterae in commissura compositorum coniunctae remanserunt; atque semper quidem in *cognosco*. Sed ibi quoque, ubi tralaticia scriptorum lingua nullas nisi *g* carentes exhibet formas, ut *conectere*, *conivere*, sim., vulgaris pristinarum quasdam reliquias servasse videtur. Velut in fragmento Francofurtensi α 4, a habes: '*con* componitur *n* sequente et *n* transit in *g*: 'co*g*natus' 'co*g*natio'; 'co*g*necto' . xi . xum . xio.; 'co*g*nomen' . nis . 'co*g*nosco' . ovi . nitum . *con* componitur *h* sequente et substrahitur . . .' et in glossario Salomonis glossis adiecto f. 255^{v}b inter medias per *cogn-* glossas: *cogniveo*: *niplan*, quae testimonia quam egregie comprobent Ritschelii (vide nunc Opusculorum II p. 448 sqq.), Lachmanni (ad Lucretium p. 136), Fleckeiseni (Musei Rhenani t. VIII p. 229 sq. et 'Fünfzig Artikel' p. 14) de

---

[1]) Hinc factum ut Papias sic coniungeret: *plaebiscitat*: *plaebem interrogat vel plaebem alloquitur*.

[2]) Cf. Paulum p. 96, 12: *gnotu*: *cognitu*.

conubium conectere coniti[1]) *conivere* formis per unam *n* scribendis ratiocinationes non est quod pluribus persequar.

Non dissimilis neque tamen eadem est *gnanus* forma, quam glossae non nimis antiquae testantur. Velut v. glossarium Salomonis f. 164ʳb: 'portenta igitur aut portentuosa existunt alia magnitudine totius corporis .., alia parvitate totius corporis ut gnani, quos Graeci pigmeos vocant eo quod sint statura cubitali'; codicem Caroliruhensem apud Moneum 'Anzeiger' t. VII (a. 1838) p. 153 sqq.: *gnanus*: *homo parvus*; codicem Lipsiensem 101 f. 150ʳb: *gnanus .a. twerch, homo parvulinus*; Diefenbachii 'glossarium'. p. 266c, ubi noviciorum fontium permulta testimonia exstant. Suspicionem movet quod Graecorum[2]) νάννος νάνος *g* littera caret; neque illud placet quod glossis non adeo vetustis tantum *gnanus* deberi videtur, id quod sane concedendum est item in *cognectere* et *cognivere* formas cadere.

COLVMIS

Columis formam adhibitis glossis *columes*: *salvos*; *colume*: *sanum*; *colomis*: *sanus*; *colomem et incolomem hoc interest: incolomem animo accipimus, colomem corpore* et Palatinorum Trinummi v. 743 *columen te sistere* memoria Actorum soc. philol. Lipsiens. t. II p. 465 sqq.[3]) comprobavimus; neque nunc habemus quod ibi expositis addamus nisi hoc unum, etiam *columen* substantivum *sanitas, salus* explicari, quode vide Annal. philol. t. 111 (a. 1875) p. 537.

SCORVSCVS

Nugatur cum a notione tum a forma errans qui *coruscus coruscare coruscamen coruscatio coruscifer coruscalis*[4]) a **ruscus* = *russus* derivanda censet: immo ad *skar* radicem 'zucken' significantem revocanda esse et mea iamdudum sententia est et nuperrime Aloisii Vaniček 'etymologisches Wörter-

[1]) *gnixus* priscos dixisse Paulus p. 96, 11 refert.

[2]) E graeco sermone Latinos *nanus* derivasse Gellii XIX, 13 sententia est.

[3]) Ibi delenda sunt verba p. 466 'zunächst ist von Werth ... Benutzung des Plautus zeigen', utpote ad Onomasticon spectantia.

[4]) Vide Orestis tragoediae v. 243 (p. 51 ed. Schenkel.): 'atque coruscales fundebat vertice flammas'.

buch' p. 185[1]). Quam derivandi rationem ut amplectamur significatio nobis suadet, persuadet autem *scoruscus* forma, quae linguae vulgaris propria tribus testimoniis probari potest. Habes enim in Stephani 'excerptis ex . . . veteribus lexicis graecolatinis' p. 237: *scoruscatio*: ἀcτραπή, quam scripturam ne ex errore natam putaveris harum glossarum codicem Leidensem quoque *s* illam servasse moneo. Praeterea quos novi fontes ei minus etiam dubii sunt: codex Cantabrigiensis Lucae XVII, 24 'sicut scoruscus, qui scoruscat desub caelu' et Probi quae vocatur appendix p. 198, 32 ed. Keil.: *coriscus non scoriscus*, ubi *coriscus* et *scoriscus* formae *i* vocalem exhibentes item vulgares sunt: cf. cod. Vaticani 3321 f. 27r glossam *coriscae*: *crispae aut resplendentes*. Quod autem ad formationem attinet cum *cor-us-cu-s* compara *crep-us-cu-s, Lig-us-cu-s, Fal-is-cu-s*; neque prorsus hinc aliena *vet-us-tu-s, ven-us-tu-s, hon-es-tu-s* adiectiva.

PROPTERVOS

Propteryos formam e *propetervos* contractam duce Bergkio Actorum soc. philol. Lipsiens. t. II p. 468 sq. vindicavimus, glossis bilinguibus velut hisce: 'Philoxeni' p. 175, 1 *proterbitas*: προπέτεια; p. 175, 3 *proterbus*: προπετήc, θραcύc; 'Cyrilli' p. 593, 8 προπέτεια: *protervia* . . *protervitas* . .; eiusdem p. 593, 11 προπετήc: . . *protervus* . . viam monstrantibus.

CLANDIRE

Permira glossariorum mere latinorum memoria ad *claud-* radicem, unde derivata habes *claud-us, claud-aster*[2]), *claud-ēre,*

---

[1]) Eodem vide num κεραυνόc pertineat. Significatio prorsus eadem; nam praeter poetarum locos ('flamma inter nubes coruscans'; 'Iuppiter alta arce coruscat'; sim.) non neglegendus est posterioris linguae usus, ex quo *coruscatio* et *coruscum* idem sunt quod κεραυνόc: cf. glossas *coruscatio*: *vibrans hiems, fulmina*: *coruscationes sive tonitrua*, ἀcτραποειδήc: *coruscus*; Gregorium Turon. Miracul. II, 27: 'permisit super sepulcrum praeterire coruscum, ne fieret multitudinis totius interitus'; Venantii Fortunati locum in lexicis exscriptum. Cum κερ-αυνό-c vocis suffixis cf. καc-αύρα καc-άλβη κάc-cα: κεραυνόc ex κερ-αν-Fοc, ut καcαύρα ex καc-αρ-Fα.

[2]) *Claudaster* vocabulum cum apud Klotzium 'Glossat.' nota insignitum videam, meum esse duco fontes indicare. Nusquam autem traditum repperi nisi in singulari illo nominum glossario, quocum ut solet

claud-ĕre, *claud-icare*, al. spectans ea in re posita est, quod persaepe non *claud-*, sed *cland-* scriptum legimus. Sic *clandire*: *clandicare* glossam exhibent codices Palatinus 1773 f. 77ʳ ('de glosis': inter '*clan*culum' et '*clan*gor' positam) et Vossianus Fol. 24; glossarium 'Salomoni' adiectum f. 254ᵛa (inter '*clan*destina' et '*clan*culum'); Peteri fragmentum p. 11 (inter '*clan*culum' et '*clan*gor'): eandemque interpretamento paullulum immutato *clandire*: *claudicare* Hildebrandi glossarium Parisinum p. 54, 98 (item cod. Leidensis); Oehleri Amplonianum² p. 288, 146 (nisi quod *clan* lemma aperte truncatum pro *clan*[*dire*]); glossae Arabicae p. 703, 21 (*clanidio*: *claudico*, quod ex more huius glossarii ad *clanidire*, hoc est *clandire*: *claudicare* redit); Papias (nam quae in libris impressis exstat glossa *claudire*: *claudicare* eam scriptor *clandire*: *claudicare* esse voluit, quoniam *clam* praecedit, sequitur *clangire*). Vides et 'libri glossarum' et glossariorum seorsum traditorum in *clandire* lemmate servando constantiam. Iam unusquisque, quantumvis constans sit memoria, non dubito quin vetus mendum latere sibi persuadeat scribendumque *claudere*: *claudicare*[1]) censeat, praesertim cum hanc ipsam formam testentur codices Vossiani Fol. 24 et 82; glossae Arabicae p. 703, 20 (nisi quod ibi prima persona substituta est); Papias[2]): ac libentissime ego quoque ita corrigerem, nisi novum confirmandae *clandire* formae subsidium accederet glossa, cui cum duabus illis nihil commune est. In codice enim Vossiano Fol. 82 et Hildebrandi glossario Parisino p. 54, 103, a quo cod. Leidensis non discrepat, *claudicat*: *clandit* scriptum est. Huius glossae cum illa *clandire*: *clandicare* consensus facit ut *clandire* forma vulgus usum esse putem: quamquam quo

---

Cyrilli lexicon consentit: *claudaster*: *claudus* (gloss. Amplon.³ p. 292, 18; fragmentum Deycksii); ἀρνησίχωλος: *claudaster* (Cyrillus p. 396, 49).

[1]) In hanc emendandi rationem inclinat Hildebrandus l. s. s. p. 54a, *claudire* formam satis idoneo exemplo se probare posse negans (at notum quam late pateat haec ἀναλογία); *claudire* nihil dubitans Peterus l. s. s. p. 11 scribendum proponit.

[2]) Tertiam persimilem *clauderet*: *claudicaret* nisi e cod. Leidensi 67E f. 14ᵛb non novi.

tandem modo explicari possit[1]) me prorsus fugit, ut quae glossarum memoria sit exposuisse satis habeam.

MVLCARE · PERCATAPSAT

Mulcare, maxime cum *male* coniunctum, idem esse constat quod *caedere, verberare.* Ad hanc autem radicem etiam *mulcere* molliorem tactum significans spectare cum per se veri simillimum est — utrique enim verbo tangendi notio communis —, tum eo certissime demonstrari potest quod *mulcare* idem prorsus quod *mulcere* significabat[2]). Testimonio sunt glossae: *mulcat: placat linit mitigat dilectat percutit affligit frangit quassat corrumpit vexat graviter verberat pugnis vel calcibus caedit contendit vel domat planat mansuetat placat reficit oblectat vel illicit attrahit vel leniter manum ducit* (glossarium Salomonis: *cedit* . . *domuit*); *mulcat: oblectat* (cod. Leidensis 67E f. 41ʳa: *mulgat*); *mulcator: delinitor, conpositor; mulcere enim delinire est, a mulso dictum* (Placidus p. 66, 14 ed. Deuerl., qui *mulcitator* corrigit: ceterum simillima apud Isidorum Orig. X, 179 habes); *mulcat in bono: placat linit*[3]) *mitigat delectat; mulcat in malo: percutit caedit pugnis calcibusque afficit. mulcator similiter intelligitur et in bono et in malo*[4]) (cod. Bernensis 357 f. 17ᵛa-b: *delectet* . . . *cedit*; ex 'libro glossarum' pendet); *mulcatur: a bono separatur* (cod. Leidensis 67 F[1]; Amplonianus[2] ined.; alii fontes: recte iam Hildebrandus explicavit duce Isidoro l. s. s. 'mulcator eo quod blandis verbis mulceat ad declinandum [a bono] animum'). Ceterum aptior ἀναλογία vix

[1]) Ceterum ne *claudus, claudicare,* cet. quidem aut χωλός vocabula quantum ego scio veriloquiorum indagatores adhuc explicare potuerunt.

[2]) Etiam apud scriptores posterioris aetatis *mulcare* est *mitigare*; cf. Osbernum p. 345: 'mulco .as dicitur a mulceo .i. mulcere; unde Iosephus in quinto decimo: convocans eos oratione mulcavit; et inde mulcator, mulcatus, mulcatio'; eundem p. 363a: 'mulcare: mulcere, mitigare'; Aldhelmum apud Hildebrandum p. 212b excitatum: 'denique si potuit caeli mulcare catervas'.

[3]) *Linis* et *linire* formae vulgares in glossis frequentantur.

[4]) 'Mulcator in malo' velut in glossa: *mulcatores: peremptores,* ἀναιρέται.

exstiterit quam percatapsandi verbum. Graecorum enim καταψᾶν 'mulcere' est, Latinorum contra *percatapsare*, e Graeco in comoediae ni fallor sermonem receptum, 'mulcare' significat. Vocabulum nondum notum glossis debetur:

percatapsat: *valde caedit*

cod. Leidensis 67 F[1] f. 41[r]b (*percutapsat v. cedit*); cod. Leidensis 67 E f. 47[r]a (*percataprat val'de tenet*); glossae 'Isidori' p. 691, 43 (*percataprat v. taedet*); Mai VI p. 539 a (*cedit*); alius codex ibidem a Maio allatus (*percaptassat v. cedit*); cod. Amplonianus[1] p. 364, 44 (*dedicit*); cod. Bernensis 224 f. 219[r]c (*cedit*); cod. Bernensis 357 f. 20[r]a (*percitapsat v. cedit*). Eadem glossa secundo vocabulo corrupto [1]) in cod. Bernensi 357 f. 20[r]a talis exstat: *percatapsat*: *blande cedit*, unde natae glossae Mai VII p. 573 b *percatabsat*: *blande vel valde caedit* et glossarii post gloss. Salomonis f. 277[v]a *parcat absat*: *vel valde cedit*; *perciatapsat*: *blande cedit*. Conferendus est etiam Osbernus p. 483 a: *percatapsere*: *valde decidere* et 'Isidori' glossa p. 692, 20: *percartapsere*: *valde dividere*.

Idem verbum non compositum habetur in glossa codicis Leidensis 67 E f. 12[r]a: *catupsū*: *cedit*, quam sic scribendam puto: *catapsat*: *caedit*. Non dissimile est *percolopare* (vide Petronium c. 44 p. 49, 1 B. ed. mai.), a κόλαφος derivatum. Scaligerum ad *percataprat*: *valde taedet* 'taediat' et 'Petronius' adnotantem non assequor, Hildebrandi autem ad Apuleium I p. 790 (*percaperat* proponentis), Ianssonii ab Almeloveen auctarii p. 10 b (*percarapsere*: *valde dividere* pro *percartapsere*: *v. d.* collata *carrio*: *divido* glossa scribentis), Semleri (utramque 'Isidori' glossam ex *pertaedet*: *valde taedet* natam putantis), Mat. Martinii Lexici philologici II p. 209 a (*percatapirat*: *valde tentat* et *perdepsere* sive *per curta pesare*: *valde dividere* tentantis) coniecturas improbo.

BITI · BETERE

Bitor vel *betor* deponens solae glossae servarunt *biti*: *proficisci*; *bitor*: *proficiscor*; *betere*: *vade, proficiscere*, de quibus explicatius egimus in Ritschelii Actorum t. V p. 309—314.

AVRORANS

Varronis Eumenidum saturae fragmentum Nonius p. 549,

---

[1]) Nam *blande caedere* absurdum est.

12 hoc servavit: *aurórat*[1]) *ostrinum híc indutus súpparum.* Praeter hunc Varronis unus scriptoris anonymi locus in glossariis exstat idem verbum elegantissimum exhibens:

aurorans: *inluminans*

cod. Leidensis 67F[1] f. 9ʳa; cod. Leidensis 67E f. 9ᵛa; gloss. Hildebrandi p. 24, 166; glossae 'Isidori' p. 668, 37 (*illuminans*); Mai VI p. 510a (*illuminans*); cod. Bernensis 258 f. 177ᵛa (*illuminans*); cod. Vossianus Oct. 24[2] (*illuminans*); cod. Vossianus Fol. 24 (*aurotans*); cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis (*illuminans*). Hac glossa nituntur Osbernus p. 56a: *aurorare*: *illuminare, clarificare, irradiare* et glossaria latinogermanica Diefenbachii 'Vocabularii' p. 62c.

Concedo *inluminans* interpretamentum breviusculum esse neque ad verbum tam singulare satis aptum. At cave hoc ipsi glossographo tribuas; restat enim unus testis integrae memoriae hic:

aurorans: *inluminans colore rutilo*

codex Amplonianus[2] p. 271, 365 (*calore*).

VTRVMVOLIS · NELI

Duas glossas prorsus singulares ad volendi verbum spectantes cum singulis tantum locis traditae sint facile in dubium vocari posse me non fugit. Quarum *utrubolis*: *quodvis* Mai VI p. 549b altera est, altera codicis Leidensis 67F[2] f. 58ᵛb haec: *neli*: *noli.* Illa fortasse *utrumvolis*: *quodvis* scribenda est, ut *volis* pro *vis* forma vetusta lateat, haec — si fidem non denegamus — ex *nevoli* explicanda, quod *v* extrusa *neoli* factum, deinde autem aut in *nēli* aut in *nōli* contractum esse videtur.

FVRNAX · FVRNIX · FVRTVNA

Linguae vulgaris formae *u* pro *o* vocalem ante *r* cum consonanti iunctam exhibentes frequentissimae sunt, quode vide Schuchardtum II p. 120 sqq. et Corssenum II[2] p. 167. In glossariis praeter alia haec exempla habes:

furnax: *per derivationem a farre dictum, quia panis ex eo factus ibi coquitur* (glossarium Salomonis: *diriuationem*)

κάμινος: *caminus, furnus, furnax* (glossae 'Cyrilli' p. 501,53)

---

[1]) Sic scribendum duce *L* codicis manu prima cum alii tum Buechelerus viderunt. Cf. etiam Ludovicum Stuenkel 'de Varroniana verborum formatione' (Argentorati a. 1875 ed.) p. 67.

furnice: *saxo cavo vel excusso* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 27ᵛb: *fornice cauo saxo* glossarium Salomonis, sed inter *fur-*)

furnicem: *arcum plateae* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 27ᵛb: *furnice*).

furnicibus: *arcubus triumphalibus vel saxis cavis* (cod. Leidensis 67 E f. 28ʳa; cf. etiam codicem Leidensem 67 F[1] f. 27ᵛb: *furnicibus*: *arcus triumphalis*)

furtuna: *felicitas* (cod. Amplonianus[2] ined. p. 333, 102/103)

furtuna: *fatum* (cod. Leidensis 67 E f. 28ʳb; idem codex ibidem *furtiua*: *furtune*, quae glossa qui emendanda sit non est facile dictu)

furtuna: *fatum*, *Parcae* (cod. Vossianus Fol. 82)

furtunatorum nemorum: *felicissimarum arborum* (cod. Vossianus Fol. 82, ubi *furtunator nemorum*: glossa ad Vergilii Aeneidos VI, 639 'fortunatorum nemorum sedesque beatas' spectans)

DIREMPSI

Emendi verbi compositorum perfecta modo in *-ēmi* (velut *ademi interemi*), modo in *-empsi* (velut *dempsi prompsi sumpsi*) formantur, ita tamen ut raro una ambae formae exstent, id quod sane cadit in *dirempsi* perfectum a Charisio p. 220 sine auctore excitatum et improbatum. Attamen usi sunt scriptores nescio qui, ad quos spectant hae glossae:

dirempsi: *separavi* (cod. Amplonianus[2] p. 296, 98: *derempsi*, sed inter *di-*; cod. Vossianus Fol. 82 et glossarium Salomonis: *derepsi*)

dirempsit: *separavit* (cod. Amplonianus[2] p. 296, 53: *deremsit*[1]): *separatio*, quae glossa dubia est, cum non minus probabiliter *diremptio*: *separatio* emendari possit)

INSVPARE

Dissipare, *insipare*, *obsipare* verborum formas vetustas fuisse *dissupare*, *insupare*, *obsupare* vel propterea veri est simillimum, quod *supare* simplex traditum habes: cf. Festum

[1]) Frequentari in glossis consentaneum est *derimere* pro *dirimere* formam: cf. e. g. *derimit*: *dividit*, *intercidit*, *separat* (cod. Leidens. 67 E f. 15ᵛa inter *de-*) et *derimo*: *devido* (idem f. 16ᵛa item inter *de-*).

Pauli p. 225, 14: ... *supare significat iacere et disicere*, ut alios locos nunc mittamus. Accedit quod *insupare* forma etiamnum exstat: servavit vetustissimus codex Vaticanus 3321 f. 76v = Mai VI p. 529a: *insupare*: *inicere*.

FERASCIT · ET · SIMILIA

Verbis in *-sco* lingua vulgaris factitive ut grammatici loquuntur utitur ita, ut *mansuescere* non sit *mansuetum fieri* sed *mansuetum reddere*, *pulchrescere* non *pulchrum fieri* sed *pulchrum reddere*[1]), cuius usus non nulla exempla e glossariis delibamus:

ferascit: *ferum facit*[2]) (Mai VI p. 524b = cod. Vaticanus 3321 f. 61v: *ferrascit ferrum*; Mai VII p. 561a; cod. Leidensis 67F1 f. 26rd: *ferrum*; cod. Bernensis 224 f. 211vb: *ferrum* ex *feram*; cod. Sangermanensis; glossarium Salomonis glossis subiunctum: *ferrum*; Papias)

ferascit: *efferum facit* (cod. Sangall. 912 p. 108; cod. Amplonian.2 p. 332, 38: *farescit efferem*, sed inter *fe-*)

descens: *aperiens, patefaciens* (cod. Vaticanus 3321 f. 37v: *descens* = *deiscens* = *dehiscens*)

fatescunt: *feriendo dissipant* (cod. Bernensis 224 f. 211rb; cod. Leidensis 67F1 f. 25va; glossarii Hildebrandi p. 139, 71 codex Parisinus; alii)

fatescunt: *aperiunt* (Mai VI p. 524b; cod. Amplonianus2 p. 332, 14: *fatiscunt*; idem p. 332, 5: *fatescunt*: *feriendo dissipantur ac dissolvuntur vel aperiunt*; al.)

diffitescere: *separare* (glossarium Salomonis: *defeciscere*)

διαφθείρω: *depravo, corrumpo, pravesco* ('Cyrillus' p. 432, 1)

multat: *pauperescit* (gloss. Salomonis f. 136ra)

malaxare: *mollescere* (Osbernus p. 366b)

minuescere[3]): *minuere* (idem p. 364b)

---

[1]) Cf. Orestis tragoediae v. 127: 'et lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus'; v. 582: 'si sensus iners tua corda tepescit'; Corippi Ioanneidos VI, 253: 'mansuescere tigres' et VI, 484: 'mansuescit gentes verbi virtute sacerdos'.

[2]) Non debebat Quicheratius in libro supra p. 167 commemorato huic interpretamento adscribere 'imo *ferus fit*'.

[3]) Hoc verbum num Scaliger Ausonio (p. 60 ed. Bipont.) vindicaverit dubium est: v. Georgium Goetz in Philologi t. 34 (a. 1874) p. 295.

DV = B

Duellum postea factum est *bellum*, *duis bis*, *duidens bidens*. Sic *duonus* olim erat *bonus*, quam formam etiam glossae exhibent: *duonus*: *bonus* (codices Vossianus Fol. 24; Vossianus Fol. 82; Leidensis 67E f. 19ᵛa; glossarium Salomonis; Papias), novam addentes eaedem *duonitas*: *benignitas sive bonitas* (codex Vossianus Fol. 24). Verum non solum *bi* ex *dvi* natum est, sed etiam extrusa *v* sive *u* littera *di*, sicut in *dimus*: *bimus* (cod. Vossianus Fol. 24; cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Hildebrandi p. 106, 254: *vimus* Parisinus; glossae 'Isidori' p. 677, 40) et in *diennium*: *biennium* (codices Vossiani Fol. 24 et Fol. 82; gloss. Hildebrandi p. 104, 219; gloss. Salomonis; Papias; glossae 'Isidori' p. 676, 46).

FVAT · FVET

Difficillima est *facere* et *fieri* verborum explicatio (vide Curtium 'Grundzüge' p. 63 coll. 239 et Corssenum 'Aussprache' I^2 p. 143). Nondum notae quae huc spectant formae *fuat* = *faciat* et *fuet* = *faciet*:

fuat: *faciat* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 56ᵛd; cod. Vossianus Fol. 82; cf. glossarium Salomonis: *fuat fiat prosit erit faciat*, quae glossa contaminata praeter alias continet has duas glossas: *fuat*: *faciat* et '*fuat*: pro *sit*')

fuet: *faciet* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 56ᵛd; cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis glossis subiectum)

Quas formas accipiendas esse duco, non in dubium vocandas. Nam etsi *fuat*, quod apud antiquos pro *sit* usu venire notum est, glossographum imperitum male intellexisse et *faciat* pro *sit* interpretatum esse facile quispiam coniecerit, nihil tamen valet haec explicandi ratio satis artificiosa ad evertendam alterius glossae *fuet*: *faciet* vim; *fuet* enim qui ad *fu* = *esse* radicem detorqueri possit non video. Itaque fidem habebimus his glossis. Quamquam quid tandem eis faciendum sit, non facile est dictu: fortasse non iniuria *fuat fuet* formas, quas si cum *fa-cere* contuleris *u* vocali auctas esse vides, cum *perduam*, *duint*, *addues* (Paulus p. 27, 14) et *da-re* comparamus; *-c-* autem additamentum, quod in *fa-c-ere* habes, a *fio* haud aliter atque a *fuat fuet* abest.

CLVVIOR · CLVERE

A radice quae est *clu* Graeci derivarunt adiectiva κλυτός, κλεινός, κλειτός, ab eademque Latini *inclutus.* Exstitit autem huius radicis etiam adiectivum sine praepositione formatum, dico *cluvis,* cuius comparativum haec glossa permemorabilis exhibet:

cluvior: *nobilior*

codices Vossiani Fol. 24 et Fol. 82; gloss. 'Isidori' p. 675, 49 (*clivior*); cod. Amplonianus² ined. p. 290, 299/300 (*cruior*); Papias (*clunior*).

Vocem antiquam resuscitavit Martianus Capella, qui *praecluis* composito usus est. Hoc adiectivum cum G. Curtius 'Grundzüge' p. 144 commemorare noluisset, Corssenus autem I p. 360 sq. oblitus esset, nihil mirum quod ne Aloisius Vaniček quidem 'Etymologisches Wörterbuch' p. 44 memoria dignum habuit. Ceterum oblata hac occasione glossas meas ad *cluere* verbum spectantes cum lectoribus communicabo. Haec autem nunc mihi praesto sunt:

cluet: *nominatur, in gloria est* (cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus² p. 288, 155: om. *est*; cod. Vossianus Fol. 24: *cluet gloriator n. t*)

clues: *polles* (cod. Sangallensis 912 p. 49; cod. Vossianus Fol. 24: *clivis pollix*; cod. Vossianus Fol. 82: *cluis pollix*; Mai VII p. 555b: *cloes folles*; gloss. post Salom.: *c. folles pluvia*[1])

cluere: *clarum esse* (gloss. post Salom.)

cluet: *nominatur vel excellit* (cod. Leidensis 67E f. 14ʳb: *nominet*)

cluit: *clarum est* (gloss. post Salom.)

cluit: *pollet, viget* (gloss. post Salom.)

Brevior haec glossa in codicibus Leidensi 67F² f. 55ᵛb (*cluit*:

---

[1]) Vides quam impudenter corruperint librarii glossam, cuius lemma non intellegerent: *folles* enim aut *pollicem* explicari putabant. Hac similitudine ductus obscurissimam glossam, quam codices Vaticanus 3321 f. 33ᵛ, Leidensis 67F¹ f. 17ᵛc, Vossianus Fol. 24 (cf. etiam contaminatas 'Isidori' p. 672, 56 *cloes*: *pluvia vel navigium* et post Salom. *clues*: *folles pluvia*) talem prodiderunt: *cloes*: *pluvia,* ita correxerim ut pro *pluvia* scribam *polles*, quae coniectura audacissima est, unica tamen quae aliquid probabilitatis habeat.

pollit) et Vossiano Fol. 24 (*cluit*: *pollet*) exstat, plenior autem apud Maium VI p. 516a *cluit*: *pollet vel viget, a cluere*, quod additamentum parum planum est. Eadem duce facile perspicimus, quid codicis Bernensis 357 f. 9^{v}a memoria: *cludit fabricat aliter cludit pollet excellit vel iungit* sibi velit. Haec enim non mediocriter contaminata sic discriminanda et emendanda sunt:

cudit: *fabricat*
cluit: *pollet, excellit vel viget*

AVRVNCVS

Deum ἀποτρόπαιον Romanos *Averruncum* appellavisse notum est: cf. Varronem de l. l. VII, 102: '... ab avertendo averruncare, ut deus qui in eis rebus praeest, Averruncus' et Gellium V, 12, 14: 'in istis autem deis, quos placari oportet, uti mala a nobis vel a frugibus natis amoliantur, Averruncus quoque habetur et Robigus'. Minus notum est huius vocis formam contractam exstitisse *Auruncus*, quae ex *Averuncus* facta est sicut *auspicium* ex *avispicium* idque genus aliae. Habes enim glossam bilinguem bis traditam:

θεὸϲ ἀποτρόπαιοϲ: *Auruncus* (Cyrillus p. 489, 59)
Auruncus: θεὸϲ ἀποτρόπαιοϲ (Philoxenus p. 26, 56[1])

Sed non deest mere latina eandem formam exhibens. Codicis enim Amploniani[3] p. 274, 215 et fragmenti Deycksiani glossa *aruncus*: *deus fugae* coniungenda est cum eiusdem Amploniani[3] p. 275, 244 *aurusicus*: *eufugae*[2]), quam corruptelam foedissimam non dubitabis sic sanare: *Auruncus*: *deus fugae.* Mirum est autem interpretamentum, quod ex graeco sermone male convertit glossographus[3]): θεὸν enim ἀποτρόπαιον 'deum fugae' esse putavit. Confirmata iam triplici memoria *Auruncus* forma ad Gellii locum supra exscriptum redimus, quem Hertzii editio sic exhibet typis expressum: *Au*[*er*]*runcus quoque habetur.* Uncinos addidit Hertzius, ut *er* litteras doctorum coniecturae, non librorum testimonio deberi indicaret. At nos glossaria secuti *Auruncus* servabimus, ita ut

---

[1]) *Auruncius* Stephanus Vulcaniusque, sed *Auruncus* Scaligeri excerpta, quae scriptura potest sane Scaligeri emendatio esse.

[2]) Non exstat in fragmento Werthinensi.

[3]) Cf. supra p. 133 coll. 192.

usque ad Gellium hanc formam redire constet. Iam cum eundem in illo capite vetustos auctores exscripsisse appareat, non noviciam eam esse nemo non videt.

PETERE

Ad illustrandam *pet* radicis vim satis aptae videntur esse hae glossae:

oppetia: *occidia* (Mai VI p. 357 a: *opetia*)
suppetebant: *succurrebant* (Mai VI p. 547 a)
suppetium: *refugium* (Mai VI p. 547 a)
suspito: *saltŏ* (Mai VI p. 547 b)

AGIS

Aio in vulgus notum est ex *agio* natum esse, ut *maior* ex *magior*. Egregie hanc explicationem confirmat glossa *agis*: *ais, dicis*, quam glossarium Salomonis inter medias ab *ag-* incipientes f. 6rb exhibet. Quae quidem forma non displicebit H. A. Kochio, qui talibus Plautum usum esse Palatinis codicibus nisus putet[1]). Prorsus certa — quamquam certior Palatinorum scripturis — ne glossa quidem est, cum etiam *pegierentur*, *magestate*, *ganitrices*, similia in codicibus scribi Usenerus[2]) me moneat.

CALVERE · CALVI

Quae in glossariis de *calvendi* verbo vetustissimo[3]) traduntur, non inutilia esse mihi videntur. Ut autem apud scriptores temporis praesentis tertia persona quae est *calvitur* maxime frequentatur, sic etiam glossarum huc spectantium maior pars hanc formam exhibet:

calvitur: *frustratur, moratur* (cod. Amplonianus² p. 286, 66; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Vossianus Fol. 82)
calvitur: *moratur* (cod. Vaticanus 3321 f. 17v = Mai VI p. 513 a)
calvitur: *frustratur, decipit* (Placidus p. 25, 6)
calvitur: *fallit* (cod. Sangallensis 912 p. 44: *caliotur*)
calvitur: ἐξαπατᾷ (Philoxenus p. 33, 28: *calpitur*)

---

1) Cf. 'emendationes Plautinae' Numburgae a. 1872 ed. p. IX.
2) v. eundem Musei Rhenani t. XXIII (a. 1868) p. 350.
3) Cf. legem XII tabularum: 'si calvitur pedemve struit, manum endoiacito'.

Accedunt glossae exquisitiores, quo in numero 'libri glossarum', velut glossarii Salomonis et Mai VII p. 554a, *calventes*: *frustra calumniantes* non solum propterea insignis est, quod participium aliunde non cognitum servavit, sed etiam quod *calumniae* vocis originem non male illustrat. Restant duae glossae non minus memorabiles, quibus refutatur Klotzius, in lexico I p. 744b haec scribens: '*calvo, ĕre* . . . eine von den Grammatikern angenommene Wortform zur Erklärung von *calvor, calvi*[1]).' Habes enim *calvo*: *decipio* in glossario Salomonis et inter glossas Arabicas (*calio*), atque *calveris*: *frustratus fueris*[2]) in codice Vaticano 3321 f. 19^v = Mai VI p. 513a. Quarum alteram optimis glossis adnumeraverim, utpote docentem tempus perfectum quod est *calvi* re vera exstitisse recteque se habere Prisciani praeceptum, ut nunc videmus ex antiquissima lingua derivatum hoc: 'in *uo*, *u* loco consonantis posita, in *l* quidem desinente paenultima, *o* extremam in *i* convertunt et faciunt praeteritum, ut *soluo solui*, *voluo volui*, *caluo calui*'.

ADMENTVM

Amentum vocabulum, quo lorum iaciendi causa ad iacula aptum significatur, omnes quantum scio qui in hanc vocem inquisiverunt ab *ap* radice — cf. *ap-tus*, *ap-tare*, al. — derivandam esse sibi persuaserunt ita, ut *āmentum* ex **apmentum* haud aliter natum putarent atque *rumentum*, vetustam illam vocem augurialem[3]), ex **rupmentum* (vide Festum Pauli p. 271, 7: *rumentum*: *abruptio*): velut Reinholdus Klotz[4]) in Lexico I p. 353b atque Corssenus 'Kritische Beitraege' p. 267 sq. et 'Aussprache' I² p. 114 coll. 643, quos sequitur ut solet Aloisius Vaniček 'Etymologisches Wörterbuch' p. 9. Atque re vera nihil certius illo veriloquio videtur esse, cum et sententia optime quadret et *rumentum* vocis similitudo ad

---

[1]) *Calvi* nimirum etiam passiva significatione usu venit.

[2]) Hac glossa Bergkius 'Beiträge' p. 140 ad Truculenti versum IV, 2, 49 in libris sic proditum: *post id ego te manum initiam quadrupus beneficia*, in hunc modum utitur emendandum: *póst indu ego manúm iaciam*, *si cálveris*, *venéfica*: probabilitate si quid video nulla.

[3]) Cf. Festum p. 270a 33.

[4]) Nisi quod **apimentum* pristinam vocis formam fuisse statuit.

persuadendum satis sit accommodata. Attamen ut fit in his rebus, nova forma adscita probabilitas omnis ad irritum cadit: nullo enim modo *apmentum* illud conciliabitur cum *admentum* forma, quam adhibitis tribus glossis inter se plane diversis ita nunc comprobabimus, ut quin exstiterit dubitatio restet nulla. Illarum autem glossarum prima est:

admentum: *corrigia lanceae, quae etiam ansula est ad iactandum*

codices Vossianus Fol. 26 (*lancae*); Leidensis 67 E f. 2ᵛa (*lane que est ansula*); Leidensis 67 F[1] f. 3ᵛc (*c. ad lantiam . . . insula . . . lectandum*); Amplonianus[2] p. 268, 157 (*loncae etiam consules adiaciant*: Oehlerus pro eo quod in codice est *admentum corrigia loncae* legere sibi visus est *admentum adiuvantem longae*); glossae Turnebi (*atmentum* (?) . . *lancea* . . *iactum*).

Huc pertinent etiam particulae glossarum *admentum*: *ligamentum, quod in medio lanceae ligatur vel ansutae*[1]) *ad iactandum* (fragmenti Vindobonensis) et *admentum*: *ligamentum vel corrigia lancee* (glossarii Salomonis f. 4ʳa). Testium excitatorum sex *admentum* exhibent, septimi in codice quid scriptum sit incertum. Sequitur:

admentum: *ligamentum, missile, quod in medio lanceae ligatur*

Hanc glossam concinnavi ex duabus hisce:

admentum: *ligamentum, missile, id est quod in medio lancae ligatur* (cod. Vossiani Oct. 24[2])

admentum: *ligamentum, quod in medio lanceae ligatur vel ansutae ad iactandum* (fragmenti Vindobonensis)

Eadem truncata exstat apud Hildebrandum p. 4, 40 *admentum*: *ligamentum* et immutao ordine ibidem p. 196, 128 *ligamentum*: *admentum*, consentiente utroque loco codice Leidensi 67 F[3].

Admentum autem non solum Graecorum ἀγκύλη erat, sed latiore sententia omne lorum quo quid ligatur, testibus Festo Pauli p. 12, 1: *amenta*[2]): *quibus ut mitti possint vinciuntur iacula sive solearum lora*; Plinio Nat. historiae

---

[1]) *Ansutae* = *ansulaẽ* = *ansula est.*

[2]) Non incommode Vulcanius in Philoxeni adnotationibus p. 9, 36 inter *amenta* et *quibus* inserendum *lora* censet, id quod O. Muellerum fugisse videtur.

XXXIV, 6 (14) 31: 'sedens huic [Corneliae statua] posita soleisque sine amento insignis'; glossa hac:

admenta: *ligamenta ad messem*

cod. Bernensis 258 f. 49^rb (*ligamen a. messe*); cod. Vossianus Fol. 26 (*amenta*); cod. Leidensis 67F¹ f. 3^vc (*legamenta*).

Quamquam restant quae, num haec glossa recte a nobis constituta sit faciant ut dubitemus: nihil contra dubium quin Bernensis Leidensisque scripturae tertium exhibeant testimonium *admentum* vocis ligamen aliquod significantis.

Inter *admentum* autem et *āmentum* formas ea ratio intercedere videtur, ut *admentum* factum sit *ammentum* et hoc postea *āmentum*. Atque etiam illa forma quae est *ammentum* in glossariis latet, eaque si hos thesauros curassent viri docti ἐτυμολογοῦντες, ad comprobandam suam derivandi rationem ipsi quoque optime uti poterant.

1) *Ammentum*: ἅμμα λόγχης· λῶρόν ἐστιν, ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη

Sic Scaliger Philoxenum p. 15, 20 emendavit, eiusdem p. 15, 44 glossam *amurca*: ἀμολγή· ἔστιν δὲ τρὺξ ἐλαίου ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη comparans: legebatur antea ἄωρον pro λῶρον.

2) *Ammentum*: *ligamen ad missile* (codices Bernensis 258 f. 177^vc: *messile* et Amplonianus² p. 269, 243: *inmisile*[1])

3) *Ammentum* formam etiam glossaria latinogermanica exhibent, quo ex numero unum testem affero L. Diefenbachii 'Novum glossarium' p. 20 b.

Ceterum ut *ammentum* pro *admentum* sic alias formas similiter comparatas glossaria exhibent non paucas, velut:

amminiculum: *adiutorium* (cod. Amplonianus² ined. p. 269, 249/250)

ammisit: *peccavit, permisit* (cod. Leidensis 67 E f. 6^rb)

ammodum: *fere et valde* (glossa ab Hildebrando p. 9 b inter 93 et 94 omissa, ut cod. Leidensis docet)

ammoneat: *edicat* (cod. Amplonianus² ined. p. 269, 254/255[2])

---

[1]) Amploniani testimonium si cui potius ad glossam supra positam *admentum*: *ligamentum, missile, quod in medio lanceae ligatur* referenda esse videatur, ego non repugnabo.

[2]) Non dissimiles formae *ommittit*: *intermittit* (gloss. Hildebrandi p. 227, 111); *ommitto*: *praetereo, taceo* (cod. Leidensis 67F f. 59^ra); *ommissa*: *praetermissa* (idem codex ibidem); *ommutiscere*: *tacere*

Habes *amentum ammentum admentum* formas: at nondum ad finem pervenimus. Restat enim glossa obscurissima Mai VI p. 505b e codice Vaticano 3321 f. 11ᵛ hausta, cui quid faciendum sit doctiores videant: *agimenta*: *augmenta astarum*; de *amentis* enim ibi sermonem esse facile apparet. Neque illud commemorare nolo, quod arcanam *g* litteram etiam in *amentare* verbo non nulli codices exhibent: glossae enim *coniecit iaculum*: *amentavit* (sic codex Leidensis 67 F² f. 55ᵛc, nisi quod *amenta*) interpretamentum in glossario Salomonis *augmentavit* est, *argumentavit* et *aumentavit* in glossis 'Isidori' p. 674, 32 et 676, 6.

MVGINATIO

Muginandi verbo, quod Paulus p. 147, 1 sic explicat: '*muginari* est nugari et quasi tarde conari', glossae nostrae non minus apte:

muginatur: *nugatur aut cunctatur sine effectu*

Mai VI p. 534a; cod. Bernensis 258 f. 180ᵛc (*aut* . . *effectu* verbis omissis).

muginatur: *causatur*

gloss. 'Isidori' p. 686, 34, quae unde hausta sit nescio.

Cicero usus est ad Atticum XVI, 16: 'dum tu *muginaris* nec mihi quidquam rescribis'. Hinc formatum est *muginatio* substantivum; neque enim ullus dubito quin glossa *mugillatio*: *tarditas*, quam sic scriptam unanimo consensu tradunt cod. Sangallensis 905 p. 613a; cod. Bernensis 357 f. 17ᵛa; glossarium Salomonis; Papias, *muginatio*: *tarditas* emendanda sit. Nam cum omnes fontes modo excitati ad unum 'librum glossarum' redeant, non nimis audax coniectura sit: accedit quod quo modo *mugillatio* cum *muginari* forma conciliari possit prorsus latet. Ceterum quod Lucilius (*muginamur molimur subducimur*: VII, 25 p. 39 ed. Muell.) et Atta (*aquae ita muginantur hodie*: v. 4 ed. Ribb.[2]) vocabulo antiquo ita utuntur, ut scholiastae *murmurare* interpretandum duxerint[1]), conferendus est simillimus *mussandi* verbi usus.

(idem f. 39ᵛa); *ommutuit* (sic *BCGP* libri) Terentii Andriae II, 5, 10 (421); *ommentans* (sic Festus p. 190b 16; contra Placidi p. 73, 19 fontes mihi noti omnes: *omentat*: *exspectat; dictum a mantando, hoc est diu manendo*) Livii Andronici.

[1]) Vide Nonium p. 139, 4.

NOXAE

Disertis grammaticorum Prisciani et 'Agnaei Cornuti de enuntiatione vel· orthographia' testimoniis constat praeter 'ampl*e*cti' exstitisse 'ampl*o*cti' formam, quamquam scriptorum inscriptionumve locus eam exhibens servatus esse non videtur. Similiter *iecur* et *iocur* idque genus similes formas in usu fuisse nemo nescit; sed exquisitior etiam ἀναλογία nondum nota. Exstitit enim procul dubio praeter 'n*e*ctere' etiam 'n*o*ctere': cf. glossam *noxe*: *id est colligate* ex glossario Salomonis subiecto et ipsis Salomonis glossis f. 273^{v}a haustam. Eadem sane e codice Palatino 1773 in Class. auct. t. VI p. 580 sic edita est: *nexae*: *id est conligatae per ·x· scribendum*; at ipse Maius *nexae* pro *noxae* substituisse videtur, cum '*no*tus' lemma praecedat. Iam si quis singulari huic glossae fidem denegaverit, novam profero ad eundem ni fallor vetusti scriptoris locum spectantem hanc: *noxe*: *ligatae*, quam inter glossas 'de *N* et *O*' solus codex Vaticanus 3321 saec. VII scriptus f. 104^{v} servavit.

ANCLARE · EXANCLARE

Quoniam dubitant utra forma praeferenda sit, *anclare* an *antlare*, meum esse iudico ea proferre testimonia, quae e glossariis de hac quaestiuncula peti possunt. Atque quod ad verbum compositum attinet, non intricata res est: omnes glossae nostrae *c* litteram exhibent. Cf. quae subieci:

exan̄clandi: *peragendi* (cod. Leidensis 67E f. 24^{v}a: *exaniclandi*; cod. Vaticanus 3321 f. 57^{r}: *exangladi*; cod. Leidensis 67F^{1} f. 22^{r}b; cod. Bernensis 224 f. 209^{v}a)

exanclasti: *exausisti*[1]) (cod. Leidensis 67E f. 24^{v}a)

---

[1]) Sciendum est hanc scripturam — *exaurire*, non *exhaurire* — in glossariis nostris mere latinis paene constantem esse; cf.: *exaustus*: *consumptus, vacuatus* (cod. Leidensis 67E f. 22^{v}b); *exaustus*: *consumtus, inanis* . . . (cod. Leidensis 67F^{1} f. 21^{v}d: *exauctus*); *exaustus*: *evacuatus, exinanitus* (cod. Bernensis 357 f. 12^{r}a); *exaustum evacuatum* (cod. Amplonianus^{2} ined. p. 329, 92/93); *exaustas*: *evacuatas* (cod. Amplonianus^{1} p. 326, 55); *exauriant*: *consumant* (cod. Amplonianus^{2} ined. p. 329, 54/55; glossarium Salomonis); *exaurient*: *consument* (cod. Vaticanus 3321 f. 55^{v}: *exaurent*); *exausit*: *extenuavit, depeculatus est, compilavit, debellavit, vastavit, infestavit, depopulatus est, hostiliter se habuit, inciviliter fecit* (gloss. Salomonis: *exhausit*, sed

exanclare: *exhaurire*[1]) (cod. Sangallensis 912 p. 101: *exaurire*; glossarium Salomonis)

exanclata: *exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quosque exquisita* (Placidus p. 42, 8)

exanclare: *exanimare vel exinanire* (idem p. 40, 19)

exanclare: *exhaurire, a graeco veniens* ... (idem p. 38, 25)

exanclat: ἀρύεται (Philoxenus p. 89, 19)

exanclat: ἐξαντλεῖ, δαπανᾷ (excerpta Stephani p. 318, 12)

exanclatio: ἐκπλήρωσις, ἀκρίβεια (eadem p. 318, 14: ἐπληρωσις Stephanus, ἐκπλήρωσις Labbaeus II p. 67 d)

Transimus ad verbum simplex, quod apud scriptores rarum esse constat: in glossariis non item. Atque horum quoque testimoniorum longe maior pars *c* exhibet, non *t*:

anclo: *perficio* (glossae Hildebrandi p. 11, 108: *ancelo* Leidensis; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Vossianus Fol. 82: *ando*; glossarium Salomonis: *ando*)

anclare: *haurire, implere* (Mai VI p. 507 a)

anclare: ἀντλῆσαι (Philoxenus p. 15, 50)

anclat: ἀρύεται (idem p. 16, 14: *ancleat*, emendavit Scaliger)

Obstant duo loci, quorum alter dubius; glossa enim codicis Vossiani Oct. 24² *antlare*: *haurire* pars esse videtur supra prolatae *anclare*: *haurire, implere.* Nihil contra suspicionis movet — a memoria librorum certe — lemma *antlat*, quod modo *haurit, exanclat*[2]) (Mai VI p. 508 a), modo *exanclat, haustat, haurit* (cf. Hildebrandi glossarium ined. p. 13, 112/113: *exuntiat, austat, aurit*; eadem in codicibus Vossianis Fol. 24 et 82, nisi quod in illo *antlant* scriptum est) explicatur. Non iam dubium utra forma praeferenda sit. Contra per *t* litteram sine ulla dubitatione scribendum *antlia* vocabulum e graeco translatum, quod praeter Suetonium et Martialem etiam glossae servarunt:

---

inter glossas quae ab *exau-* incipiunt); *exaustis*: *lassis, tristibus, afflictis, attritis, consumptis, defectis, aegris, infirmis, imbecillibus, invalidis, fessis, languidis* (glossae post Salomonis glossarium adiectae).

[1]) Cf. cum hac glossa Festum Pauli p. 80, 13: *exanclare*: *exhaurire* et Placidum quem mox excitabimus.

[2]) Sic emendavi pro *exunciat* (Mai VI) vel *exuntiat* (Hildebrandi glossar. et Vossiani).

antlia: *rota exhauritoria* (cod. Amplonianus[2] p. 270, 277: *anthlia exauritoria*; glossae 'Isidori' p. 668, 11; cod. Leidensis 67 E f. 6ᵛb: *exaurituria*)

antlia: *rota hauritoria* (cod. Vossianus Fol. 24: *antlias r. auritoria*; cod. Amplonianus[1] p. 258, 43: *antiia* ut videtur, *auritoria*)

MINERE

Lucretii VI, 563 libri exhibent *inclinata minent*, quo ex loco in lexica receperunt verbum 'simplex' quod est *minere*. Lachmannus contra commentarii p. 379 sq. non antiquam esse hanc formam, sed corruptelae deberi ratus, *inclinata meant* corrigendum proposuit, cum alii *inclinata abeunt* scriberent. Cuius quidem loci scriptura utut se habet, exstiterit qui *minere* verbum re vera in usu fuisse contendat collatis ineditis glossis hisce:

minet: *eminet; altum significat*[1])
minentes: *hic 'eminentes'*[2])

quas e codice Leidensi 67 E f. 40ʳa hausimus. At cavendum est ne huic memoriae fidem habeamus neglectis reliquorum fontium glossis. Namque dubiae non sunt ad *minari* verbum spectantes hae:

minantur: *eminent*[3]) (cod. Vossianus Fol. 82 et glossar. Salomonis)

minans: *eminens*[4]) (Mai VI p. 533 b et cod. Vossianus Fol. 82) Indagari vix poterunt glossae et a lemmatis et ab interpretamentis similiores. Iam cum alteram illam quae est *minentes*: *hic 'eminentes'* codex inter *mi-* sic scriptam exhibeat: *manentes*: *h. e.*, non dubito quin *manentes* olim fuerit *munentes*, hoc est *minantes*. Accedit quod glossographus interpretatur *hic 'eminentes'*, cum plerumque *minantes* significet *minitantes*. Restat altera illa: *minet*: *eminet; altum significat*,

---

1) *significet* cod. exhibet.

2) *manentes* sane cod., sed inter glossas a *mi-* incipientes.

3) Spectat ad Aeneidos versum I, 162: *hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur | in caelum scopuli*, eodemque libri glossarum *minantur*: *nunc 'eminent, excelsa sunt'*.

4) Glossa item Vergiliana: '*mediaeque minans* [fatalis machina] *illabitur urbi*' Aeneid. II, 240.

cui item fidem denegaverim. Nimis enim facilis est emendatio *minet*, hoc est *minatur*: *eminet; altum significat*: nempe *minat* haud aliter in *minet* corruperunt atque *significat* in *significet*. Potest autem sic quoque scribi:

minetur: *emineat; altum significat*

Utra emendandi ratio praestet, alii videbunt: nos harum glossarum fidem subvertisse satis habemus.

OBSCVRA

Obscurarum glossarum tanta copia tradita est, ut unius hominis vires infirmiores sint quam quae ubique tenebras dispellere possint. Ex ingenti numero non nullas seligemus, quas si quis explicaverit magnam a nobis inibit gratiam. Velut quid sibi vult codicis Amploniani[1] p. 375, 130 *sapafratis*: *separatis*? Non minus obscurae haec sunt:

Ilias: *forsitan*[1]) (cod. Vaticanus 3321 f. 74r = Mai VI p. 527a; cod. Leidensis 67E f. 32rb; Mai VII p. 563b: *ilas*)

Mesopicatum[2]): *dimidium picatum* (*meso peccatum*: *medium peccatum* cod. Amplonianus[1] p. 351, 113; *tyu medium* cod. Amplonianus[2] p. 352, 38; non discrepant cod. Vossianus Fol. 82, gloss. Salomonis, glossae 'Isidori' p. 686, 6)

Samilubro: *artificio* (cod. Leidensis 67E f. 152vb: *similabro*; cod. Leidensis 67F[1] f. 47ra: *artificium*; cod. Bernensis 224 f. 222vb: *artificium*)

Samilubris: *artibus* (cod. Leidensis 67E f. 152vb: *sami lubris*)

Harinulces: *repertores aquarum* (cod. Amplonianus[1] p. 336, 15: *harinulcaes*)

Calixica: *exinanita*[3]) (glossae Turnebi; cod. Leidensis

---

[1]) Num forte ab 'Isidori' glossa p. 682, 48 *illis fas*: *ilicet*, ubi *illic* Scaligeri excerpta, aliquid auxilii sperandum?

[2]) Num μεсо*picatum* = 'dimidia ex parte picatum'? Quae vox admodum barbarice formata esset.

[3]) Turnebus *calix siccus*: *exinanitus* coniecit: parum probabiliter a terminatione. Vide num hac coniectura usi *calix sicca*: *exinanita* probabilius scribamus. Si enim re vera *calix* Graecorum κύλιξ est (cf. Alexandri Saalfeld 'indicem graecorum vocabulorum in linguam latinam translatorum' Berolini a. 1874 ed. p. 19), quamquam *a* vocalis pro *u* posita satis displicet, apud antiquum quendam scriptorem feminini generis, sicut graecum fuerat etiam translatum fuisse videtur.

67F^{1} f. 13^{v}a; codd. Vossiani Fol. 26 et Fol. 24; glossarium Salomonis f. 26^{v}a; cod. Bernensis 224 f. 205^{v}a; cod. Vaticanus 3321 f. 19^{r}; glossae Mai VI p. 513a: *calixcta*; cod. Vossianus Oct. 24: *caraxiaca*; cod. Leidensis 67D: *ca≡axiaca*)

Apissimo otio largissimo (Mai VI p. 508b = cod. Vaticanus 3321 f. 16^{v}: *ostio*; Mai VII p. 551b et cod. Bernensis 16 f. 33^{v}b et cod. Sangermanensis: *apissima o. largissima*; Mai VII p. 551b; cod. Bernensis 16 f. 33^{v}b; cod. Vossianus Oct. 24: *apissima ocio largissima*; cod. Bernensis 16 f. 33^{v}b: *diula^{r}gissimo*; cod. Sangermanensis: ...*o diu largissimo*; glossarium Salomonis: *ocio*; Papias: *apissimum otium largissimum*. Plenior exstare videtur in cod. Leidensi 67E f. 7^{v}a *apissimo ocio largissimo quies*, quamquam additamentum satis dubium est)

Dique: *denique*[1]) (cod. Leidensis 67E f. 18^{v}b; cod. Leidensis 67F^{1} f. 20^{r}c; cod. Vossianus Fol. 24: *diique*; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Sangermanensis; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Amplonianus^{2} p. 296, 83; gloss. 'Isidori' p. 676, 48; glossarium Salomonis)

Hareolus: *iocundus* (Mai VI p. 526a = Vaticanus 3321 f. 68^{v}; cod. Leidensis 67F^{1} f. 28^{v}c; cod. Bernensis 224 f. 213^{r}a; glossae 'Isidori' p. 682, 19: *iucundus*; Papias; cod. Amplonianus^{2} p. 337, 9: *h. i. vel divinus ab aris*, cuius glossae altera pars ad *hariolus* lemma spectat: cf. gloss. Salomonis *hariolus*: *divinator*; glossarium Salomonis: *hariolus i. vel scius*)

Desitiscere: *contemnere* ('affatim' glossae; codex Amplonianus^{2} p. 295, 33: *contempnere*; cod. Vaticanus 3321 f. 36^{r}; cod. Sangallensis 912 p. 74: *desitescere neclegenter agere contemnere*, quae glossa e *desidescere*: *neglegenter agere* et *desitescere*: *contemnere* in unam contracta est; cod. Amplonianus^{1} p. 295, 97: *desistere*; alibi)

Caplosus: *inlisus* (Mai VI p. 514a: *caposus*; ibidem: *capulosus*; cod. Leidensis 67F^{1} f. 13^{r}c; cod. Amplonianus^{1} p. 285, 396: *caplossus inrisus*; cod. Amplonianus^{2} p. 286, 24: *inlirus*; glossae Arabicae p. 702, 36: om. *inlisus*; gloss. Hildebrandi p. 45, 39: *inlisos* Leidensis; idem p. 177, 239: *inlisus*: *caplosus*; cod. Sangermanensis: *elipsus*; persaepe alibi)

---

[1]) Burmannus *dique*: *deique* scribendum putat.

Adlositum: *adlisum* (Mai VI p. 503b; cod. Amplonianus[2] p. 267, 118: *adinlisum* ex *adinsisum* ut vid.; Mai VI p. 504a: *adplos*: *adlis*; cod. Sangermanensis: *adlo*: *allislum*; gloss. Hildebrandi p. 4, 38; idem p. 3, 37: *adlisum adlositum*; cod. Vossianus Fol. 82; persaepe alibi)

Plura eligere nunc non iuvat; quid enim est bona glossarum nobis servatarum pars nisi obscuritatis corruptelaeque horribilis seges?

TRANSLATA

Vocabulorum graecorum in linguam latinam translatorum indices non paucis exemplis e glossis depromptis locupletari possunt, quo ex numero haec tria selegimus.

Graecorum ἔγχελυς latine factum videtur *enocilis*, quam formam hae glossae servarunt:

enocilis: *piscis stagneus, id est anguilla*

Mai VI p. 522b = cod. Vaticanus 3321 f. 50[v]; Mai VII p. 560a et Papias (*enochilis*); cod. Leidensis 67 F[1] f. 24[r]c (*enocilius*); cod. Bernensis 224 f. 210[v]b (*anguila*).

enocilis: *piscis stagneus, qui latine anguilla dicitur*

cod. Amplonianus[2] p. 328, 26 (*aliter* pro *latine* Oehlerus falso legit); cod. Vossianus Fol. 24 (*enocile . . . q̃ latine*); cod. Vossianus Fol. 82 (*anguila*); glossarium Salomonis (*que*).

Πρόθυρον vocem suam fecisse Romanos ita, ut *r* in *l* mutata dicerent *protulum*, *t* pro θ et *u* pro υ ex more proferentes, testatur glossa codicis Amploniani[2] p. 368, 194: *protirum*: *anteianua, quod vitiose vulgo dicitur protulum*.

Κύκνειον factum est *quigneum*; cf. glossas:

quigneum: *album* (Mai VI p. 543a; cod. Leidensis 67 F[1] f. 44[v]d; cod. Bernensis 224 f. 221[v]a; gloss. Salomonis f. 178[r]a: *quiigneum*)

album: *quigneum* (Mai VI p. 505b; cod. Vaticanus 3321 f. 13[r]: *qungneum*; cod. Bernensis 16 f. 20[v]a: *quicneum*; cod. Leidensis 67 F[1] f. 9[r]c; cod. Bernensis 224 f. 203[r]b; cod. Leidensis 67 D: *quicneum*)

qui- = κυ- ut in *quinici*: *philosophi sunt a canibus vitam ducentes; quines enim graece canes dicuntur* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 44[v]d: *aut c. uita decentes phylosophi e. grece*; cod. Amplonianus[1] p. 369, 4 nihil nisi *quinici philosopi*; idem p. 370, 43: *ducentes* ex *dulentes*, reliquis omissis; gloss. Salomonis f. 178[r]a: *quinos*

enim; alibi); *quilismata*: *vibrationes vocum* (glossarium Salomonis f. 178ʳa); *quinoclosa*: *lingua canina, id est lapella* (idem ibidem); *quinoroda*: *rosa canina* (idem f. 178ʳb); *Coquitus*, quam formam[1]) in notarum Tironianarum codicibus manu scriptis exstare Guilelmus Schmitzius me docuit; aliis[2]).

SACRA

Glossas sacras appellaverim velut hasce:

Candes: *vasa fictilia Saliorum* (v. supra p. 7)

Fulguratores: *rustici aruspices* (glossae 'Isidori' p. 680, 43; cod. Leidensis 67E f. 28ʳb: *fulgoratores*)

Econes: *sacerdotes rustici* (Mai VII p. 559b = cod. Palatin. 1773 f. 107ᵛ; glossae 'Isidori' p. 678, 48; cod. Sangallensis 905 p. 273b: *rustici sacerdotes*; glossarium Salomonis; cod. Vossianus Fol. 82: *eggones*; gloss. 'Isidori' p. 678, 3: *egones*; cod. Leidensis 67E f. 20ᵛa; idem f. 19ᵛb: *econos s. rusticis*)

egones: *sacerdotes rusticorum* (cod. Vossianus Fol. 24: *rusticorum sunt*; idem: *egondes*; glossarium Salomonis: *egomes*; glossae 'Isidori' p. 678, 34; cod. Leidensis 67F¹ f. 24ʳb; cod. Bernensis 224 f. 210ᵛa)

Tutulos dicebant sacerdotes brevium templorum[3]) (Atto polypt.)

Ambignae[4]): *oves ex utraque parte agnos habentes* (Mai VI p. 506b)

ambignae: *oves quas Iunoni offerebant, quia geminos parerent* (Mai VI p. 506b)

Maialis[5]): *porcus pinguis, eo quod de his Maiae sacrificabant*

---

[1]) Cf. etiam *cocuetus*: *flumen apud inferos* (codd. Vatic. 3321 f. 29ʳ et Leidensis 67F¹ f. 15ʳb).

[2]) Mentione non indigna est librorum Nonianorum scriptura p. 27, 3 *helquisticon* sive *helquesticon* pro eo quod est ἑλκυστικόν.

[3]) Videtur error esse.

[4]) Cf. Varronem de l. l. VII, 31: *ambiegna bos apud augures, quam circum aliae hostiae constituuntur* et Paulum p. 4, 16: *ambegni bos et verbix appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.*

[5]) Vide num idem suffixum restituendum sit corrupto Festi p. 238b 17 lemmati glossae: 'propudi ait † porcus dictus est, ut ait Capito Ateius, qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est', ubi vulgo scribitur *propudianus*, ego proposuerim *propudialis*.

(cod. Amplonianus[2] ined. p. 352, 15/16: *mailis*; cod. Sangallensis 912 p. 158: *maie sacrificabantur*; cod. Amplonianus[1] p. 351, 151: *matalis pecus pinguis*, reliquis om.)

Tegularia: *malefica, eo quod supra tegulas sacrificet* (glossae Turnebi; cod. Palatinus 1773 f. 332ᵛ: *tugallaria*; codd. Bernensis 224 f. 225ʳc et Leidensis 67F[1] f. 51ᵛd: *tugellaria maleficia .. sacrificit*; cod. Vossianus Fol. 26: *tugillaria maleficia .. sacrificent*; cod. Sangallensis 912 p. 301: *tucellaria maleficia quae super tegula faciuntur*; glossar. Salomonis: *tufallaria*; Mai VI p. 548 a: *tegellariae maleficae quod super t. sacrificent*, ubi 'al. cod. *veneficae*' Maius adnotat; glossar. Salomonis: *tegellaria quasi beneficia quod super*; glossae 'Isidori' p. 696, 41: *tugellaria maleficia .. sacrificent*, ubi Scaliger: 'in aliis *tegellaria venefica*'; Atto polypt.: *tegularium veneficia quae super t. sacrificabantur*)

Extispices: *haruspices* (cod. Amplonianus[2] inedit. p. 329, 66/67; cod. Leidensis 67F[1] f. 23ᵛc: *extispicis aruspicis*; *ar-*, non *har-* etiam in gloss. 'Isidori' p. 678, 56, apud Hildebrandum p. 135, 324 ubi *aurispices* Paris., in Sangallensi 912 p. 101 qui *exte-*)

extispices: *aruspices; ab extis hostiarum* (cod. Vossianus Fol. 82 et glossarium Salomonis: *auruspices* uterque fons. Pars huius glossae latere videtur in codicis Leidensis 67F[5] memoria: *exdispices*: *aruspices ab extis intestina hostiarum aspicientes*)

extispices: *intestina hostiarum aspicientes*[1]) (cod. Leidensis 67F[5], cuius glossam modo protulimus integram)

extispex: *qui exta inspicit* (codd. Bernensis 357 f. 12ᵛa et Sangermanensis: *extinspex*)

extispici: *aruspices* (cod. Leidensis 67E f. 23ʳb: *extisipiati aruspicis*, ubi etiam 'extispices' corrigi potest)

---

[1]) Cf. Nonius p. 16, 9: *extispices proprie haruspices dicti sunt, quod exta spiciant.* Sic vulgo scribi solet: at fortasse *a* littera iterata emendandum est *quod exta aspiciant*, quemadmodum glossa illa exhibet *extispices*: *intestina hostiarum aspicientes.*

extispici[1]): *aruspices, ab eo quod fibras, id est interiora, considerant* (cod. Sangerman.: *ad eo q. fibra*)

Medius fidius: *iuramentum paganorum* (cod. Amplonianus[2] ined. p. 352, 42/43: *fidus*; in glossario Salomonis haec adduntur: *id est mediator fidelis, quod significat Mercurium, qui credebatur apud gentiles nuntius esse inter deos et homines*)

medius fidius: *deus sanctus mala avertens* (cod. Amplonianus[1] p. 351, 112)

Suovetaurilia: *sacra sunt de tribus animalibus: de sue, ove, tauro*

Haec e codice Sangallensi 912 p. 286 hausi, ubi *suovetaurealia* et *trebus* scriptum est. Praeterea duos eiusdem glossae fontes novi, ubi tamen admodum male habita exstat. Lemmate privatam qui glossarium codicis Leidensis 67 E composuit inter glossas a *sa-* incipientes eam inseruit f. 52ᵛb: *sacra*: *sunt de tribus animalibus: de sue, de ove, de tauro* (*sacro* et *decuo* pro *de ove* cod.). Lemma contra integrum est in glossario Amploniano[1] p. 378, 289[2]), interpretamento hunc in modum pessumdato: *sacramenta s animalia sunt sive ove et tauro.*

Pater patratus: *sacerdos vel praepositus, pater foederum conficiendorum, quando pax fit cum barbaris*

Sic cod. Amplonianus[2] p. 366, 32 (*est propositus*; inde a *pater foederum* nova glossa in codice incipit, littera maiuscula insignita) et idem[1] p. 360, 129 (*sacer* .. *id est pater*; *quando* .. *barbaris* om.).

NOVA · VOCABVLA

Secuntur vocabula non nulla, quae in lexici Klotziani *D* et *F* litteris omnino non exstant. Quae colligentes certis de

---

[1]) Haec forma etiam in inscriptionibus exstat. Plane simile par *aquilices* (cf. *aquilex*: *homo aquarius* gloss. Ampl.[3] p. 274, 184 et Philoxenum p. 17, 47; 'Excerpta' p. 306, 26) et *aquilici* (*aquilici*: *scrutatores aquarum* gloss. Amplonian.[1] p. 261, 251; cod. Vossianus Fol. 24).

[2]) Nisi quod *suovetaurilia* ex *suoveterilia* factum est.

rationibus ad hunc librum redeundum esse duximus, quamquam Ottii, Pauckeri, Quicheratii, Vogelii, aliorum studia ad supplendos linguae latinae thesauros spectantia minime nos fugerunt.

D

Dapsilitas: *dapsilitas* (cod. Vossianus Oct. 24[2])
dapsilitas: *daps* (gloss. Salomonis)

Daticius: *daticius*: *dediticius* (cod. Vaticanus 3321 f. 36r; cod. Palatinus 1773: *d. deditius*; Mai VI p. 519b: *d. d. et pro filio datus*; al.)
daticius: *pro filio datus* (Mai VI p. 519b: *d. dediticius et pro*; cod. Palatinus 1773: *filius*)
daticii: *hostes qui victi tradunt se in servitutem* (liber glossarum: *datici* et *servitute*)
daticius latinum nomen est, sed dediticius idem est: si barbarus tradat se Romanis, dediticius dicitur (cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis; gloss. Hildebrandi p. 91, 15: *latinum non*)

Decapito: *decollat*: *decapitat* (gloss. Hildebrandi p. 92, 30; *d. d. plectit* cod. Vossianus Fol. 82 et gloss. Salomonis)

Decurtator: *decurtator*: *in sermone crebro offensitans* (cod. Sangallensis 905 p. 236b: *decurcator*)

Dedecorate: *dedecoratius*: *inhonestius* (cod. Leidensis 67E f. 16ra)

Defenero: *defeneravit*: *ditavit* (codd. Vossiani Fol. 24 et 82; glossarium Salomonis; al.)

Deflammatio: *deflammatio*: *deflagratio* (glossarium Salomonis; scribitur etiam *difflammatio*)

Degestio: *degestio*: *egestio* (gloss. Hildebrandi p. 94, 65; cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis; al.)

Deicida: *deicida est qui deum occidit, ut homicida qui hominem* (Placidus p. 35, 15)

Deicola: *deicolae*: *angeli* (cod. Leidensis 67E f. 16va: *deecule*)

Delevo: *delevati*: *de terra levati* (Mai VI p. 520a; cod. Vossianus Fol. 24: *delibati*; cod. Leidensis 67E

f. 16ʳa; glossarium Salomonis: *delibati* . . *libati*; idem alio loco: *delavata* .. *levata*)

Delicior: *deliciantur*: *epulantur* (glossarium Salomonis)

Demanduco: *demanduco*: *corrodo* (glossae Arabicae p. 703, 55)

Demorator: *demorator* ·i· *retentor*, *litigator*, *firmator* (gloss. Salomonis)

Denidor: *denidor*: *malus odor* (cod. Vossianus Fol. 24; glossae 'Isidori' p. 677, 11; scribitur etiam *dinidor*, velut in cod. Leidensi 67E f. 19ʳb)

Denundino: *denundinat*: *omnibus notum facit*, *divulgat* (cod. Leidensis 67F¹ f. 20ʳb: *hominibus noctefacit*); Mai VI p. 520a: *aut divulgat*; glossarium Salomonis: *d. divulgat omnibus*; al.)

Deoccido: *degladiandi*: *deoccidendi* (Mai VII p. 558b; Mai VI p. 520a; gloss. Salomonis; alibi)

Depeculatio: *depeculatio*: *internicio pecoris* (cod. Vossianus Fol. 24: *deteculatio internitio*)

depeculatio: *despoliatio* (cod. Amplonianus² p. 296, 62: *disp-*)

Depenso: *depensaturus*: *daturus* (cod. Vossianus Fol. 24; cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Salomonis)

Depravator: *depravator*: *minorator* (cod. Leidensis 67F¹ f. 18ᵛd)

Desidesco: *desidescere*: *neglegenter agere* (cod. Amplonianus² p. 295, 31; cod. Vaticanus 3321 f. 36ʳ; gloss. Hildebrandi p. 99, 147; cod. Sangallensis 912 p. 74: *desitescere necligenter agere contemnere*, quae contaminata sunt; al. Cf. Osbernum p. 179a: *desidescere*: *pigrescere*)

Desipisco: *desipiscit*: *delirat* (cod. Amplonianus² p. 296, 74: *dissipiscit delerat*; cod. Leidensis 67E f. 19ʳa: eadem scriptura quae in Amploniano²; cod. Bernensis 258 f. 179ʳa; *desipiscit*: *delirat vel infatuatur*: 'affatim' glossae)

desipiscit: *sensum amisit* (cod. Amplon.² p. 296, 46)

desipiscit: *infatuatur* (cod. Vaticanus 3321 f. 43ʳ:

dissipiscit; *d. delirat vel infatuatur* 'affatim' glossae; cod. Leidensis 67E f. 16ʳa: *infatuatus est*)

desipiscit: *a sensu declinat* (glossarium Salomonis: *declinat delirat, infatuatur*)

Desolanus: *desolanus*: *subsolanus* (codd. Vossiani Fol. 24 et Fol. 82; al.)

Dextralis: *dextralis*: *securis dexterae habilis* (cod. Sangermanensis; Mai VII p. 559a)

Diescit: *diescit*: *dies fit* (glossae 'Isidori' p. 676, 36)

Diffitesco: *diffitescit* in glossario Salomonis explicatur *dissolvitur evanescit*; *dissolutus* (scr. *dissolvitur*) *aut marcescit, languet aut arescit*; *dissolvitur, marcescit.*

diffitescere: *separare* (glossarium Salomonis: *defeciscere*)

Diffugo: *dispalatum*: *diffugatum* (Mai VI p. 521a; cod. Sangermanensis; Mai VII p. 559a; gloss. Salomonis: *dispidatum*; cod. Leidensis 67E f. 19ʳa; al.)

Dilapidator: *dilapidator*: *prodigus, perditor* (cod. Ambrosianus B 36 inf.)

dilapidator: *consumptor* (cod. Vossianus Fol. 24, gloss. Salomonis, cod. Vossianus Fol. 82: *del-*)

Dilargus: *dilargus*: *multum donans* (cod. Amplonianus[2] p. 296, 79; cod. Leidensis 67F[1] f. 20ᵛc; cod. Vaticanus 3321 f. 41ʳ; cod. Sangallensis 912 p. 81; Mai VII p. 559a: *multa*; al.)

Diluculescit: *diluculescit*: *dilucescere incipit* (cod. Ambros. B 36 inf.: *diluculascit*)

diluculesceret: *dilucesceret* (cod. Ambros. B 36 inf.: *dilacesceret*)

Diplomatarius: *diplomatarius*: *duplicator* (cod. Sangallensis 912 p. 84: *diplumatarius duplicatur*; cod. Vossianus Fol. 82: *diplomaxarius*; cod. Leidensis 67F[2] f. 56ʳa: *deplumatarum duplicatur*; cod. Vossianus Fol. 82: *deplumatarus duplicatur*; al.)

Discifer: *discifer*: *qui discum fert* (gloss. Salomonis)

Discipulatus: *discipulati*: *edocti* (cod. Leidensis 67F[1] f. 20ᵛb: *edoctis*; Mai VI p. 521a; cod. Sangal-

lensis 912 p. 82; cod. Sangermanensis; Mai VII p. 559a; al.)

Discordator: *dissensor*: *discordator* (cod. Amplonianus[2] p. 296, 69; Mai VII p. 559a; al.)

Disdonat: *disdonat*: *diversa donat* (cod. Amplonianus[1] p. 294, 92; cod. Leidensis 67E f. 19ʳa; glossae 'Isidori' p. 677, 2)

disdonat: *dispargit vel dispergit* (cod. Vossianus Fol. 24)

Disgrex: *disgrex*: *segregus* (glossae 'Isidori' p. 676, 32)

Disligo: *disligo*: *solvo* (glossae Arabicae p. 704, 24)

Dismiror: *dismirando*: *emirando* (Placidus p. 31, 12)

Dispiculare: *dispiculare*: *sagittare* (glossarium Salomonis; cod. Vaticanus 3321 f. 40ʳ: *deispeculare*)

Displacidus: *displacidus*: *morosus* (gloss. Hildebrandi p. 111, 306; gloss. Salomonis; cod. Vossianus Fol. 24; gloss. 'Isidori' p. 677, 43; Papias)

Disseminator: *disseminator*: *divulgator* (gloss. Hildebrandi p. 112, 319: *dissim-*; p. 115, 365: *dissim-* et inverso ordine; gloss. Salomonis)

Dissensor: *dissensor*: *discordator* (cod. Amplonianus[2] p. 296, 69; Mai VII p. 559a)

Disserenus: *disserenus* (cod. Vossianus Oct. 24[2])

Distonat: *distonat*: *per diversa tonat*[1]) (cod. Vossianus Fol. 24; gloss. Salomonis; cod. Leidensis 67F[1] f. 21ʳb: *pro d. sonator*; cod. Amplonianus[2] p. 296, 84: *disdonat* ex *distonat*; *p. d. donat*)

Dividiose: *dividiose*: *moleste* (Placidus p. 32, 5)

Divinaculum: *divinacula*: *sortes* (cod. Sangallensis 905 p. 262a; cod. Palatinus 1773 f. 105ʳ = Mai VII p. 559b; cod. Sangermanensis; gloss. Salomonis)

Divulgator: *disseminator*: *divulgator* (testimonia vide supra v. *disseminator*)

Doctito: *doctitat*: *frequenter docet* (cod. Leidensis 67F[1] f. 21ᵛa et alibi saepe)

---

[1]) Glossa dubia, cum fortasse *disdonat*: *per diversa donat* scribendum sit.

Dotamen: *dotamen*: *donum pro uxore* (cod. Leidensis bibliothecae publicae 191[3])

Dracontopes: *dracontopede*: *homo est, qui caudam habet draconis* (cod. Amplonianus[2] p. 297, 115: *darchontepede homo qui . . draconem*; cod. Bernensis 224 f. 207^{v}c: *dragontopede*; cod. Vossianus Fol. 24; cod. Leidensis 67 F[1] f. 18^{v}b: *dragonto pede caudum*; gloss. Salomonis; cod. Vossianus Fol. 26: *dracontopode*)

Duellio: I *duellio*: *pugnator, belligerator, † quod docet* (gloss. Hildebrandi p. 118, 394: *quam d.* cod. Leidensis)

duellio: *pugil vel rebellio* (glossae Vincentii)

duellio: *rebellis, quod antiqui duellum bellum dicebant, eo quod generatur sibi contrarius a duabus partibus* (cod. Amplonianus[2] p. 297, 117: *duobus*)

II *duellio*: *bellum duplex, duellum* (cod. Leidensis 67 E f. 19^{v}a; cod. Leidensis 67 F[2] f. 56^{r}b: om. *duellum*)

Duoviralis: *duoviralis* (cod. Vossianus Oct. 24[2])

F

Fabellor: *fabulor*: *fabellor* (glossar. Hildebrandi p. 137, 10; glossae Salomonis)

Fabulo: *fabulo*: *fabulas conponens* (cod. Sangermanensis; cod. Vaticanus 3321 f. 59^{r}; cod. Palatinus 1773; cod. Leidensis 67 E; al.)

fabulones: *fabularum inventores* (cod. Sangermanensis; cod. Palatinus 1773 f. 123^{v}; cod. Leidensis 67 E)

fabulo: *qui multa loquitur vel qui fabulas conponit* (cod. Bernensis 357 f. 12^{v}b)

Factive: *factive*: *active, strenue* (gloss. Hildebrandi et glossae Salomonis)

Falcito: *falcitat*: *putat, secat*[1]) (cod. Sangermanensis; Mai VII p. 561 a; cod. Leidensis 67 F[1] f. 26^{r}d; *falcetat*: *potat* cod. Parisinus 7680 et cod. Vossianus Fol. 82)

---

[1]) Codicis Leidensis 67 E f. 24^{v}b = gloss. 'Isidori' p. 680, 1 *falcitat*: *putat, secat, aestimat* additamentum quod est *aestimat* redire videtur ad errorem librarii, *putat* vocabulo inducti.

falcitat: *cum falce laborat* (cod. Bernensis 357 f. 12ᵛb)

Fallibilis: *fallibilis*: *subdolus* (liber glossarum)

fallibilis: *malitiosus, insidiosus, callidus, mendax* (idem)

Falsosum: *falsosum*: *circumventosum, deceptorem*[1]) (cod. Leidensis 67E f. 25ᵛb: *deceptor*; cod. Leidensis 67F¹ f. 26ʳb: *circumventum aut deceptum*; cod. Sangermanensis: *falsosus circumventum deceptum*)

Famigerulus: *famigerulus*: *famam nuntians; sic enim dicimus et rumigerulus* (codd. Sangallensis 905 et Palatinus 1773: *famegerulus*)

Famulosus: *famulosus*: *serviens* (cod. Leidensis 67E f. 25ᵛa)

Fassio: *fassio*: *confessio* (liber glossarum)

Fastigiosus: *fastigiosum* in libro glossarum octo adiectivis synonymis explicatur

Fecundia: *fecundia*: *fecunditas* (gloss. Arabicae p. 705, 17)

Fertor: *fertores*: *ferto libantes* (gloss. 'Isidori' p. 680, 33; cod. Leidensis 67E f. 26ʳa: *fertores ferolibant in ferociã bibant*, quam sic emenda: *fertores*: [*ferto libantes*], *ferocibant*: *inferocibant*)

Festalis: *festalis*: *sollemnis* (cod. Leidensis 67F¹ f. 26ᵛc: *festialis*)

festales: *dies festi* (gloss. Salomonis)

festales: *dies sollemnes* (gloss. Salomonis: *solempnes*; gloss. 'Isidori' p. 681, 3: *festalis d. sollemnis*)

festalia: *dies festi* (cod. Leidensis 67F² f. 56ᵛc, cod. Vossianus Oct. 24², gloss. 'Isidori' p. 681, 9: *festilia*)

Fidifragus: *fidifragus*: *refragus fidei* (Mai VI p. 524b)

Fistulo: *fistulabat*: *sibilabat* (liber glossarum: *fistuibat*)

fistulor: *sibilor* (cod. Leidensis 67F¹ f. 26ᵛc: *sibolor*; cod. Vaticanus 3321 f. 62ʳ = Mai VI p. 524b: *festulor sifilor*; cod. Leidensis 67E f. 26ʳb: *fisti-*

---

[1]) Aut fallor aut *falsus sum*: *circumventus sum, deceptus sum* emendandum est 'libro glossarum' duce, ubi *falsus sum*: *circumventus, deceptus sum.*

lor sibilo; gloss. post Salomonis glossas; glossae 'Isidori' p. 680, 28: *sibilo*)

Floretum: *floretum*: *virectum* (gloss. Hildebrandi p. 145, 184: *verectum* cod. Leidensis 67 F[3])

Fomito: *fomitat*: *fomitibus exassulat* (Placidus p. 45, 8: *formitat*)

Forasticus: *forasticas*: *exteriores* (Placidus p. 48, 5)

Forco: securis genus teste Placido p. 43, 11

Formaster: *formastro opere*: *pistorio* (Placidus p. 43, 14)

Frenusculus: *frenusculi*: *ulcera circa rictum oris similia eis, quae fiunt iumentis asperitate frenorum* (cod. Palatinus 1773 f. 134r: *hictu o. s. his quae*; gloss. Salomonis: *his que vi mentis a. frenant̃*; cf. Mai VI p. 525a: *freniculus*: *ulcera circum rostros, quae iumentis fiunt asperitate frenorum*)

Frequentidicus: *frequentidicus*: *mathematicus, divinus* (gloss. Hildebrandi p. 147, 239; gloss. Salomonis; cod. Parisinus 7641 apud Hildebrandum l. s. s.; gloss. lat.-gallicae apud eundem: *f.*: *qui dit souvent*)

Fronducula: *fronducula*: *quae ex frondibus amputantur* (cod. Leidensis 67E f. 27vb: *que*)

Fulcralia: *fulcralia*: *lecti ornamenta* (gloss. 'Isidori' p. 680, 54)

Functorius: *functoria*: *transitoria* (liber glossarum: *functuria*; cod. Leidensis 67F[1] f. 27rb: *fructoria*; cf. *perfunctorius*)

Fundiculum: *fundiculum*: *hereditatem* (cod. Bernensis 258 f. 179vc: *funiculum*)

fundiculum: *territorium* (cod. Leidensis 67F[1] f. 27rb: *funiculum*)

Fusim: *fusim*: *passim* (liber glossarum)

Fusicius: *fusicium*[1]): *fusile, fusura* (cod. Vossianus Oct. 24[2])

Fusurarius: *fusurarius*: *fetialis* (cod. Vossianus Oct. 24[2])

---

[1]) *confusicius* adiectivo Plautus usus est in Cistellariae versu in palimpsesto servato.

COGNOMINA

Inter priscae latinitatis fontes haud spernenda sunt cognomina. Quae enim olim imposuerant nomina a corporis vitiis, a negotio quo quis victum conquirebat, a nascendi variis vicissitudinibus[1]) derivata, ea cum non mutata propagarent Romani, tralaticii usus tenacissimi, servata sunt hoc modo quae e communi sermone dudum evanuerant vocabula haud pauca. Unde non mirum quod grammatici ea, quae quotidie audiebantur atque aut parum aut omnino non intellegebantur, colligere et explicare suum putaverunt. Quae quidem studia multo magis nobis nota essent, si incerti scriptoris 'de praenominibus de nominibus de cognominibus de agnominibus de appellationibus de verbis' liber integer exstaret. At nunc non solum ipse hic liber intercidit, sed etiam epitoma eiusdem ab Iulio Paride confecta praeter eam partem, quae ad praenomina spectat. Supplenda est scientiae nostrae lacuna ex eis quae Varro (ad quem Paridis epitoma aliqua ex parte redit), Festus, Nonius (cf. p. 556, 26—557, 3), Plinius, Quintilianus (vide I, 5, 25), Porphyrio (ad Horatium serm. I, 3, 47 sq.), Isidorus 'Originum' hic illic sparsim proferunt, imprimis autem ex glossariis, quae quam largam doctrinaque conspicuam glossarum huc spectantium copiam exhibeant nunc videbimus. Ceterum est cur moneamus non raro veram vocum originem videri ne veteribus quidem notam fuisse, ut illi cum saepiuscule ἔτυμα ab ipsis excogitata potius quam memoriam certam indubitatamque prodant, non sine cautela sequendi sint.

1. Tres glossae ad *plancus*[2]) cognomen spectant, quarum singulis tantum locis traditae duae: *plancus*: *plantas latas habens* (non servata nisi in cod. Leidensi 67E f. 47ᵛb) et *plancus*: πλατύπους (Philoxeni p. 162, 35). Doctior etiam tertia, quae truncata exstat in cod. Sangallensi 912 p. 202 cod. Vossiano Fol. 82; glossario Salomonis f. 162ᵛb talis:

---

[1]) Horum non nulla olim praenomina fuerant, quode vide scriptorem 'de praenominibus' p. 484 ed. Halm. et Mommsenum 'Römische Forschungen' I p. 21.

[2]) Ad eandem paene deformitatem redeunt Plancorum, Plautorum, Pedonum cognomina; proferemus enim infra *pedo*: *plancus*, πλατύπους.

plancus: *pedibus latis*, plena autem apud Maium t. VI p. 539 b: *plancus*: *pedibus latis et planis, quem Umbri ploton vocant*, quacum cf. Festum p. 238 a 31: '[Plotos appellant] Umbri, pedibus planis [natos .... unde et Macci]us poeta quia Umber Sarsinas erat a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici' et Placidum p. 74, 9: *plotos*: *a pedibus dictos* (Mai III p. 492: *plotoris* .. *ductus*; codd. Palatinus 1773 f. 243r et Sangallensis 905 p. 746 b: *dictus*). 'Plautos' etiam canum genus appellari constat, quo spectantia e glossariis quoque non nulla hauriri possunt. A pedum variis vitiis multa praeterea cognomina derivarunt.

3. *Vatia*: *diversis plantis* (Mai VI p. 550 a: *vatii*, quod Maius in *vari* mutandum censet; gloss. Isidori p. 698, 18; cod. Leidensis 67 E f. 57v b: *vatcia diuer sis*, ubi *vatcia* ex *vacia* natum videtur)
4. *Pansa*: *qui ambulat pedibus in diversa tendentibus*[1]) (cod. Bern. 224 f. 218v b; glossae Isidori p. 690, 28; cod. Amplon.[2] p. 365, 15: *pansat*; Mai VI p. 538: *paniscus qui pedibus .. ambulat*; cod. Vossianus Fol. 82: *pansa*: *aperta, lucida vel qui ambulat apertis pedibus in diversa tendentibus*, quae ut multa in hoc glossario contaminata sunt: cf. cod. Leidensis 67 E f. 45r a: *pansa*: *aperta, patefacta, cognita*)
5. *Valus*: *tortis pedibus* (cod. Sangallensis 912 p. 305: *uatus*)

Valus: *qui genibus iunctis ambulat* (cod. Bernensis 224 f. 225v a: om. *qui*; Mai VI p. 550 a; cod. Amplonianus[2] p. 386, 10; cod. Amplonianus[1] p. 385, 140: *vaginus qui genus*; cod. Leidensis 67 F[1] f. 52r b; cod. Vossianus Fol. 82: *unalus*; cod. Sangallensis 912 p. 304: *uaius*)

Valus: *qui pedibus iunctis ambulat* (gloss. Salomonis; cod. Vossianus Fol. 82: *valus*, sed *r* supra *l* scripta)

Δρίλλος: *varus* (Cyrillus p. 438, 5)

Non dubium est quin *valus* — quae est omnium glossarum mere latinarum memoria — idem sit quod *varus*, *r* in *l*

---

[1]) Adde Amploniani[1] p. 364, 376 *pansa*: *scaabfot.*

mutata, quamquam formae testimonia praeterea non exstare videntur. Conferenda sunt autem cum glossarum interpretamentis Horatii sermonum I, 3, 47 versus: *hunc Varum, distortis cruribus* . . . et Porphyrionis p. 203, 5 ed. Meyer. adnotatio: '*vari* appellantur *introrsum retortis pedibus*', quibus adde Nonii p. 26, 7 '*vari* dicuntur *obtortis plantis*'.

6. *Scaurus*: σκαμβός, σκελλός, στρεβλόπους (Philoxenus p. 193, 19)

Βλαισόπους: *scaurus* (Cyrillus p. 411, 11: βλεσόπους)

Σκαμβός: *scaurus, valgus* (idem p. 608, 12)

Scaurus: *cuius calces retro eminent* (cod. Amplonianus[1] p. 379, 357)

Scaurus: *cuius calces extrinsecus eminent* (cod. Leidensis 67 E f. 54[r]a: *scauirus* ... *inminet*; cod. Sangallensis 912 p. 257: *calex extrensicus eminet pede intortos*, quae glossa aliunde aucta est)

Scaurus: *cuius calces retrorsum abundantius eminent* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 47[r]a: *retrosum habundantius eminet*; cod. Bernensis 224 f. 222[v]b; cod. Amplonianus[2] p. 379, 28: *scaurum c. calcis r. habundantius absconditus eminet*, ubi *absconditus* videtur esse emendationem periclitantis, cuius modi tentamina in hoc glossario habes multa; glossar. Salomonis: *habundantius*)

Scaurus: *pedes introrsum curvos habens* (cod. Leidensis 67 E f. 53[v]a, ubi *scarus* .. *curvas*: *habens* e. g. addidi duce glossa supra excitata *plancus*: *plantas latas habens*. Fortasse huc spectant cod. Sangallensis 912 p. 257: *scarus* .. *pede intortos* et glossarium Salomonis: *scaurus* .. *pede introrsum curvum*)

Hic quoque si similia petimus ad Horatium Porphyrionemque nos convertere licet, quorum ille l. s. s. v. 47 sq.: 'illum balbutit Scaurum, pravis fultum male talis', hic p. 203, 7: '*scauri* sunt *qui exstantes talos habent*'.

7. *Atta*: ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος περιπατεῖν (Philoxenus p. 22, 13: *attat* Stephanus Vulcaniusque, *atta* Scaligeri excerpta)

Atta: ὁ ἀκροῖς τοῖς δακτύλοις ἐπιβαίνων (cod. Sangermanensis Labbaei p. 211 b: ἐπιβανον)

Atta: *qui primis plantis ambulat* (cod. Bernensis 224 f. 198^{v}c; cod. Amplonianus[2] p. 271, 346; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Leidensis 67 F f. 1^{r}c; cod. Bernensis 258 f. 48^{r}a: *quepriḿ*; cod. Vossianus Fol. 24: *planetis*; Isidori glossae p. 670, 6; gloss. Salomonis: *ambulat plantis*)

Multo et ampliora et doctiora, quae Paulus p. 12, 9 excerpsit: 'attae appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt et attingunt magis terram, quam ambulant, quod cognomen Quinctio poetae adhaesit', unde vides veteres *atta* nomen ab *attingendo terram* derivasse.

8. *Falcones*: *qui pollices pedum intro curvos habent* (cod. Bernensis 224 f. 211^{r}c: *polices .. intra*; cod. Amplonianus[2] p. 332, 7: *curbos*; cod. Leidensis 67 F[5]: *falconit .. curvuꝭ*; gloss. Isidori p. 680, 48: *intra*; cod. Vossianus Fol. 82 contaminatus: *falcones genus avium pollices pedum intro curvos habentes*)

Falcones: *qui pollices pedum introrsus habent* (cod. Amplonianus[1] p. 331, 114: *polices pedum*, sed *pedum* ex *pedes*; cod. Leidensis 67 E f. 25^{v}a: *fascones q. polices pedes intro ucr̉*, om. *habent*)

Falcones: δάκτυλοι ποδῶν ἔϲω βλέποντεϲ (Philoxenus p. 94, 24)

Compara simillimam Pauli interpretationem p. 88, 8: 'falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis', cui adde eiusdem p. 43, 14: '... a Capye appellatam ferunt, quem a pede introrsus curvato nominatum antiqui nostri Falconem vocant'.

9. *Pedo*: πλατύπουϲ (Philoxenus p. 155, 5)

Pedo: *plancus*, πλατύπουϲ (idem p. 155, 9)

Alibi huius cognominis explicationem frustra quaesivi. — Secuntur quae ad oculorum vitia spectant.

10. *Paetus*: *modice strabus* (cod. Amplonianus[1] p. 364, 374: *pactus modicae*; cod. Amplonianus[2] p. 365, 12: *pactus*; cod. Leidensis 67 E f. 46^{v}a: *petus m. iratus*; cod. Vossianus Fol. 82: *poetus m. subtractus*)

Paetus: *homo strabis oculis* (cod. Amplonianus[2] inedit. p. 367, 99/100: *petus hostrabis*, quod num emendaverim dubito)

Pactus[1]: μύωψ τοῖς ὄμμασιν (Philoxenus p. 151, 10)
Multo magis quam paeti deformes erant *strabones*, quod cognomen statim subicimus:

11. *Strabonis*[2]: *strambi* (cod. Leidensis 67F[9] f. 147[r]c)
Strambus vocem hucusque non notam cave in *strabus* mutes; cf. Mai VII p. 581a: *strabus*: *strambus*; cod. Amploniani[2] inedit. p. 380, 35/36: *scaevus*: *tortus*, *strambus*[3]) (*scebus* cod.).
Limis: *strabo* (cod. Leidensis 191[3]: *limbis*)
De *strabonibus* et *paetis* vide Porphyrionem ad Horatii serm. I, 3, 44 sq. 'strabonem appellat paetum pater' haec adnotantem p. 202, 24: 'strabo detortis qui est oculis dicitur, paetus leniter declinatis'.

12. *Coclites*: *monophthalmi, lusci* (cod. Vossianus Fol. 24: *monoptalmi*)
Cocles: *luscus* (cod. Amplonianus[3] p. 293, 150)
Luscos coclites dixerunt antiqui, unde et Cyclopas coclites legimus dictos, quod unum oculum habuisse perhibentur (cod. Palatinus 1773 f. 182[r]: *ciclopas*)
Cf. quae Varro de l. l. VII, 71 ἐτυμολογεῖ: 'ab oculo cocles ut ocles dictus, qui unum haberet oculum'. — Alia vitia vel signa corporalia, unde cognomina petebantur, restant haec:

13. *Broccus*: *qui labrum superius tumidum habet* (cod. Amplonianus[2] p. 278, 66: *super iustumi dum*[4]); codices Vossiani Fol. 24 et Fol. 82: *superiorem*)
Brochus: ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ᾠδηκώς (Philoxenus p. 31, 32)

14. *Nasica*: *adunco naso* (Mai VI p. 534b)
Hinc vides male explicari *nasicam* 'der eine grosse oder spitzige Nase hat, d. Spitznase' in lexicis, ubi ne ea qui-

---

[1]) Cf. *paetuosus*: μύωψ (Philoxenus p. 161, 9: *petuosus*).

[2]) Cf. etiam: *strabus dicitur, qui tortos oculos habet* (glossar. Salomonis); ὑπόστραβος: *lippus, strabus* (Cyrillus p. 649, 12); στραβός: *strabus*, *luscus* (idem p. 615, 12).

[3]) Hinc vindicanda ab editorum mutationibus Nonii p. 27, 1 codicum omnium memoria: 'strabones sunt strambi quos nunc dicimus', ubi vulgo *strabi* corrigi solet. Nolo praetermittere Papiae inter *strag-* et *stran-* glossam: *strambo*: *qui oculum unum distortum habet.*

[4]) Oehlerus *super iustum modum* male edidit.

dem plena quae de *broccus* sive *bronchus* tralaticia sunt, cum labri superioris tumiditatis mentio fiat nulla.

15. *Silo*: *naso inciso vel reducto* (glossae Isidori p. 694, 52)

Silo: ϲιμόϲ (Philoxenus p. 198, 1)

Consentit Festus p. 340b 13: 'silus appellatur naso susus versus repando . . .', dissentit Nonius p. 25, 17: 'silones superciliis prominentibus dicti, significatione manifesta', cuius errorem planum reddunt Varronis quae ab ipso excitantur haec verba: 'nonne non unum scribunt esse grandibus superciliis, silonem, quadratum, quod Silenus hirsutis superciliis fingeretur?'.

16. *Cilo*: *homo caput longum habens* (cod. Amplonianus[2] p. 287, 129)

Μακροκέφαλοϲ: *cilo* (Cyrillus p. 532, 52)

Cilo: *acutum caput habens* (cod. Amplonianus[3] p. 292, 101)

Cillo: προκέφαλοϲ (Philoxenus p. 38, 18)

Cilones: *quorum capita oblonga* (Placidus p. 25, 5)

Vides 'cilonis' caput fuisse 'acutum', 'oblongum', 'longum' (cf. μακροκέφαλοϲ), prominentem (cf. προκέφαλοϲ), unde si nondum prorsus plana sit illius figura, succurrat Festus Pauli p. 43, 10: 'cilo ... cui frons est eminentior ac dextra sinistraque veluti recisa videtur', cuius loci in commentario quae O. Muellerus aliorum protulit testimonia non neglegenda sunt. Sat memorabile autem quod Placidus (*cilones*: *quorum capita oblonga*) cum Charisio ('cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt') ex eodem procul dubio fonte hausit.

17. *Aenobarbus*: *flava barba vel dura* (cod. Amplonianus[1] p. 259, 106: *anobarbus flaba*; cod. Leidensis 67 F f. 54ᵛa: *aenobarbi flaba .. uaria*, notabili discrepantia scripturae; codd. Vossiani Fol. 24, Fol. 82, gloss. Salomonis: *anobarba* sive, ut fons tertio loco excitatus, *annobarba*)

Glossa docet grammaticos duplici modo mirum illud cognomen ad aes putasse referri posse, aut coloris aut duritiae ratione habita. Atque hanc quidem explicationem sola ni fallor hac glossa compertam habemus, illam autem Suetonius Tranquillus probavit in Neronis vitae primo capite (p. 170, 6

ed. Roth.) haec scribens: 'Aenobarbi auctorem originis itemque cognominis habent L. Domitium, cui rure quondam revertenti iuvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat; atque in fidem maiestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum aerique adsimilem capillum redderent'.

18. 'Cinna' qualis homo fuerit, de eo haud improbabilis coniectura e glossariorum thesauris derivari potest. Sic enim appellasse videntur *hominem torti oris*; certe *cinnum* eius modi deformitatem fuisse plane testatur haec glossa:

cinnus: tortio oris; inde dictus est cincinnus

Reconcinnavi ex his reliquiis:

cinnus: torti oris (cod. Vaticanus 3321 f. 24ᵛ = Mai VI p. 515a; glossae Arabicae p. 703, 15), quae forma magis etiam ad *Cinna* cognomen quadraret quam glossa supra posita: at est cur *torti oris* mutandum putemus; nam non solum

cinnus: tortio oris in 'libro glossarum' diserte traditur (cf. Mai VII p. 555a; cod. Sangermanensis; Papias), sed pleniora exhibent codd. Amplonianus[2] p. 287, 127:

cinnus: tortio oris; inde est dictum cincinus et Sangallensis 912 p. 57:

cinnus: tortio oris, unde dictus est cicinnus, unde breviata videtur codicis Leidensis 67E f. 14ʳa:

cinus: torciores inde cinnus, quae inter glossas 'Isidori' p. 675, 9 monstrum a nullodum perdomitum hoc procreavit:

cinos: tortiones indecentes, ubi scribendum est *cinnus: tortio oris; inde cincinnus.*

Quam hoc modo recuperavimus glossam *cinnus: tortio oris; inde dictus est cincinnus,* ne ea quidem plena esse videtur, cum hoc ni fallor vel simili modo supplenda sit: *cinnus: tortio oris; inde dictus est cincinnus* [*tortus capillus*]. 'Ομώνυμον vocabulum est *cinnus,* quo nomine 'apud veteres genus potionis ex multis liquoribus confectum dici solebat' teste Nonio p. 43, 22 coll. p. 59, 28. Addendum tertium, quod aliquo modo cum primo illo e glossis comprobato fortasse concilian-

dum, dico *cinnus* 'nutum' significans. Quam vocem cave in lexicis quaeras, ubi non exstant nisi iam dudum tralaticia. *Cinnus* erat 'nutus' et *cinnare* 'innuere' his glossis testibus: *cinnus*: *nutus* (cod. Leidensis 67E f. 14r: *notus*); *cinnus*: νεῦμα (gloss. Philoxeni p. 38, 29); *nutu*: *voluntate sive cinno vel aspectu* (Mai VI p. 536a); *nictare*: *cinnum facere, id est oculo annuere* (gloss. Salomonis f. 273rb); *cinnavit*: *innuit, promisit* (cod. Amplonianus[2] p. 287, 34), eodemque vocabulo hodieque Itali utuntur, 'nutum' 'signum' 'iussum' dicentes *cenno*.

19—22. Restant quae ad cognomina spectare non necesse est, velut: *burrus*: *rufus, niger* (cod. Amplonianus[2] p. 278, 72; cod. Amplonianus[1] p. 277, 101: *boarris rufis*; cod. Leidensis 67E f. 10ra: *barsus*, sed inter *bu-*; al.); *cincinnatus*: *cui capilli pendent crispi* (Mai VII p. 555a); *balbus*: *turbatae linguae, qui vult loqui et non potest* (cod. Amplonianus[1] p. 277, 90: *ling̃ q, vulloqui*; cod. Leidensis 67E f. 9vb: *turbate lingue*), *balbus*: *qui habet dulcem linguam* (sic fontes omnes, velut Vossianus Fol. 82; Mai VII p. 552b; cod. Amplonianus[2] p. 277, 4: *babbus*; al.: *dulcem* non intellego, intellegerem vero *qui habet duram linguam*[1]); *blaessus*: *qui alio sono corrumpit litteras* (cod. Vossianus Fol. 24: *blessus* .. *corripit*; cod. Leidensis 67E f. 10vb: *blesus* .. *currumpit litteram*; al.), *blaessus*: *balbus* (cod. Vossianus Fol. 82: *blessus*); sim.

Non paucae glossae cognomina sive praenomina exhibent, ad nascendi vicissitudines spectantia, quae nunc proferenda sunt:

23. *Postumus*: *qui post obitum patris nascitur* (cod. Leidensis 67E f. 48ra: *obitu*)

Postumus: ἀπάτωρ, μετὰ θάνατον πατρὸς γεννηθείς (Philoxenus p. 166, 22)

Postumus: ὁ ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς συλλαμβανόμενος, ἀποθανόντος δὲ γεννώμενος (Philoxenus p. 165, 37)

Postumus: ὁ μετὰ πατρὸς θάνατον ἢ διαθήκην γεννώμενος (Cyrillus p. 554, 53)

---

[1]) Non ineleganter Isidorus Originum X, 29: *balbus a balando potius quam loquendo dictus; verba enim non explicat: inde et blesus, quia verba frangit.*

Posthumus: *post patris obitum natus* (cod. Amplonianus[2] ined. p. 367, 139/140)

Posthumus dicitur puer, qui mortuo patre nascitur, quasi post humum patris, id est post sepulturam. posthuma puella similiter dicta (Placidus p. 76, 27)

Cum his confer Varronem de l. l. IX, 60: 'qui post patris mortem .. natus .. postumus'; Festum p. 238a 2: 'postumus cognominatur post patris mortem natus'; Dig. XXVIII, 3, 3: 'postumos dicunt eos dumtaxat, qui post mortem patris nascuntur'[1]). In codicis Amploniani et Placidi glossis habes perversissimum illud veriloquium ad *post* et *humum* spectans, quod praeter alia graviora vel Cyrilli glossa graecolatina *postumus*: ὁ μετὰ πατρὸς θάνατον ἢ διαθήκην γεννώμενος dissuadet. Non me fugit 'Isidori' p. 690, 2 *postumus*: *ultimus, novissimus.*

24. *Spurius*: *qui ex patre nobili et matre infima nascitur* (Mai VI p. 545b; cod. Leidensis 67F[1] f. 50[r]c: *infima nascitur* om.)

Spurii: *ex matribus meretricantibus nati sine patre* (cod. Bernensis 258 f. 183[r])

Multi sunt iuris consulti in hoc praenomine explicando.

---

[1]) Ceterum glossis supra collectis nisi omnia fallunt addi potest nova eaque Varronis Festique simillima: *postumus*: *qui post mortem patris nascitur.* Exstat enim memoria, quam unanimo consensu codex Bernensis 224 f. 198[r]b, codex Sangallensis 912 p. 224, Mai VI p. 541b talem produnt: *procas*: *qui post mortem patris nascitur,* nisi quod in Sangallensi *morte* scriptum est. Iam quid faciendum miro lemmati? Procam enim regem, Numitoris et Amulii patrem, postumum fuisse nemo rettulit; neque ullo modo cum nomine proprio tale interpretamentum quale est *qui . . . nascitur* conciliari posset. At si quis *postumus* pro *procas* corrigere velit, ne is quidem mihi persuaserit, cum *procas* ex *postumus* natum esse a probabilitate abhorreat. Itaque sat audaci remedio usus glossam in archetypo e duabus in unam sic contractam fuisse suspicor:

Procas: [*rex fuit Albae Longae*
Postumus:] *qui post mortem patris nascitur*

Qua coniectura si verum assecuti sumus, inde sequitur illius glossarii ordinem intra singularum litterarum ambitum aut nullum fuisse aut eundem qui *affatim* glossarum est.

25. *Opiter*: *qui avo vivo et patre mortuo nascitur* (cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis: *cui*, *nascitur* praeter codices addidi)

Opiter: *natus avo, patre non vivo: post patris mortem natus*[1]) (cod. Sangallensis 912 p. 191: *paternon*; fortasse *vivo* post *avo* intercidit)

Opiteres: *qui obito patre et avo vivente nascuntur* (sic scripsi Placidi p. 72, 12 glossam, ubi *opiteros . . . nascitur* Mai codices, *opiteros . . . nascuntur* 'liber glossarum'. O. Muellerus, qui glossam non satis accurate excitat, *opiteros* in *opiter* corrigendum proposuit, simplicius sane, sed dubito num veri similius).

Haud aliter scriptor 'de praenominibus': *opiter*: *qui patre mortuo, avo vivo gignebatur*. Quam interpretandi rationem quo modo cum ipso vocabuli sono conciliaverint glossographi Paulus p. 184, 10 docet: 'opiter est cuius pater avo vivo mortuus est, ducto vocabulo aut quod obitu patris genitus sit, aut quod avum ob patrem habeat, id est pro patre'.

26. *Agrippa*: *qui in pedibus nascitur* (cod. Leidensis 67 E f. 5ʳa; cod. Sangallensis 912 p. 17; glossarium Salomonis; cod. Vaticanus 3321 f. 11ʳ; glossarium Hildebrandi p. 6, 65; cod. Bernensis 16 f. 19ᵛb; cod. Amplonianus[2] p. 268, 193: *agrippago*)

Agrippa: *qui in pedes nascitur* (cod. Bernensis 224 f. 201ʳb; cod. Amplonianus[1] p. 263, 403; cod. Vossianus Fol. 26; cod. Bernensis 258 f. 50ʳa; cod. Leidensis 67 F[5]: *pedis*; idem[1] f. 5ʳd: *pedis*)

Huius glossae aperte breviatae integram memoriam servavit codex Casinensis, e quo Montefalconius in Bibliotheca bibliothecarum I p. 216a non nulla excerpsit. Ibi enim habes: *Agrippa*: *qui in pedes nascitur inversus, quasi aegripes.*

Agrippa: *a pedibus natus* (cod. Leidensis 67 D: *acrippa a//pedibus*)

---

1) Verba *post patris mortem natus* eicienda esse videntur, ut pote ad *postumum* spectantia: cf. Festum supra p. 395 excitatum.

Agrippa: *pede natus* (cod. Amplonianus[3] p. 272, 89; fragmentum Deycksii)

Agrippa: ὁ ἐπὶ πόδας γεννηθείς (Philoxenus p. 9, 56)

Agrippae: *qui pedibus editiore capite pariuntur* (Placidus III p. 434. Permemorabilis huius glossae in libro glossarum discrepantia, ubi lemma est *aegri partus*; *agrippae* enim dicti esse putabantur ab *aegro partu*)

Similiter cognomen explicatur a Varrone Gellii, Plinio, Servio, Nonio, quorum unum profero auctorem locupletissimum: 'quorum in nascendo non caput, sed pedes primi exstiterant, qui partus difficillimus aegerrimusque habetur, 'agrippae' appellati, vocabulo ab aegritudine et pedibus conficto. Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris' [Gellius XVI, 16, 1 sq.].

27. *Proculus*: *qui patre longius peregrinante nascitur* (cod. Sangallensis 912 p. 224; cf. gloss. 'Isidori' p. 690, 7: *longe p. n. vel longe a patre natus*)

Proculus: *qui nascitur, cum pater peregrinatur* (cod. Palatinus 1773 f. 254v: *ut cū patre*; glossae Arabicae p. 709, 1; Vincentius)

Proculus: *qui nascitur cum pater eius longe peregrinatur* (cod. Palatinus 1773 f. 254v: *proculū*; gloss. Salomonis)

Proculus: *qui nascitur absente patre* (cod. Palatinus 1773 f. 254v; gloss. Salomonis; Vincentius)

Proculus: τηλέγονος (Philoxenus p. 171, 36)

Duas etymi investigandi vias habes apud Festum Pauli p. 225, 2: 'proculum inter cognomina eum dicunt, qui natus est patre peregrinante a patria procul. proculos sunt qui credant ideo dictos, quia patribus senibus quasi procul progressis aetate nati sunt'. — Finem faciant cognomina a negotio variisque aliis causis repetita.

28. *Messalla*: *messor* (cod. Amplonianus[2] p. 352, 42: *messala*; cod. Amplonianus[1] p. 351, 116 et Vossianus Fol. 82: *messalia*)

Messala: *agricola, messor* (cod. Sangallensis 912 p. 165)

Memoria ut videtur nova. Alii cognomen a Messana urbe derivandum putabant.

29. *Camillus*: *sacerdos* (cod. Palatinus 1773 f. 64ᵛ)
Camillus: *praeminister sacrorum* (idem ibidem)
Camilla: *sacerdos* (glossarium Salomonis)

Monere vix opus est hanc sicut alias glossas non necessario ad 'cognomina' spectare.

30. *Metellus*: *mercennarius; a metendo* (cod. Vossianus Fol. 82: *mercenarius a merendo*; cod. Palatinus 1773 f. 194ᵛ: *mercennarius*, om. *a m.*; Papias: *mercenarius a m. dicitur*, unde pendet Vincentius Bellovacensis: *m. mercenarius qui metit*)
Metellus: μίcθιοc (Philoxenus p. 138, 44)

Ad aliud mercennariorum genus spectat Festus p. 146b 30: 'Metelli dicuntur in lege militari quasi mercenarii. Accius annali. XXVII: *calones famulique metellique caculaeque*. a quo genere hominum Caeciliae familiae cognomen putat ductum'.

31. *Drusus*: *patiens aut rigidus aut contumax*

Sic cod. Palatinus 1773 f. 106ᵛ = Mai VII p. 559b; glossarium Salomonis; cod. Sangermanensis; glossae Arabicae p. 704, 31; cod. Leidensis 67E f. 19ᵛa: *durus paciens ū rig(g* ex *d)idus contumax*; Vincentius: *d. impatiens vel r. vel c.*, memoria nisi fallor prorsus singulari. Quae si integra — atque confirmatur eo quod *drusus* vocabulum ut appellativum sermo vulgaris retinuisse[1]) videtur: cf. codicis Amploniani[2] p. 337, 16 glossam *hersutum*: *drustum, pilosum*, quam *hirsutum*: *drussum, pilosum*[2]) scribere non dubito —, multo praestat *drusus* hoc modo explicare quam eo quo Suetonius Tiberii vitae 3 p. 88, 1 ed. Roth.: '. . . Drusus, hostium duce Drauso comminus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit'.

32. *Nero*: ἀνδρεῖοc (Philoxenus p. 143, 39)

Vide supra p. 349 sq. exposita.

33. *Buteo* cognomen unde derivent nescio. Exstitit sane

---

[1]) Similiter remansit *bassus*, quod in glossis *pinguis, obesus*, sim. explicari supra p. 66 vidimus.

[2]) Cf. glossae supra positae interpretamentum quod est *rigidus*.

buteo avis [1]), quae volatu auspicia facere putabatur teste Festo Pauli p. 3, 5. At fortasse non hinc, sed ab homonymo vocabulo quod 'iuvenem' significat 'Buteones' appellati sunt: cf. Placidi p. 13, 8 glossam *buteonem*: *iuvenem*, quam etiam in cod. Vossiano Oct. 24 (*bosteonem* et *buseonem*) et inter 'Isidori' glossas p. 672, 17 (*b͗oteonem*) alibique habes. Attonis glossae *buteo*: *iuvenis* et *buteones*: *iuvenes* hinc pendere videntur.

34. *Acisculum*: *quod habent instructores* [2]); *quasi malleolus est ad caedendos lapides* (cod. Amplonianus[1] p. 263, 355: *mallioles ad cedendos*; idem[2] p. 267, 87: *cedendos*)

Acisculum: *malliolum* [3]) *structorium* (cod. Leidensis 67 F f. 6ᵛd: *asciscolum maliolum*, itemque cod. Vossianus Fol. 26 nisi quod *malliolum*; cod. Bernensis 258 f. 50ᵛb: *asciscolum malivolum structurium*; cod. Vossianus Fol. 24: *ascisculum*)

Acisculum: σκάφιον ἤτοι ὄρυξ κηπουρική (Cyrillus p. 608, 32)

Acisculus: *asciola*, *dolabra* (glossae Isidori p. 668, 32: *asciculus*)

Acisculus pro cognomine fuisse Quintilianus VI, 3, 53 auctor est.

35. *Stolones*: *frutices radicum arborum* (cod. Amplonianus[1] p. 378, 308: *fructices*)

Stolones: *ramuli maiores succrescentes ita dicuntur a Sabinis* (Mai VI p. 546 a)

Stolo: παραφυάς (Philoxenus p. 204, 5)

Licinius Stolo 'propter diligentiam culturae *stolonum* confirmavit cognomen ... e radicibus quae nascerentur e solo, quos stolones appellabant' Varrone teste.

---

1) Cf. codicis Leidensis 67 E f. 11ʳb aliorumque fontium glossam: *buteo*: *genus avis*. Amploniani[2] p. 278, 79: *buteo*: *avis auricaria* additamentum quid sibi velit obscurum est.

2) *Instructores* ex *istructores* = *structores* natum esse videtur.

3) *Malliolum* vulgaris forma pro *malleolus*.

36. *Corculum ingeniosum et prudentem dicebant veteres: est autem diminutivum a corde*

Haec glossarium Salomonis, quibuscum cf. Festum Pauli 61, 5: 'corculum a corde dicebant antiqui sollertem et acutum' et Plinium N. h. VII, 118: '... praestitere ceteros mortales sapientia: ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati'.

36. M. Aurelius Antoninus *Caracalla* cognominatus esse dicebatur inde quod caracallam 'vestem sine manicis auro textam' (cod. Amplonianus² p. 287, 86) sive 'vestimentum sacerdotale sine cucullo' (Mai VI p. 525b: *garacella*) Romam quodam modo introduxisset.

Quae supra collegimus vel potius, cum omnia dare noluerimus, excerpsimus perlustrantes nos fugere non potest aliquam harum glossarum partem ex bonis satque antiquis fontibus fluxisse. Qui quales fuerint scriptores, hoc cum alias ob causas tum vel propterea investigari nequit, quod grammaticorum reliquiae ad hanc materiam spectantes vix credideris quam ieiunae disiectaeque sint. Itaque hoc tantum e collectaneis nostris concludo, praenominum et cognominum explicationem certam veteris γλωccογραφίας partem fuisse: id quod sane concedendum aliunde iam constare. Duo tamen adicienda videntur, quorum alterum ad Placidi quibus usi sumus glossas spectat, ad reliquarum mere latinarum haud exiguam copiam alterum. Accuratius enim inquirentes duos fontes diversos dignoscere nobis videmur, quos ut non sine aliqua probabilitate indagare possimus diversitas numeri facit. Habes enim pluralem in Placidi, qui priore fonte usus sit, his tribus:

Agrippae: qui pedibus editiore capite pariuntur

Cilones: quorum capita oblonga

Opiteres: qui obito patre et avo vivente nascuntur[1]),

in reliquis autem glossis ubique fere singularem, cuius rei exempla iterare non opus est. Sed ex hac quoque glossarum

[1]) Glossam quae est de *posthumus* cognomine consulto omitto.

copia haud paucae segregari possunt, quas non sine probabilitate ad unum eundemque auctorem revocaveris. Sunt autem quas subiecimus glossae interpretamentorum similitudine insignes eaedemque diversae a talibus qualis est velut *vatia*: *diversis plantis*.

Pansa: qui ambulat pedibus in diversa tendentibus
Valus: qui genibus iunctis ambulat
Atta: qui primis plantis ambulat
Scaurus: cuius calces extrinsecus eminent
Falcones: qui pollices pedum intro curvos habent
Broccus: qui labrum superius tumidum habet
Postumus: qui post obitum patris nascitur
Opiter: qui avo vivo et patre mortuo nascitur
Agrippa: qui in pedes nascitur
Spurius: qui ex patre nobili et matre infima nascitur
Proculus: qui patre longius peregrinante nascitur

Vides *qui ambulat* ter, *qui habet* bis, *qui nascitur* quinquies usu venire et ubique interpretamentum relative exhiberi. Ceterum eius modi ratiocinationes vel quod rectius dixerim subtilissimae indagationes quantopere fluctuent et non possint non dubiae esse minime me latet.

ANTIQVI

Nihil inter Festi glossas pretiosius eis, ubi 'antiquos' hoc vel illo vocabulo usos esse diserte traditur[1]), velut p. 170b 21: 'nupta verba dicebantur ab antiquis'; p. 333a 5: 'speres antiqui pluraliter dicebant'; p. 343a 14: 'sispitem Iunonem . . . antiqui usurpabant'; p. 359a 30: 'talipedare antiqui dicebant'; sim. Hinc profecti si in glossis nostris memoriam item comparatam quaerimus: quamquam non adeo multa, exstant tamen ibi quoque non nulla haud dissimilia. Est autem cur moneamus inter ea quae nunc prolaturi sumus alia meliora esse aliis, neque quod nunc occasione oblata omnia in unum congessimus, propterea eiusdem omnia indolis colorisque nobis videri.

---

1) Similia apud Varronem, Nonium, al. multa exstare notum. Non raro omissis 'antiqui', 'veteres', sim. vocabulis solo praeterito utuntur.

Calpar vinum antiqui ita dicebant (codd. Palatinus 1773 f. 64v, Vossianus Oct. 24, Sangermanensis)

Multo accuratiora hoc de vocabulo scimus: cf. *calpar*: *vinum, quod primum levatur e dolio* (Placidus p. 25, 1; 'liber glossarum', velut codd. Vossianus Oct. 24, Leidensis 67 D, Sangermanensis, Papias sic fere: *calcar ... libatur e duobus*, quae discrepantia satis est memorabilis, cum *libatur* non inepte defendi atque *duobus* facilius ad *doliis* quam ad *dolio* revocari posse videatur); *calpar*: θυcίαι ἀπαρχῶν οἴνου (Philoxenus p. 33, 36: *calcar*, quod Scaliger emendavit); *calpar*: οἶνος ἐν θυcίᾳ (idem p. 33, 38: *calper*[1]); *calpar*: *vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur* (Paulus p. 65, 13); 'calpar: nomine antiquo dolium. Varro de vita populi romani lib. I: *quod antequam nomen dolii prolatum, cum etiam id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum*' (Nonius p. 546 sq.).

Excipulum: *venabulum veteres dicebant* (Mai VII p. 560 a; glossae Arabicae p. 704, 48; cod. Sangermanensis)

Novum, ut videtur: 'excipula' enim quae apud Plinium habes vasa sunt. Venabulum ab excipiendis bestiis ita appellatum.

Viere apud antiquos pro vincire ponebatur (cod. Sangallensis 905 p. 1044 b: *vicire*; al.)

Apud antiquos: velut apud Ennium, cuius notissimus hic versiculus (p. 164 ed. Vahl.): 'ibant malaci viere Veneriam corollam', et in anonymi scriptoris quod e libro glossarum (velut e codice Ambrosiano B 36 inf.) eruimus fragmento hoc: *viendis*: *id est flectendis, hoc est modulandis carminibus.*

Aquilos antiqui nigros dicebant (cod. Bernensis 16 f. 35v b; cod. Vossianus Oct. 24; cod. Sangermanensis)

Pars est Placidi p. 30, 16 glossae: *di aquili; aquilos antiqui nigros dicebant.*

Pileus masculino melius quam neutro: antiqui masculino dicebant (Mai VII p. 574 a)

Persaepe utrum masculine an feminine scriptores hac voce usi sint dignosci nequit, id quod non cadit in Plauti apud

[1]) Cf. Philoxeni quas mox excitabimus glossas.

Nonium p. 220, 13 versum: 'píleum, quem habuít, deripuit eúmque ad caelum sústulit'.

Sesquiplum antiqui, nunc vero sescuplum dicimus (cod. Sangallensis 905 p. 895b: *secuplum*; Mai VII p. 579a)

Inquirendum erit in libros manu scriptos, ut ubi *sesquiplus* memoria sit cognoscatur: Censorinus certe, si fides codicibus (*sescuplo* X, 10 p. 18, 15 ed. Hultsch.; *sescupla* X, 11 p. 18, 22; *sescuplam* XI, 3 p. 19, 17), semper *sescuplus* scripsit.

Muscerdas dicebant antiqui (Mai VI p. 534b = cod. Vaticanus 3321 f. 99v: *muscerdar*)

Glossam truncatam esse cum per se facile apparet, tum certum fit Festi, qui cum hoc glossographo ex eodem fonte hausisse videtur, p. 146b 24 glossa: 'muscerdas: prima syllaba producta dicebant antiqui stercus murum', ubi ne quem offendat numerus pluralis, conferatur Titinii v. 179 (p. 158 ed. Ribbeck.[2]): 'quid habes nisi unam arcam sine clavi? eo condis tuas sucerdas'. Hariolatur Maius, glossam sic explendam ratus: 'muscerdar dicebant antiqui [pro murgisso]'.

Excetra: plena malitia, hoc est hydra quam veteres Canopum nominarunt[1]) (libri glossarum cod. Ambros. B 36 inf.: *excreta . . ira*)

Persimilis est eiusdem fontis haec memoria: *excetra secunda est: velut inexhaustae malitiae, † idrāq; nominaverunt.* Altera utriusque glossae pars ad translatum (cf. Plautum Pseuduli v. 218 et Casinae III, 5, 18), altera ad proprium (cf. Persae v. 3 atque glossas ineditas *excetra: serpens Lernae* et *excetra: multiplex serpens*) vocabuli usum spectat.

Lixa aqua dicebant antiqui, unde et elixare dicitur (cod. Bernensis 224 f. 215vb: *unde lixare*; cod. Sangallensis 912 p. 156: *et* om.; cod. Leidensis 67F f. 34r: *antiqui delixare*; Mai VI p. 532a: *elixare aliquid*)

Lixa: vilis aqua; sic enim dicebant antiqui: unde elixare

---

[1]) Lucem haec praebent glossae obscurissimae, quam in cod. Bernensi 224 f. 210rb, apud Maium VI p. 523a, alibi sic traditam habes: *estidram quam veteres canapum nominarunt.* Est enim fragmentum supra exscriptae nescio quo casu in *e* litteram delatum.

dicimus (cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[2] ined. p. 347, 67/68: *elixari*, om. *vilis*)

Simillimus locus apud Nonium p. 62, 5 exstat: 'lixarum proprietas haec est, quod officium sustineant militibus aquae vehendae; lixam namque aquam veteres vocaverunt: unde elixum dicimus aqua coctum', quocum cf. eiusdem p. 48, 17: 'elixum quicquid ex aqua mollitur vel decoquitur; nam lixem aquam veteres dixerunt: unde et lixae dicti qui militibus aquam ad castra vel ad tentoria solent ferre.' Duce hoc loco, ubi omnes codices *lixem*, Quicheratius illum correxit, ubi non minus constans *lixam* librorum memoria: debebat potius ibi quoque *lixam* restituere. Ceterum qui coniecerit glossas nostras ex Nonio petitas esse, nobis certe coniecturam non probabit. Ut enim mittam quod Nonius bis 'veterum' mentionem facit, glossae contra omnes 'antiquorum', illa ni fallor non levis discrepantia, quod hic a lixa derivatur 'elixum' adiectivum, illic autem 'elixare' verbum. Denique glossarum memoriae ut mantissam — quae tamen obsonia non vincit — addimus codicis Leidensis 67E f. 36[r]b synonyma: *latix*: *aqua*, *limpa*, *lixa*, *maia*.

Nomenclator: *id est nominum calator; calare enim dicebant antiqui clamare* (cod. Amplonianus[2] ined. p. 355, 32/33: *·i· nominum c. clare e. dicitur antiqui*; cod. Leidensis 67F f. 37[r]d: *nom̃ calatur .. calatur*, *calare* ex *calere*, om. *enim*, *id est calametre* pro *clamare*: eaedem discrepantiae in cod. Bernensi 224 f. 217[r]c, nisi quod *calare* non ex *calere* factum est)

Antiquos *clamare* vel *vocare*[1]) 'calare' dixisse trivialis scientia est.

Galenum vas vinarium Romani antiqui dixerunt (cod. Palatinus 1773 f. 137[r] = Mai VII p. 562b; glossarium Salomonis; sine *R. a. d.* verbis gloss. 'Isidori' p. 681, 53 et cod. Palatinus 1773 f. 137[v])

'Calenum' vini nomen ab Iuvenale I, 69 memoratur: 'quae molle Calenum porrectura viro miscet', cuius loci memor

---

[1]) Cf. glossam cod. Amploniani[2] p. 287, 74: *calare*: *vocare*.

Scaliger 'Isidori' glossae 'calenum vinus' adscripsit: atque 'vinus' quidem, non 'vinum', certa de ratione. Calenum, hoc est vas a Calibus urbe dictum, *c* litterae sono mollito in galenum formam transiisse videtur.

Murcidas pro marcidas antiqui

Sic scripsi pro eo quod in glossario Salomonis f. 136^{v}b est *murcudas pro marcudas antiqui*; Pomponius enim inc. frgm. XII (p. 254 ed. Ribb.[2]) teste Augustino 'nimis desidiosum et inactuosum' *murcidum* dixit, atque exstitit dea *Murcida*. Concedo formarum latinarum *a* et *u* eodem modo exhibentium par me proferre non posse.

Lepista: vas vinarium antiqui ita nuncupabant.

Cod. Ambrosianus B 36 inf. (*lepiscum*) et glossarium Salomonis (*leprisca*). *Lepista* voce usus est Naevius et saepiuscule Varro (cf. de l. l. V, 123; apud Nonium p. 547, 20; apud Priscianum p. 514; in scholiis Veronensibus ad Vergilii Bucolicon VII, 33). Glossas praeterea duas novi Philoxeni p. 130, 55: *lepista*: εἶδος χύτρας (*lepistra* cod.) et codicis Leidensis 67 E f. 36^{v}a: *lepista*: *genus vasis*, quae plenior exstat apud Festum Pauli p. 115, 6: 'lepista: genus vasis aquarii'[1]).

Crepusculum: tempus inter finem noctis et initium diei; antiqui enim creperum dubium vocabant: unde et ipsum tempus crepusculum dixerunt, in quo dubitatur, utrum dies adhuc sit an nox

Non multae glossae tam prolixae sunt. Traditam habes in codice Amploniano[2] ined. p. 290, 291/292 (*intra . . inde . . crepusculo uocь*); cod. Vossiano Fol. 24 (*ex ipso tempore crepusculum dixerim . . sit adhuc*); apud Hildebrandum p. 84, 485 (*inde et* P, *inde ex* L: Parisini additamentum ΛΥΙCΟΦΩC ΟΡΕΡΟC iam Hildebrandus in λυκόφως, ὄρθρος mutavit), ex parte etiam in glossario Salomonis. *Creperus* vocis exemplorum ex antiquis petitorum largam copiam Nonius p. 13, 12 servavit. Eandem atque glossa supra exscripta sententiam Varro proposuit, cuius de l. l. VI, 5 haec verba: 'ab eo res dictae

---

[1]) Addendum est hoc exemplum eis, quibus codicis Leidensis 67 E glossarium e Festo petita continere supra p. 146 demonstravimus.

dubiae creperae, quod crepusculum dies etiam nunc sit an iam nox, multis dubium' coll. VII, 77: 'crepusculum ab Sabinis, quod id dubium tempus noctis an diei sit . . . . ideo dubiae res creperae dictae', quibus locis admodum similis est nostra glossa [1]). Non praeter rem huius vocis quae in glossis exstant reliquias nos collegisse putamus; sunt autem fere hae: *creperis*: *dubiis* (Mai VI p. 518b; cod. Bernensis 258 f. 178^{v}b: *creperiis*); *crepera*: *dubia, incerta* (Mai VII p. 557b: *creperia*; cod. Sangermanensis: *creperia*; cod. Vossianus Fol. 82, cod. Vossianus Fol. 24, glossarium Salomonis *vel adversa* sive *adversa* addunt, unde novam glossam derivavimus); *crepera*: *adversa* (vide eam quae praecedit glossam); *crepero*: *dubio, incerto; unde et crepusculum* (Placidus p. 29, 14: Maius *et* omittit, servatum in libro glossarum, velut in codd. Palatino 1773 f. 88^v et Bernensi 357 f. 10^{v}a, qui fontes etiam *aut* inter *dubio* et *incerto* inserunt); *creperae res incertae dubiaeque* [2]); *unde et crepusculum* (idem Placidus p. 24, 3). Glossam Hildebrandi p. 83, 481; glossarii Salomonis; codicis Parisini 7641; cod. Vossiani Fol. 24, quae fere sic traditur: *crepere*: *spissare vel aspere* e duabus in unam sic contractam puto, secutus ex parte Hildebrandum p. 84a:

[*crebrae*]: *spissae*
creperae: *asperae*

ducibus glossis Hildebrandi p. 83, 474: *crebras*: *spissas, plurimas, frequentissimas* et codicis Amploniani² p. 290, 290: *crepere*: *aspere vel dubiae.* Atque *aspere* sive *asperae* illud non sollicitandum videtur; quidni enim cogitari potest *res creperas*, quas interpretabantur *dubias, adversas* (cf. glossam supra excitatam *crepera*: *adversa*), etiam *asperas* glossographis explicandas esse visas? Restat glossa omnium obscurissima: *crepere*: *in corpore dubitare* (sic velut Mai VII p. 557b; cod. Sangermanensis; cod. Amplonianus² p. 290, 287 sine ulla discrepantia), cuius nullam medelam novi nisi audacissimam hanc: *creperae*: *incertae, dubiae.*

---

[1]) Cf. etiam Isidorum Originum V, 31, 7 t. III p. 223 ed. Areval.

[2]) Hinc procul dubio corruptissima codicis Amploniani² p. 290, 299 glossa *crepere*: *subiet incerta* scribenda: *creperae*: *dubiae, incertae.*

Nescio unde Atto p. 44 haec habeat: *durantes*: *asperrime viventes*, *miselli*: *mortui; antiqui enim felicem tantum vitam 'vivere' dicebant; lugubrem vero 'durare'. sic defuncti tempora recensentes scribebant 'qui vixit tot' 'duravit tot'.* Quae in mentem revocant Trinummi versum 290 (II, 2, 13): 'lácrumas mi haec quom vídeo eliciunt, quía ego ad hoc genus dúravi hominum'.

Brevius agemus de hisce glossis:

Ramentum dici voluerunt antiqui quasi quoddam proiecticium purgamentum (Atto polypt. p. 55: *ramentum* vox non male explicata)

Sarmatas: *quos antiqui Sauromatas* (sic scribendam putavi codicis Leidensis 67E f. 53[r]a inter *sa*- glossam hanc: *Sermates quas antiqui aurũ matas separatio fabri*, ubi extrema duo verba aperte aliunde invecta sunt; *Sauromatae* apud poetas non antiquos frequentissimum)

Dictator apud antiquos imperator (cod. Leidensis 67E f. 18[r]a: *imperatur*)

Praetor hoc differt a proconsule, quod iste civili praeest negotio, praetores vero antiqui habebant armaturam (nolui hanc glossam nón proferre, licet paullo aliter atque reliquae comparatam: cod. Amplonianus[2] ined. p. 368, 159/160: *negoti* et *e* pro *ae*)

Duellio: *rebellis, quod antiqui duellum bellum dicebant, eo quod generatur sibi contrarius a duabus partibus* (cod. Amplonianus[2] maiore ex parte ined. p. 297, 117: *duobus*; cf. cod. Leidensis 67E f. 19[v]a: *duellio*: *bellum pdulex, duellum*)

Parricida dicitur apud antiquos qui homines occidebat pares natura; parenticida qui parentes occidebat: sed modo[1]) *unum est, et parricida dicitur qui parentes occidit*[2]) (cod. Amplonianus[2] p. 366, 33: *parricidia* bis, *oms*

[1]) *Modo* pro *nunc*; ita enim vulgus loquebatur. Cf. glossarium Hildebrandi p. 221, 138: *nunc*: *modo*; glossas Salomonis f. 143[r]b: *nunc*: *modo vel noviter*.

[2]) Cf. Isidorum Originum X, 226.

occidebant, parrentes occidit; cod. Leidensis 67E f. 46r nihil nisi haec: *paricida qui homines octid̃ par̃ natur̃, parenticida qui parent̃ sed mõdo unum ẽ*)

Bipennis: *securis amazonica; pennum dicebant antiqui bis acutum* (cod. Sangallensis 912 p. 37[1])

Bipennis: *securis; pennum bis*[2]) *acutum dicebant antiqui*[3]) (cod. Leidensis 67E f. 10rb sq.)

Corculum ingeniosum et prudentem dicebant veteres; est autem diminutivum a corde (glossae Salomonis; cf. Festum Pauli p. 61, 5: 'corculum a corde dicebant antiqui sollertem et acutum')

Peculium: *patrimonium apud veteres* (cod. Amplonianus[1] p. 362, 252: *peculum*)

VOCES · EX · INTERPRETAMENTIS · HAVSTAE

Lemmata eo utilissima, quod vetusta aliaque bonae notae vocabula ex certis scriptorum sive etiamnum servatorum sive qui interciderunt anonymorum locis hausta exhibent: neque tamen eorum interpretamenta indigna sunt in quae diligentius inquiramus. Haec enim glossarum partes ab ipsis glossographis vel scholiastis profectae docent, qualia vocabula rarioribus obsoletisque respondere illorum aetate visa sint: id quod scire scientia cum per se haud spernenda, tum propterea admodum utilis est, quod posterioris aetatis et omnino vulgaris lingua antiquas formas vocesque servavit permultas. Itaque ex illo fonte petita non adeo multa propositituri non timemus ne inutilem operam aggredi videamur.

---

1) Ibi *penũ* et *acuto* scriptum est. Eadem glossa truncata in codice Leidensi 67E f. 10vb: *bipennis*: *securis amazonica* (*nica* ex *cica*).

2) *Bis* vocula, quam perverse addiderunt librarii, abest a simillima Isidori Originum XIX, 11 (t. IV p. 444 ed. Areval.) memoria: *bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas; pennum autem antiqui acutum dicebant.*

3) Hinc fluxerunt *pennum*: *bis acutum* (cod. Leidensis 67E f. 47ra; glossae Isidori p. 691, 44) et *cennum*: *acutum, quia antiqui cennum dicebant* (sic cod. Sangermanensis inter *c* litterae glossas).

1. *Filare* pro *nere*: *nere*: *filare* (Mai VII p. 570b; Papias; Vincentii glossae); *net*: *filat* (Mai VII p. 570b; lemma frequentius *nit* scribitur: cf. gloss. Salomonis f. 140[v]a; Vossianus Fol. 82; cod. Leidensis 67F[1] f. 37[r]d; Mai VI p. 535b; Papias, ubi *fluit* pro *filat*); *nent*: *filant* (gloss. Salomonis f. 139[v]b; cod. Vossianus Fol. 82: *filent*, sed *a* supra *e* scripta); *neunt*[1]): *filant* (Mai VI p. 535a; VII p. 570b; plenior in cod. Amploniano[2] ined.: *neunt*: *filant in modum staminis*; cum alia contaminata: *neunt*: *filant vel texunt* codd. Leidenses 191[3], ubi *nent f. v. tingunt*, et 67E f. 41[v]a, ubi *texant*); *neverant*: *filaverant* (gloss. Hildebrandi p. 217a, ubi *necerant flaverant* sive *flaberant* codd.; gloss. post Salomonis, ubi additur *ncerant*; *necerant flaverant* cod. Vossianus Fol. 82; huc rettulerim etiam cod. Leidensis 191[3] glossam *neverunt*: *filabant*, hoc est *neverant*: *filaverant*); *neverat*: *filaverat*[2]) (Mai VII p. 570b); *nevit*: *filavit* (Papias); *neo .i. filare; inde netus . . filatus* (Osbernus p. 380); *nere*: *filare, glommare* (idem p. 384b).

2. *Naticae* pro *natibus*: *nates*: *naticae* (cod. Vossianus Fol. 82; gloss. Hildebrandi p. 216a: *natices* P; Papias: *nates dictae . .; haec natica cae etiam dicitur*; al.); πυγή: *natica* (Cyrillus p. 600, 12); *inpugis*: *qui minores naticas habet* (cod. Amplonianus[3] p. 343, 128: *inpuges*).

3. *Ignoscere* pro *non noscere*: *nescit*: *ignoscit* (cod. Leidensis 67E f. 41[v]b); *non sciebant*: *ignoscebant* (idem f. 42[r]b: *nonsiebant*[3])).

4. *Ninguit* vulgariter dicebatur *nivem ponit* sive *mittit*

---

[1]) Ne lemmata quidem harum glossarum utilitate carent. Videtur enim *nere* ad *ire* verbi similitudinem accommodatum fecisse *neo* [*nes nis*] *net nit nemus netis nent neunt*: habes certe supra comprobatas *net nit nent neunt* formas, quarum postrema Tibullus usus est III, 3, 36: '. . tristesque sorores, | stamina quae ducunt quaeque futura neunt'.

[2]) Cf. Vergilium Aeneidos X, 818: *tunicam, molli mater quam neverat auro*.

[3]) Sic vulgus pronuntiabant *c* littera extrita; cf. eiusdem codicis f. 42[r]a glossam: *non nesio*: *non ignoro*.

his glossis testibus: *ninguit*: *nivem*[1]) *ponit* (codicis Leidensis 67E f. 42^{r}b) et *ninguit*: *nivem mittit* (codicum Leidensis 67F[1] f. 37^{r}d et Bernensis 258 f. 181^r).

5. Eiusdem indolis vocabula peti possunt ex synonymis quae vocantur, qualia multa exhibet codicis Leidensis 67E glossariolum alterum[2]). En non nulla quae cum lectoribus communicentur non indigna:

Aucupes: *viscillarii*[3]), *viscantes, cantu fallentes, fistolarii* (*inscantes c. fallantes* cod.)

Aruspex: *mathematicus, ariolus, augur, praesagator, inspector, sortilegus, magus* (*auruspex mathimaticus auriolus augorio p̄sagatur*)

Arbiter: .. *gratiator, unitor, foederator, pacis factor* (*graciatur u. federatur*)

Mersus: .. *mergulatus*

Opacum: *arbustum, silvestre, nemorosum, stirpetum* (*strirpetrum*)

Osculatur: *amplexat, complexat*

Mollis: *mansus, mansuetus, sincer*

Pinguis: .. *saturus*

Homicida: *latro, sicarius, gladiator, percussor, emissarius, sanguinarius, sanguibibus, grassator*

Tristi: .. *meticuloso, tremebundo, trepidabili* (*tremedabide*)

---

1) *nequem* pro *nivem* cod., quam scripturam ut *nequem* sive *niguem* intellexerim.

2) Non displicent eae ex his glossis, quae ad deorum similiaque nomina spectant. Velut cf.: *Cereres*: *dea fromentorum*; *Caron*: *Orcus, Aidoneos, monstrum inferni*; *Dii inferi*: *manes Acherontides, ferruginei* (*ferungi sin* cod.) *ministri, caeli cohors* (*caeli* corruptum, ut videtur: num forte *caeca cohors*?); *Diana*: *Hecate, Delia, Trivia, venatrix* (*etate dileatriuea* cod.); *Luna*: *Cynthia, Titania, bicornis, trigemina, Phoebe* (*ci ista tytania b. trigennia foebe* cod.); *Mercurius*: *Hermes, inventor litterae, alatis plantis, Maia genitus* (*hermis, litere, genit̃* cod.); *Venus*: *Idalia, Cytheria, Paphia, Erycina* (*cyteria pafia erecina* cod.).

3) A *viscum* vocabulo derivatum est *viscellum* sive *viscillum* deminutivum, quod traditum non habemus. Exstitisse autem praeter *viscillarii* nostrum etiam *viscellatus* forma docet. Ceterum *viscantes* quoque novum esse videtur.

6. Non dubito quin in corruptis glossis hisce: *praetorsorum*: *paad* (codicis Amploniani[1] p. 361, 192: interpretamentum anglosaxonicum est); *veretium*: *petosirium* (Mai VI p. 550 b); *veretrum*: *pertumsorium* (ibidem); *veretrum*: *portum orinum* (gloss. Arab. p. 710, 41) vocabulum lateat vulgare penem significans, neque ullum puto ad litteras traditas magis quadrare quam *pertunsorium*[1]). Nota est *Pertunda* dea.

7. *Ballare* pro *saltare* dicebant: hinc etiam *ballatio* pro *saltatio*. Cf., ut unum exemplum seligamus, cod. Leidensis 67E f. 13^{v}b: *choreis*: *ballationibus*.

8. 9. *Aenigma* latine dicebatur *obscuriloquium* (cf. codicem Leidensem 67F^{3} f. 56^{r}d: *enigma*: *obcuri loquium*), et *heliotropium* haud ineleganter *solisequa* teste glossa *heliotropium*: *nomen gemmae vel floris, latine solisequa* (cod. Amplonian.[2] inedit. p. 337, 28/29: *hilothropicum* .. *solis requia*; cod. Leidensis 67F^{1} f. 29^{r}b: *helio dropium* .. *solis sequa*; al.[2]).

10. Codicis Leidensis 67F^{3} glossariolum tertio loco servatum propterea memorabile est, quod exquisitiora non nulla non semel, sed bis vel adeo ter exhibet. Sic supra p. 45 formulae quae est *si parret* duo exempla illinc hausta dedimus. Eodem modo tribus testimoniis vocem quandam vulgarem ex hoc glossario nunc comprobabimus. Namque praeter *turba*, *turbella*, *turbo*, sim. etiam *turbido* (sive *turbedo*) usitatum fuisse videtur:

aestum: *turbidinem* (cod. Leidensis 67F^{3} f. 56^{v}a: *estum turuidine*)

turbidine: *venti vertigine*, *ruina* (idem f. 61^{v}b: *turbidinem*, *b* ex *p* facta)

turbidinem: *perturbationem* (idem f. 61^{v}c)

11. Similium quaestiuncularum quamquam inexhausta paene materia in glossariis latet, subsistendum tamen videtur, ubi verbum quoddam adhuc ni fallor inauditum enuclea-

---

[1]) Ineptit Hildebrandus, ad glossarium Parisinum p. 291 a *pecten masculus* sive *pectinem masculum* scribendum proponens.

[2]) Paullo aliter *abavus* glossarum amplior recensio: *heliotropium*: *nomen gemmae vel floris herbae; latine solisequa dicitur* (*soliscquia* cod. Vossianus Fol. 82, *solissequa* gloss. Salomonis).

verimus. Proficiscendum est autem ab 'Isidori' glossa p. 682, 24: *hippitare*[1]: *oscitare, badare,* cuius ultimum vocabulum plerique de emendatione desperantes intactum reliquerunt. At Semlerus, qui raro desperabat, *badare* in *hiare* mutandum proposuit: me equidem non plausore. *Hiare* enim, verbum tritissimum, non facile putaverim librarios hoc modo corrupisse. Eadem de ratione improbo coniecturam Deuerlingii, qui nuper ad Placidum p. 42, 6 *halare* in illa corruptela latere suspicatus est. Itaque reiectis his tentaminibus haud cunctanter scribimus *hippitare*: *oscitare, bataclare.* Exstitit enim *bataclare* verbum *hiare, oscitare* significans quattuor glossis testibus hisce:

hippitare : *oscitare, bataclare*[2])

Haec ipsa ea est, de qua nunc agimus. Emendavi e codice Leidensi 67 F[1] f. 29[r]c, ubi *ba ta clare* habes. Idem liber f. 39[r]a *oscitare* : *bataclare* exhibet. Tertia est *oscitatio*: *bataclatio* codicis Vossiani Fol. 82, sive *oscitatio* : *bataclatio vel casmatio,* si glossarium Salomonis[3]) sequi malueris. Restat

---

[1]) Memorabilis discrepantia inter Pauli Festum et cetera glossaria intercedit. Cum enim Paulus p. 101, 7 haec tradat: *hippacare est celeriter animam ducere, ab equi halitu, qui est supra modum acutus,* ubi *hippacare* forma ipso interpretamento stabilitur, fontes nostri omnes *hippitare* potius exhibent, quae quidem scriptura eo gravioris est ponderis, quod tribus glossis nititur inter se prorsus dissimilibus. Sunt autem haec: *hippitare*: *oscitare, bataclare* (v. supra); *exippitare*: *hiare, oscitare* (vocabula variora p. 699, 41: *rare*) vel *hiare, id est os aperire, oscitare* (Mai VII p. 560 b); *exippitandum*: *hiandum, oscitandum* (Placidus p. 42, 6).

[2]) Eadem glossa breviata in codice Leidensi 67 E f. 31[r]a talis exstat: *hescitare* : *oscitare,* cum vel ordo litterarum *hiscitare* postulet; praecedit enim '*hi*beria' sequitur '*hi*rogis'. *Hiscitare* autem in *hippitare* mutandum est.

[3]) Ibi scriptum est *bataglacio vel casmaticō.* Recte autem nos *casmatio* emendasse non difficile est ad demonstrandum. Namque praeter *bataclare* etiam *casmare* pro *oscitare* verbo vulgus utebatur. Interpretati sunt enim glossographi in hunc modum: *oscitare*: *casmare* (cod. Vossianus Fol. 82); *oscitavit* : *casmavit* (cod. Amplonianus[1] p. 357, 128: *crasmavit*; cod. Amplonianus[2] p. 358, 68: *scasmavit*); *casmavit* : *oscitavit* (cod. Amplonianus[2] p. 286, 30). Oblata hac occasione non abs re videtur Hildebrandi p. 161, 48 *hiantes* : *ampliantes* explicare. *Ampliantes* enim illud noluerim mutare, cum *os* supplendum esse videa-

quarta Attonis polypt. p. 79: *oscitavit* : *bataclavit* (*boatadavit* cod.). Quarum glossarum memoriae accedit testimonium aliunde petitum neque id sublestae fidei: hodieque enim Itali *oscitare* dicunt *sbadigliare.*

Appendix I.

Lingua vulgaris non solum vetustissima tenaciter servat, sed etiam permulta quae olim in usu fuerant magis magisque abolet, ita ut novissima una cum antiquissimis exhibeat. Sic *edere* paulatim *manducandi*[1]) verbo cessit; pro eo quod est *circuire* dicebant *girare*[2]); similia multa substituebant. Quo in genere illud satis notabile est, quod *parvus* adiectivum dici nequit quam raro in lingua vulgari usu veniat. Quod ut demonstremus satis apte nisi fallimur adhibebimus quattuordecim glossarum[3]), quarum lemmata substantiva deminuta ut grammatici locuntur exhibent, interpretamenta. Atque horum quidem in novem habes 'brevis', in quattuor 'modicus', in uno 'minutus' usurpata[4]): at ne in uno quidem, quam vocem omnes exspectamus, 'parvus'. En testimonia:

---

tur duce inedita codicis Amploniani² p. 337, 28/29 glossa *hiantes* : *os aperientes vel ampliantes.*

[1]) Cod. Leidensis 67 E f. 19ᵛb: *edit* : *manducat, comedit*; idem: *edulia* : *res quaecumque manducari possunt* (*quicumque* cod.); cod. Amplonianus² ined. p. 386, 18/19 *vescitur* : *manducat*; cod. Leidensis 67 E f. 22ʳb: *esus* : *manducatio*; ibidem: *esui* : *manducationi*; cod. Leidensis 67F⁵: *edentem* : *manducantem*; idem: *edulia* : . . *ad manducandum.*

[2]) Cf. codicis Leidensis 67F¹ f. 15ʳa *circuit* : *girat* et *circuivit* : *giravit.*

[3]) Has glossas cave opineris ita nos collegisse, ut eas quarum interpretamenta 'parvus' vocem exhiberent consulto idque non sine aliqua fraude missas faceremus. Sunt potius omnes eae in quas non adeo diu quaerentes incidimus.

[4]) Saepissime *deminutive* adverbium in interpretandis vocabulis deminutis usu venit. Cuius forma vulgaris est *diminutivae* eamque omnia haec testimonia ex solis ineditis codicis Amploniani² glossis collecta prae se ferunt: p. 278, 66/67 *bacula* (scr. *vaccula*) : *vacca diminutivae*; p. 332, 39/40 *femella* : *femina diminutivae*; 52/53 *fiscillum* : *cofinum diminutivae*; 64/65 *flosculos* : *flores diminutivae*; p. 333, 32/33 *virguncula* : *virgo diminutivae* (*virga* cod.), quibus ducibus p. 386, 35/36 *ca-*

cognitiuncula : *brevis cognitio* (gloss. Hildebrandi p. 58, 140)
corpusculum : *breve corpus* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 55^vd)
munusculum : *breve munus* (idem codex f. 58^rd)
nepticula : *brevissima neptis*[1]) (idem codex f. 58^vb)
plaustellum : *vehiculum breve* (idem codex f. 59^va)
scrupulus : *lapillus brevis* (gloss. Hildebrandi p. 268, 90: *scripulus*; cod. Amplonianus^1 p. 374, 60; al.)
summula : *brevis summa* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 61^rb)
suspectiuncula : *suspectio brevis* (idem codex f. 61^rc)
taxatiuncula : *brevis taxatio* (idem codex f. 61^rd)

aedicula : *domus modica*[2]) (cod. Leidensis 67 F^1 f. 2^vd; cod. Amplonianus^2 ined. p. 268, 181/182; al.)
aetatula : *aetas modica*[3]) (cod. Leidensis 67 F^5; cod. Amplonianus^2 ined. p. 268, 175/176; al.)
causula : *causa modica* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 55^va)

gestatiuncula : *res minuta*[4]) (liber glossarum; gloss. Isidori p. 681, 51: *gestiuncula*)

Appendix II.

Rectissime Rönschius p. 334 adn.: '*modicus* in der Bedeutung *klein*, *gering*, *unbedeutend* ist ein fast nie fehlendes Charakteristicum der Itala- und Volkssprache, welches nur hie und da durch *pusillus* sich ersetzt findet'. Exemplis ab

---

stellum : *diminutia castris* sic supplendum est: *castellum* : *diminuti*[*vae*] *a castris*. De adverbiis in *-ae* exeuntibus cf. Schuchardtum I p. 254 sqq.

1) *Nepus* cod. Leidensis, quod emendavi glossarium Salomonis f. 140^ra *nepticula* : *brevissima neptis* secutus. Aliter corrupit Papias: *nepticula* : *brevissima uestis*. Hac glossa duce hau difficilis evadit Placidi apud Maium VI p. 567 b *nepticula* : *res brevissima* (cf. etiam codicis Vossiani Oct. 24^2 *nepticula* : *res breves*) emendatio. Reiecta scilicet Mai coniectura quae est *inepticula* ita tantum locum sanari posse putamus ut *res* in *neptis* mutemus.

2) v. appendicem II.

3) Glossarium Salomonis *aestacula* : *estas modica*, quae, si recte sentio, non nova est glossa, sed supra exscriptae corrupta memoria.

4) Glossa procul dubio truncata.

illo p. 334—336 e libris sacris collectis pauca e glossariis sumpta addo, multo autem plura dare possum.

Modica moderata dixerunt; nam modica pro parvis abusive, non proprie dicitur (Mai VII p. 569a, cuius glossae fragmentum habes in cod. Leidensi 67 E f. 40[r]b: *modica moderata dixerunt*, ubi *moderata* in *moderati* mutatum est)

Paululum: *modicum*, *pusillum* (gloss. Hildebrandi p. 234, 86)

Paulum: *mediocrem*, *modicum* (gloss. Hildebrandi p. 234, 87)

Modicus : *parvulus* (gloss. Hildebrandi p. 210, 162: *praevalus* libri)

Modicum : *paulum*, *paulolum*, *parvum* (gloss. Hildebrandi p. 210, 161: emendavi duce Leidensi)

Racemus : *modicus ramus cum uvis* (cod. Amplonianus[2] inedit. p. 372, 617: *racimus* . . *cumuiuis*)

Agello : *deminutive*, *modica possessio* (cod. Amplonianus[2] inedit. p. 268, 199/200: *diminuti*)

Cymba : *navicula modica* (cod. Amplonianus[2] ined. p. 290, 301/302)

Linter : *navicula modica* (cod. Amplonianus[2] inedit. f. 27[r]a: *l//////////* pro *linter*)

Exigua : *modica*, *perparva* (cod. Leidensis 67 E f. 24[r]b)

Municipium: *modica civitas* (cod. Amplonianus[1] p. 351, 131)

Posticla : *modica ianua* (cod. Amplonianus[1] p. 361, 151: cf. supra p. 136)

Pastophorium: *modica domus* (cod. Amplonianus[1] p. 362, 222)

Territoria : *modica loca* (cod. Amplonianus[1] p. 380, 3)

Pittacium : *membranum modicum* (cod. Amplonianus[1] p. 359, 85: *pita*-)

Cariscus : *musca modica* (cod. Amplonianus[1] p. 285, 351)

Semicinctium: *modica mappa* (cod. Amplonianus[2] p. 380, 51)

Catinus : *discus modicus* (cod. Amplonianus[1] p. 282, 164: *castinus*)

Oppidum : *civitas modica* (cod. Bernensis 258 f. 181[r])

Silvula: *silva modica* (cod. Palatinus 1773 f. 297[v]: *modicam*)

Lanceola : *modica lancea* (cod. Leidensis 191[3]: *laceola*)

Minutalia : *modica* (cod. Leidensis 67 F^2 f. 58[r]d)
Modicum : *parvum* (cod. Leidensis 67 E f. 40[r]b: *par uum*)
Meatus : *circuitus, transitus vel venae modicae* (glossar. Salomonis)
Cymbium : *poculorum genera, hoc est vasa modica* (cod. Leidensis 67 E. f. 13[v]b: *cimbium populorum*)
Luscinia : *avis modica* . . (glossarium Salomonis)
Cercilus : *navicula modica* (cod. Sangallensis 912 p. 50)

'RVSTICE' · 'VVLGVS' · SIMILIA

Multo etiam certius faciliusque quam ea quae modo collegimus ad vulgarem loquendi usum revocari consentaneum est talia, qualia disertis ipsarum glossarum testimoniis illius sermonis esse docemur. Qui quidem linguae latinae fons adeo neglectus est, ut quae nunc proferemus paene omnia nova sint. Atque hanc quoque opusculi nostri partem ita instituendam putavimus, ut hos thesauros aperuisse potius quam exhausisse videamur.

Ululas, triste avium genus, vulgus appellasse *cavanos* num notum sit nescio. Plane autem docent hae glossae ad Hieronymum[1]) ut videtur redeuntes: *cabalos vulgus appellat aves nocturnas* codicis Palatini 1773 f. 61[r] = Mai VII p. 553 b; *ulule* : *ono centauri vel aves nocturnas, quas vulgo cavanus vocant* codicis Leidensis 67 E f. 60[r]b. Dubitantibus sitne *cabalus* an *cavanus* an *cavo* (vide adnot.) praeferendum, ut *cavanus* formam restituamus suadent glossarium Salomonis et codex Amplonianus[1] p. 283, 250, quorum illud *cavannus*: *genus alitis*, hic *cavani* : *ulule aves* exhibet.

Non *sagenam* vulgus rete appellabat, sed *verriculum*. Cf. glossam Mai VII p. 578 b *sagena* : *verruclum, retiae* (scr. *retia*; sic enim vulgariter pro *rete*: cf. Rönschii librum p. 259); *vulgo autem neruclum dicitur,* quam emenda duce Salomonis glos-

---

[1]) Ex Hieronymo in Iesaiam VI, 13 pendent etiam quae glossarium Salomonis v. *Ulua* (scr. *ulula*) exhibet: 'ulua in esaia translatione nominis, ipso hebreo hihim appellatur; septuaginta tamen interpretes pro sono centauros in translatione posuerunt. Sunt qui ululas putant aves nocturnas ab ululatu vocis quam efferunt, quas vulgo cavones [scr. *cavanos*] dicunt'.

sario, ubi v. *sagena* habes: ... *rete autem vulgo verticulum* (scr. *verriculum*) *dicitur.*

Mulsum : *mitigatum Bacchum, quod vulgus conditum dicit* (Mai VII p. 569 b)

Cossi : *vermes in ligno, quos vulgo teredones vocant* (ibidem p. 557 a: *teredonem*)

Insana : *genus herbae ita dicta, quia usus eius periculosus est; de qua*[1]) *si bibatur vel edatur, insaniam facit: hanc vulgus milimindrum dicit* (liber glossarum)

Situla : *quod vulgo modiolum appellant* (cod. Amplonianus[2] p. 380, 57)

Pyxides : *vasa modica argentea vel lignea, quae vulgo buxides appellant, in similitudine capsellae* (cod. Amplonianus[2] p. 367, 128: *pixides* . . *proxides* . . *capsellae*[2]))

Arbutus : *comarus*[3]), *cui vulgo nomen est unedo* (Mai VI p. 509 a)

Comitialis morbus, qui vulgo caducia[4]) *dicitur, ideo comitialis dictus, quod in comitio primum nescio quis hoc morbo arreptus* (Mai VI p. 516 b)

Molleolus : *hoc nomen enim auditur, sed absorbetur, quia vulgo glutto appellatur*[5]) (Mai VI p. 533 b = cod. Vatic. 3321 f. 99[r]: *absoruetur*)

Testudo : *quam vulgo golaiam*[6]) *dicunt. gradu lento gra-*

---

[1]) Libri *denique,* quod hauscio an forte vulgariter pro *etenim, namque* dixerint.

[2]) Ter peccavit Oehlerus edendo. Scripsi *buxides* duce 'Placidi' in libro glossarum glossa *pyxis* : . . *quam nos corrupte buxidem dicimus.*

[3]) *Comarus* arbor, *comarum* fructus. Hoc vocabulo Plinius usus (idem etiam *unedo* voce), illud novum est.

[4]) Novum hoc quoque vocabulum, ut videtur, a *caducus* non aliter derivatum atque *caecia* a *caecus,* quae vox item glossis debetur: *caecia* : *caligo oculorum* (gloss. Amplon.[3] p. 291, 7: *cada*; fragm. Werthinense).

[5]) Non multae exstant tales glossae. Est autem eius qui vocem satis iam obsoletam alia, qua vulgus uteretur, plane absorptum iri coniciebat. Quo magis dolendum quod, quonam de vocabulo agatur non planum est.

[6]) Idem vocabulum in libri glossarum codice Ambrosiano B 36 inf. *guolaiam* et *golia* scribitur: quae forma probanda sit nescio.

ditur, secum domum suam portans, dorso picta et venenosa (Mai VI p. 548b: post *vulgo* delevi *testudinem alii*; *grado*)

Aeramen equum vulgus vocat, quod in modum aeris sit coloris (Mai VII p. 551a)

Gynaeceum : quod dicit vulgus † ecinemones (cod. Leidensis 67 E f. 29^{r}b: *gineum quo*)

Armiger : spatarius[1]) *qui vulgo* (cod. Bernensis 16 f. 25^{v}a: *amger*, inter glossas ab *am-* incipientes)

Trahae : quae rustici tragula[2]) *vocant* (cod. Sangallensis 905 p. 1012b: *trahe*)

Symbolones : a symbola, quae vulgo dicitur confersa[3]) (Atto polypt. p. 56)

Eruca : quam vulgo dolvam vel dulbam[4]) *vocant* (cod. Leidensis 191^{3}: *dulbant* pro *dulbam*; in libro glossarum, ubi *doluam*, Eucherio tribuitur)

Tunica linea, quae vulgo camisia[5]) *dicitur* (Leidensis 191^{3}: *camina*)

Hastula[6]) *hasta rustice dicta* (cod. Amplonianus^{2} p. 271, 337: *astula asta*)

Galla : zizuca rusticae } (cod. Amplonianus^{2} p. 335, 9 et
Zizuga[7]) *: rustice galla* } p. 387, 2)

Cartilago grurzapa[8]) *dicitur rusticae* (cod. Amplonianus^{2} p. 286, 56, a quo Vossianus Fol. 82 ita discrepat: *c. grunzopa grece dicitur*)

---

1) *spatha* notum est apud scriptores inferioris aetatis adeo frequentari, ut in *gladius* vocis locum cessisse videatur.

2) Cf. Varronem de l. l. V, 139: 'de his quae iumenta ducunt, tragula ab eo quod trahitur per terram'.

3) Cf. eiundem p. 45: *obola : confersa*.

4) Cf. cod. Bernensis 258 f. 179^{v}b: *eruca : dolba*.

5) Idem *camisia* restitue eiusdem codicis glossae *subucula : canusia*. Est Francogallorum *chemise*.

6) *hastula* hoc est *ramulus* vel *stolo*.

7) *zizuga* ex *zicuga* factum est.

8) Idem vocabulum latere videtur in codice Leidensi 67 E f. 11^{v}a: *cartilagmi : lardobra*. At obstat eiusdem glossae inter 'Isidori' p. 674, 43 memoria *cartilagini : lardo bradone*. Neque hanc neque supra exscriptam emendavi.

NOTABILIORES · NON · NVLLAE · GLOSSAE

Adrastros : *fossores* (cod. Vaticanus 3321 f. 7^{r})
Ablegurrit : *degustat* (idem f. 12^{r}: *alle-*)
Appodix : *socia, comes* (idem f. 16^{v})
Aquariolus[1]) : *puer lenonis sic dicitur* (cod. Vaticanus 3321 f. 112^{r}: *ovasiolus*; cod. Bernensis 258 f. 181^{r}: *sic dicitur* om.)
Conparietici : *consortes unius parietis* (cod. Vaticanus 3321 f. 29^{v})
Coxilina : *coquina* (idem f. 32^{r})
Davit : *consecravit* (idem f. 36^{r})
Eruli : *domini* (idem f. 52^{r})
Exfretat : *navigat* (idem f. 57^{v})
Feretrius : *fertilis* (idem f. 62^{v}: *fererius*)
Hermula : *statua sine manibus* (idem f. 52^{v}: *ermula*)
Infens : *dicens* (idem f. 77^{v})
Infucatis : *sinceris vel puris* (idem f. 77^{v}: *infocatis*)
Lira : *sulci infimus ductus lira dicitur* (idem f. 90^{v}: *infirmus*)
Offibulare : *concludere* (idem f. 109^{v}: *offubulare conludere*)
Offibulabant : *claudebant asseris* (idem f. 109^{v})
Parasituli : *buccellatorii* (idem f. 113^{v}: *bucellatarii*)
Barritus : *vox exercitus* (cod. Bernensis 258 f. 178^{r}c)
Obvallati : *undique muniti* (idem f. 181^{r})
Punicavit : *erubuit* (idem f. 181^{v})
Revectans : *reportans* (idem f. 182^{r})
Ruspantur : *requirunt anxie* (idem f. 182^{r})
Subaquilus : *subniger* (idem f. 183^{r})
Tuburcinati : *propinati* (idem f. 183^{r}: *tuburtinati*)
Ambagines : *perplexitates* (cod. Vossianus Oct. 24[2])
Austrare : *humidum facere* (idem)
Macella : *macula* (idem)
Mensare : *saepius mingere* (idem)
Perannus : *aeternus* (idem)

---

[1]) Lemma inter *o* litteram codices sic insertam exhibent: *ovariolus*, quam corruptelam me emendasse pro certo contenderim. Etenim ex OUARIOLUS caudula addita et A praefixa feci AQUARIOLUS.

Reviridescit : *revirescit* (idem)
Hosticida : *qui caedit hostem* (glossar. Boxhornii)

QVISQVILIAE

1. Glossographi in formis *hic* pronominis, quae in *-ce* exeunt, velut *hoce, hosce,* sim. 'autem' vel 'vero' vocularum significationem latere videntur opinati esse; cf. has glossas: *hoce* : *hoc autem* (gloss. Hildebrandi p. 162, 75); *hosce* : *hos vero* (cod. Leidensis 67 F[2] f. 57[r]b: *hoc uero*); *hosce* : *hos autem* (cod. Amplonianus[2] p. 336, 14); *hasce* : *has autem* (gloss. Hildebrandi p. 160, 25: *hascac* Parisinus, et glossarium Salomonis).

2. *Mus-* stirpis genetivus est *mur-is*, fuerat procul dubio olim *mus-is.* Integra mansit *s* in voce *musium,* si fides habenda glossae *musia* : *nidi soricum* (cod. Leidensis 67 E f. 40[v]b: *musea n. suricum*; cod. Vossianus Fol. 82; glossarium Salomonis: *musica n. suricum*; glossae 'Isidori' p. 686, 26: *musiae n. suricum*; eaedem p. 687, 16: *musea*). Attamen *musium* illud a *mus-* derivatum mihi certe admodum dubium; etenim aut errorem aut iocum subesse collato *Musium* vocabulo suspicor.

3. Glossa Mai VI p. 544b *sequius* : *sermo* nisi omnia fallunt vocem exhibet ad *sec* radicem (cf. *insece, inseque, insecenda, insectiones*) spectantem[1]), quamquam terminatio fortasse corrupta est.

4. 'Philoxeni' glossae p. 133, 24 — 134, 39 sexaginta duo lemmata continent a *lu-*, duo a *li-*, unum a *lo-* incipientia. Quae ordinem turbant haec sunt: p. 134, 2 *limfatici* : ἐνθουσιαζόμενοι, p. 134, 10 *linter* : εἶδος μονοξύλου πλοίου πρωτοκατασκεύαστον, p. 134, 33 *lotus* : λελουμένος καὶ πεπλυμένος. Scribe *lumfatici, lunter, lutus.*

5. Terminationem quae est *-ius* vulgariter mutabant in *-is*, cuius mutationis in glossariis velut haec exempla habes: *actuaris* ex *actuarius, abstemis* ex *abstemius, sobris* ex *sobrius, caerulis* ex *caerulius* = *caeruleus, consanguinis* ex *consanguinius* = *consanguineus.*

---

1) *sequius* = *secius* (cf. 'libri glossarum' *sequius* : *obliquius aut longe aliter*) hinc alienum esse videtur.

6. Cum *somnus* forma quae ex *sopnus* nata est praeter alia comparari possunt glossae *amnuere* : *refugere* (cod. Amploniani[1] p. 264, 442) et *amnuit* : *contradicit* (gloss. Hildebrandi p. 9, 94). *Amnegare* in inscriptionibus exstat.

7. *Eundi* verbi formas non ubique obvias 'Philoxeni' glossae exhibent p. 108, 23 *int* : πορεύονται et p. 82, 36 *eam* : ἀπελεύcομαι [1]).

8. *Au* diphthongi *u* vocalem vulgariter extrudebant. Scripturarum eo spectantium in glossis tanta copia est, ut paucissimas proferre possimus: *agustae* : *sanctae*; *agustum* : *sanctum, venerabilem*; *agusta* : *sancta, aucta*; *alicus* : *ministerialis*; *bonum fastum felixque* : *hoc est faustum, quod felix*; *ductu aspicioque* ...; *actionator* : *qui de praecio contendit*; *accionabatur* : *puplice vendebat*; *auxillae* : *alae minores*.

9. Non inelegans est codicis Amploniani[1] p. 263, 392 glossa *arumnus* : *infortunus*, quam *aerumnus* : *i*. scribendam esse ordo litterarum docet. Praeterea nusquam hoc adiectivum traditum repperi; neque tamen *aerumn*[*os*]*us* correxerim, cum nova accipere quam abolere satius ducam.

10. *Cribrare* vulgariter sonabat *crefrare:* cf. cod. Amploniani[1] p. 281, 113 glossam *crefrat* : *siftid* (*siftid* Erfurtensis, *siftit* Epinalensis: anglosaxonicum pro nostro 'er siebt'). Similiter *b* et *f* variant in *Mulcifer* : *ignis* [2]) cod. Amploniani[1] p. 350, 52 (cf. Pauli Festum p. 144, 2: 'Mulciber Vulcanus a molliendo scilicet ferro dictus ...'); *bufus*: cf. cod. Leidensis 67 F[5] *bubo nomen avis, quem quidam bufum dicunt*; *baselum*: cf. Mai VI p. 511a *baselum et*

---

[1]) Glossa sicut supra posui scribenda: ipsius codicis *eam* : αὐτήν, ἀπελεύcομαι contaminatum est.

[2]) Truncatam glossam Oehlerus edidit, omisit integram. Sic enim cod. Amplonianus[2] ined. 353, 90/91: *Mulcifer* : *ignis, quod omnia* (*omnis* cod.) *mulceat; ipse dicitur et Vulcanus.* Eiusdem extremam vocem codex *ulcanus* scriptam exhibet sicut p. 278, 65/66 *Brontes* : *discipuli ulcani* (quae spectat ad Vergilii versum VIII, 425: *Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon,* unde *discipuli* in *discipulus* mutare noluerim); p. 290, 177/178: *copulatus* : *in unculis missus*; p. 340, 6/7: *ignipotens* : *ut est ulcanus, qui ignis potentiam habet,* quas glossas omnes Oehlerus non evulgandas esse putavit.

faselum unum est : *navigii genus*; *sifilum* [1]): cf. gloss. Hildebrandi p. 279, 369 *suiflum* : *sifilum*.

11. Codicis Vossiani Fol. 82 glossam *indede* : *inde* corrigere noli: *inde-* enim est *endo indu* praepositio, quae postremo facta est *indi-*, velut in *indi-gena*.

12. Non 'malus etymologus' erat, qui haec scripsit: *reluere* : *resolvere; luere enim solvere est* (Mai VII p. 577 a).

13. *Dimittere* apud posterioris aetatis scriptores pro *relinquere* usurpari post alios ostendimus Ritschelii Actorum t. II p. 483 sq. et IV p. IV. Non mirum quod glossae quoque illum usum comprobant. Ecce nonnullae:

linquit : *dimisit* (cod. Leidensis 67 F² f. 58ʳa: *demisit*; *linquit* cave sollicites, cum forma vulgaris sit)

linquit : *dimittit*, *relinquit* (cod. Leidensis 67 E f. 37ʳa: *demittit relinquid*)

liquerit : *dimiserit* (idem codex f. 37ᵛa: *demiserit*)

relinquas : *dimittas* (cod. Leidensis 67 F¹ f. 46ʳb: *resiscas*)

reliquit : *dimisit*, *liquit* (gloss. Hildebrandi p. 260, 83: *relinquit demisit inliquit* Parisinus, quem Leidensi duce emendavi)

heroes : *viri fortes, qui dum vivunt ex virtute adquirunt nobilitatem, post mortem gloriam dimittunt* (cod. Leidensis bibl. publ. 191³)

14. *Se* pro *si* ita ut ordine litterarum defendatur exhibet glossa *se non quiverit* : *si non poterit* (gloss. post Salomonis glossas: *se non poterit*; cod. Leidensis 67 F¹ f. 47ʳd: *senoñ. si ñ quicuerit*).

15. Metathesis exempla ne multi simus duo e glossis seligimus:

falbus : *fulbus, helbus*, ὁ ξανθός (gloss. Hildebrandi p. 138, 37: *falbus* pro *fulbus* P; 'ozaNeoC' om. L)

παρθενεύω : *vigrino* παρθενεών : *vigrineum* παρθενία : *vigrinitas, vigrinium* παρθενικός : *vigrineus, vigrinalis* παρθενισκάριον : *vigrinula*	('Cyrilli' glossae p. 571, 11 sqq.)

[1]) Cf. praeter Nonium p. 531, 2 'appendicem Probi' p. 199, 3: *sibilus, non sifilus*.

16. Vulgares formas disertis verbis tradunt hae glossae: Hildebrandi p. 225, 63 *obstetrix* : *quae corrupte obsetrix*[1]), ubi codex Leidensis 67 F[3] *o. q. corruptae obsetrix, nunc prope,* ne is quidem integer, et cod. Amploniani[2] p. 370, 4 *quattur*: *latinum est, sed quattuor,* quae sic fere supplenda est: *sed quattuor* [*melius*].

17. *Em* demonstrantis interiectionem quoniam in dubium vocari scio, reliquis eius formae testimoniis, quamvis ad persuadendum prorsus sufficientibus, praeter Philoxeni p. 85, 22 glossam *em* : ἰδού[2]) addo singularem memoriam, qua vel grammaticis glossographisve veteribus hanc vocem notam fuisse docemur. Sic enim Atto in 'Polyptico' p. 58: *hem quando cum aspiratione scribitur, interiectio est dolentis: quasi 'heu me'; quando vero sine aspiratione, adverbium ostendentis: quasi 'en me'.*

18. Nulla forma in glossis frequentior quam *emitari*[3]) pro *imitari*; cf. 'Philoxenus' p. 86, 8: *emitatio* : μίμηϲιϲ; idem p. 86, 10: *emitat*: μιμεῖται; codd. Leidensis 67 F f. 119^{r}b et Amplonianus[1] p. 326, 80: *aemula* : *emitatrix*; cod. Leidensis 67 F f. 6^{r}c: *amitatores* : *adsectatores* (*amitatores* = *aemitatores* = *emitatores*: cf. ibidem f. 3^{r}c *adax* : *consumtor, voratur* et f. 3^{v}a *apule* : *escae*); cod. Amplonianus[2] p. 268, 174: *aemulas* : *emitator et inimica et emitatrix bonorum* (duae glossae in unam contractae sic fere discriminandae sunt: *aemulus* : *emitator* et *aemula* : *inimica vel emitatrix bonorum*); gloss. Hildebrandi p. 5, 54: *aemitavit* : *imitavit* (*initiavit* Leidensis et Parisinus); idem p. 5, 55: *aemuli* : *inimici vel aemitatores*; codex Leidensis 67 E f. 20^{r}b: *effingit* : *emitatur*; idem f. 54^{v}b: *sectatus* : *emitatus, secutus* et *secutus* : *emitatus*; alibi.

---

1) Palimpsestum Plautinum in Militis v. 695 OBSETRIX exhibere Geppertus testatur 'Plautinische Studien' II p. 31. In Clementis Recognitionum codice Vercellensi saec. VII f. 367 b *obsetrix* habetur: cf. Reifferscheidi Bibl. patr. ital. IV p. 528. Codicis Ambrosiani B 36 inf. glossae *maia* : *obsetrix graece* posterioris demum librarii manus *t* litteram supra posuit.

2) Stephanus Vulcaniusque *en*, sed *em* litterarum ordo exigit.

3) Cf. 'appendicem Probi' p. 199, 2: *imago, non emago.*

19. Ut *meatim tuatim nostratim vestratim* sic etiam *suatim* Romanos dixisse cum per se probabile est tum certo testimonio discimus glossae codicis Amploniani[1] p. 374, 77 *suotum* : *suo more*, quam quin meo iure *suatim* : *suo more* scribam maxime collata glossa *meatim*: *meo more* (gloss. Isidori p. 686, 43; cod. Amplonianus[1] p. 350, 81: *m. meo mẹre*) et Sisennae adnotatiuncula *tuatim significat* . . *tuo more* nullus dubito.

20. In glossa *Auxinium* : *Romanum, Latinum* frequentissime (velut cf. cod. Leidensis 67 E f. 9^rb: *sive latinum*; glossae 'Isidori' p. 668, 21; cod. Amplonianus[2] p. 271, 366: *auximum r. aut l.*; cod. Leidensis 67 F[1] f. 9^vd: *vel latinum*; alibi) tradita utrum forma nondum cognita an mera corruptela lateat alii diiudicent.

21. Glossographis *sodes* ex *si audis* natum esse videbatur: cf. *sodes* : *si audis* (cod. Amplonianus[1] p. 378, 330; cod. Amplonianus[2] ined. p. 380, 59/60; glossae glossario Salomonis subiectae: *soles*, sed inter *soc-* et *sod-*, et *subaudis* pro *si audis*), qua in re verum non viderunt.

22. Glossas quasdam non raro traditas, quarum lemmata sunt *alapiosa*, *apiciosus*, *alapiciosus*, sim., cave ne confundas. Sine ullo autem negotio e corruptis codicibus quasi elicimus quattuor glossas, quae duo eiusdem significationis vocabula satis exquisita nobis praestant: *alapiciosus* dico et *apiciosus*, quorum alterum hisce glossis servatum:

apiciosus : *calvaster* (Mai VI p. 508b: *apiciolus*)
apiciosus : *calvus* (Mai VII p. 551b; VI p. 508b; alibi)
apiciosus : *calvus, calvaster* (Osbernus p. 57b; glossae 'Isidori' p. 667, 40)

alterum autem hisce:

alapiciosa : *calva* (cod. Leidensis 67 F[1] f. 1^rb; cod. Amplonianus[1] p. 264, 415: *alapiosa*; glossae Turnebi: *alopeciosa*, quarum memoria ab editore videtur mutata esse; al.)
alapiciosus : *calvus* (Mai VI p. 505b; cod. Amplonianus[2] p. 269, 214; al.)

Alapiciosus quid sibi velit nemo non videt: derivatum est a vocabulo graeco quod est ἀλωπεκία, *a* pro *o* sicut in *bam-*

bis = βόμβυξ similibusque formis substituta[1]). *Apiciosus* ex *alapiciosus* correptum corruptumque esse minime putaverim; dicebatur enim 'apica ovis, quae ventrem glabrum habet' Pauli Festo p. 25, 13 teste.

23. Bellam formam in codicis Amploniani[2] p. 295, 3 glossa *damte*: *date* latere quispiam coniecerit; mutatio enim appellari vix potest, si *danite* lemma scripseris, quod ad *danunt* optime quadrare videatur. Dolendum vero quod codex non *damte*, ut Oehlerus legere sibi visus est, sed *damde* exhibet: neque per se spectata *danite* forma satis placeret[2]). Qui autem *damde* illud emendandum sit ab aliis doceri velim.

24. Non indignum est quod e situ eruatur *exsumptuare* verbum. Duo autem anonymorum loci in glossariis latent a sententia paullulum inter se discrepantes:

exsumptuavi: *pauper factus sum* (cod. Sangallensis 912 p. 98: *exumptuavi* et cod. Leidensis bibl. publ. 191[3]: *exvertuam*)

exsumptuavit: *pauperavit* (cod. Vaticanus 3321 f. 54 = Mai VI p. 524a: *exustuavit*; Mai VII p. 560b: *exumtuavit*; cod. Amplonianus[2] p. 329, 72: *exumptavit*, *u* supra *-tavit* scripta, *proberavit*; cod. Vossianus Fol. 82: *exsumtuat*; glossae 'Isidori' p. 678, 57 et gloss. Hildebrandi p. 136, 338: *exumtuavit*)

25. Uno verbo moneo, si quis *e* pro Graecorum υ positae exempla requirat, eum non frustra glossaria aditurum: cf. 'c*e*lindrium' 'm*e*rotheca' 'apod*e*terium' 'panig*e*ricus' 'f*e*sis' = φύϲιϲ 'h*e*dor' = ὕδωρ; idemque cadit in *obs-* (cf. *abs-subs-*) praepositionem, quam habes velut in *obstruncat, obstutus, obspansum*, sim., qualia tamen ut reperias glossariis carere potes.

26. Rarissimum est *mirio* vocabulum, cuius usus duplex fuit. *Miriones* enim appellabantur et 'personae distortae

---

1) *Alapes* = *alopex* et *alapicia* = *alopecia* habes apud Diefenbachium 'Glossarii' p. 25b-c.

2) Cf. Ritschelium de *danunt* aliisque id genus formis disputantem Monum. epigr. tria p. 17 sq.

oribus deformes' (hanc significationem apud Accium scimus usu venisse) et ei qui 'mirabantur'. Ad hanc autem, non ad illam vocabuli vim praeter Tertulliani locum spectant duae glossae:

I. *miriones* : *fantasiarum inanium miratores*

Sic scribendum putavi, cum Leidensis 67 E f. 40ʳa nihil exhibeat nisi *m.*: *fantasiarum inanium*, quo codice plenior fuit Scaligeranus, unde fluxit glossa 'Isidori' p. 687, 12 *m.*: *f. i. numeratorum. Imitatores* pro *numeratorum* Scaliger, quem non secutus sum ob 'libri glossarum' (cf. Mai VII p. 568b et glossarium Salomonis) memoriam quae est *mirones*: *phantasiae miratores.*

II. *miriones* : *miratores* (glossae 'Isidori' p. 687, 31)

27. Quales deos putas esse *haunios* glossae *haunii* : *dii agrestes* (glossarium Salomonis; cod. Palatinus 1773 f. 143ᵛ)? Nisi forte corrupta est initialis littera lemmatis — quode nunquam suspicio nasci non potest — vide num ab eadem radice appellati sint cum Faunis; tot enim exstant *h* et *f* variantis testimonia, velut *fariolus hariolus*; *fanum hanulum*; *fasena arena*; *fedus haedus*; *folus holus*; *fostis hostis*; *fostia hostia*; *fircus hircus*; *forda horda,* ut non nimis audax videatur coniectura *haunos* sive *haunios* Faunos esse. Ceterum novum eiusdem mutationis exemplum praestaret 'Salomonis' glossa *harit*: *ferit,* nisi collato Paulo p. 102, 8 'hostia dicta est ab eo quod est hostire ferire' *hostit* : *ferit* scribendum probabile esset: neque magis certa *fuma* : *terra* glossa multis locis tradita, cuius lemma ad *humus* vocem spectare videtur.

28. Placidi glossam *nullationem* : *mutationem* (p. 69, 7: cf. glossarium Salomonis f. 143ᵛb; gloss. Arabicas p. 708, 2; al.) quo modo alii explicent nescio; mihi *nullatio* contractum esse videtur ex *novellatio*: cf. *Novlanus Nolanus*; *privignus prugnus*; sim.

29. *Y* pro *i* posita non raro indicio est vocem aliquam olim per *u* pronuntiatam, deinde vocalis sono paullulum liquefacto in *i* transiisse. Sic forma quae olim fuerat *lumpa*[1]),

[1]) Cf. gloss. Hildebrandi p. 200, 194: *lumpae* : *aquae vel undae.*

postremo autem facta est *limpa*, priusquam ita pronuntiaretur, *lympa* sive *lympha* sonabat. Haud aliter *nimbus* vocabulum comparatum est, quod non solum per *y* scribitur, velut in codicis Leidensis 67 E f. 42^{v}b quae post *nu*- secuntur glossis *nymbus* : *ventus aquis mixtus* et *nymbossis*: *tempestuosis* (*nimboclus* cod., incertis *clu* litteris): sed etiam, quae est vetustissima forma, per *u*: *numbo* : *fulgoris nomen* (cod. Palatinus 1773 f. 212^{v}; gloss. Salomonis f. 273^{v}a).

30. Inter difficiliores glossas rettulerim eam cuius lemma modo *nibarus* (Mai VII p. 570 b; VI p. 535 a; gloss. 'Isidori' p. 687, 58), modo *nibabus* (cod. Amplonianus[2] p. 355, 23), modo *nibasus* (cod. Leidensis 67 F^{1} f. 37^{r}b et al.), modo *nibatus* (glossae Vincentii Bellovacensis), modo etiam aliter, interpretamentum vero semper *splendidus* scribitur. At unus locus restat plenior: glossae post Salomonis adiectae exhibent *nibarus* : *niveus, splendidus*, quam memoriam si cum codicis Amploniani[1] p. 354, 71 *nibarius* : *splendidus* coniunxeris, quin integra glossae forma sit *nivarius* : *niveus, splendidus* nihil dubitabis. Est autem hoc exemplum ex eorum numero, quae multas formas ab externa specie cascas exquisitasque omnibus glossae fontibus indagatis quasi in fumum dissolvi docent.

31. Una Pauli p. 10, 3 glossa: 'agina est, quo inseritur scapus trutinae, id est in quo foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur' non paucae e glossariis petitae illustrantur. Velut quae Maius VI p. 505 b habet: *aginator* : *qui agit aliquid, negotiator, tricator, morator*, contaminata procul dubio, ea non difficilia ad explicandum, si Pauli verborum *aginatores* ... *qui parvo lucro moventur* memineris. Praeterea haec e glossariis congessi:

aginantes : *explicantes*

Mai VI p. 505 b; cod. Vaticanus 3321 f. 11^{r}; cod. Bernensis 258 f. 50^{v}a; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[1] p. 262, 311 (*agonant̃ explica* ...); cod. Amplonianus[1] p. 268, 194 (*agimanes*); gloss. Salomonis; glossae 'Isidori' p. 669, 54 (*agginantes*).

aginari : *tricari, in parvo morari*

Mai VI p. 502 b; cod. Leidensis 67 F^{1} f. 6^{r}c; cod. Bernensis 224 f. 200^{v}b; cod. Vossianus Fol. 82; cod. Amplonianus[2] p. 267, 99

(*tricari mora arit, tarcor* supra *tricari* scripto, ita tamen ut extrema *r* littera dubia sit); glossae Turnebi. Qui fontes omnes *acinari* exhibent, quod non habeo qui explicem.

aginatorem : *negotiatorem actus*

cod. Sangermanensis (*aginatore negotiator est*); cod. Vossianus Oct. 24; cod. Bernensis 16 f. 19ʳa (*aginatore n.*): *actus* procul dubio corruptum.

Quarum glossarum prima tantum obscura est. *Explicantes* autem interpretamentum suspicor truncatum esse: num forte *aginantes* ei sunt qui 'in parvis morati' pusillasque minutias amplexi, graves autem res missas facientes aliquid 'explicant'? Restat quinta glossa: *aginavimus*: *fugavimus* (gloss. Salomonis; cod. Bernensis 16 f. 19ʳa; cod. Vossianus Oct. 24; cf. *aginare*: *fugare* Vincentii), ubi *agitavimus* corrigendum est.

32. Rarae tales glossae qualis est *dirutus erutus poetae dixerunt* (cod. Leidensis 67 E f. 18ᵛb: *poeta diexer̃*). Recte autem observavit glossographus.

33. Non habeo quod addam eiusdem codicis f. 40ʳa glossae *momordit debemus dicere, non morsit.* Placet etiam haec codicis Amploniani[2] inedita p. 380, 64/65: *spospondit*: *pollicitus est vel promissit* (*sollicitus* et *promittit* cod.).

34. Codex Amplonianus[2] p. 328, 4 parvolam exhibet glossam *e* : *ego*, cuius lemma brevius est quam planius: neque tamen obscurius quam quod explicari possit. Etenim ex hac glossa: $\cdot i \cdot \frac{ego\ quidem}{equidem}\cdot$ sciolus nescio quis novam hauriri posse putabat talem: $\cdot i \cdot \frac{ego}{e}$ = *e* : *ego*. Quae quidem explicandi ratio cum per se probabilis est, tum inde non mediocriter confirmatur quod re vera illud *equidem*: *ego quidem* codices Amplonianus[2] ined. p. 328, 37/38, Leidensis 67 E f. 21ᵛb, alii servarunt.

35. Verborum cum praepositionibus compositorum *a* vocales lingua tralaticia in *i* mutat. Velut habes *facio interficio, habere cohibere*, sim. Quas formas non antiquissimas fuisse constat: antequam enim *i* evaderet, *u* viguisse vetusta lingua docet. Sic Plautus *surrupio* similibusque verbis usus est. De eisdem ne glossarum quidem thesauros frustra perscrutamur. *Latere* (vel potius *latescere*) verbo cum *de* praepositione composito natum est *delutescere* teste glossa codicis

Amploniani[2] ined. p. 296, 67/68: *dilutuit* : *latuit*. Alterum exemplum hoc est. *Lacere* componitur *allicere*, *illicere*, *pellicere*, *elicere*, *prolicere*, quas formas olim *u* pro *i* exhibuisse documento est glossarii Parisini p. 125, 84 *eluciens* : *producens*, quam glossam ordine mutato ibidem p. 249, 424 habes traditam: *producens* : *eluciens*. Hanc formam Hildebrandus adeo non intellexit, ut illo loco *eliciens*, hoc *eiiciens* scribendum proponeret.

36. Vulgaria non nulla hac 'quisquiliarum' particula contineantur:

a) *Penitus* constat et adverbium et adiectivum esse. Similiter terminatio *-tenus* *-tinus* — utrumque enim confundebant qui vulgariter loquebantur — ut adverbiorum (cf. *quatenus*, *quadamtenus*, al.), ita etiam adiectivorum (*serotinus*, *annotinus*, al.) est. His similitudinibus fortasse ducti *forinsecus* adverbium ut nomen quoque usurpabant, cuius usus testimonium est codicis Leidensis 67 F[5] glossa *exotica* : *forinseca* (*exortica* cod.).

b) *Ex* praepositio cum verbis a consonanti incipientibus coniuncta mollito sono facta est *es-*, quae quidem syllaba[1]) truncata evasit *s-*, ut *expavesco espavesco spavesco*. Eodem modo natae sunt formae *sposco* = *exposco*: cf. cod. Leidensis 67 F[5] *efflagitat* : *petit*, *sposcit*, *rogat*, et *scutio* = *excutio*: cf. cod. Leidensis 67 E f. 39[v]a *merges*: *unde messis collegitur et scutitur*.

c) Francogallos notum est *faire* verbo de tempestate, die, temporibus uti: 'il fait beau temps', 'il fait froid', sim. Haud aliter lingua latina vulgi: cf. codd. Amploniani[2] ined. p. 386, 17/18 et Vossiani Fol. 82 *vesperescit*[2]) : *sero facit*.

d) Roscherus in Curtii 'Studiorum' t. IV p. 199 δαιδύσσεσθαι graecum bene perspexit cum verbo latino *ducere* ab eadem radice derivatum esse. Nostratis autem linguae

---

[1]) Eadem in principiis vocum ab *s* inpura quae dicitur olim incipientium exstabat, aliter tamen in his nata et ut ita dicam spuria: velut in *espiritus*, *estatio*, al.

[2]) De *e* vocali pro *a* posita vide quae collegimus in Fleckeiseni Annal. t. CXI (a. 1875) p. 533. — Ceterum non nova glossa est *vespernexit* : *sero fecit* codicis Vossiani Fol. 82.

ziehen ad idem prorsus ἔτυμον redit. Iam notum est locutiones quae sunt *bellum ducere, rationem ducere, sortes ducere* vel *educere*[1]), sim. aptissime in sermonem germanicum ita transferri posse ut adhibeatur verbum 'ziehen'. Sed multo magis etiam ipsa ea significatio in lingua vulgari viguisse videtur; nam *trahere* glossographis optime respondere videbatur *ducendi* verbo. Cf. glossas cod. Leidensis 67 F[4] *duci* : *trahi*, *nasci* et *ducta* : *tracta* (*ductra* cod.); cod. Parisini Hildebrandi p. 117, 389 *ducit* : *trahit* et p. 285, 104 *trahit* : *ducit*; libri glossarum *ducat* : *trahat, ducens* : *trahens, ducimus* : *trahimus, ducitur* : *trahitur.*

e) Frequentantur admodum in glossis *intendere* et *mittere* verba pro *aspicere* sive *inspicere* et *ponere, collocare* usurpata. 'Mittere': cf. cod. Amplonianus[2] ined. p. 352, 13/14 *marsupium* : *sacculum, ubi peccuniae mittuntur*; p. 268, 175/176 *aerarium* : *thesaurum, ubi publicae peccuniae mittuntur.* 'Intendere': idem p. 270, 319/320 *aruspices* : *qui intendunt signa corporis vel quod ad aras sacrificant*; p. 271, 335/336 *astrologi* : *qui intendunt signa caeli*; p. 271, 352/353 *augures* : *qui augurium intendunt.* Similia exempla paene innumerabilia mihi praesto sunt, quae cum lectore communicare longum est.

37. Quoniam *vorrus* vocabuli ad *vor-are* verbum haud dubie aliquo modo pertinentis formam ego non magis explicare possum quam Hildebrandus ad glossarium Parisinum p. 295, meum esse duxi memoriam singularis ac fortasse corruptae glossae colligere. Sic autem currit:

vorri : *edaces, helluones*

cod. Vossianus Fol. 82 (*elones*); gloss. Hildebrandi p. 295, 231 (*vorre* P, *elones* PL); gloss. Salomonis (*vori eda ellones*); Mai VI p. 551 b (om. *helluones*); cod. Amplonianus[1] p. 385, 137 (*v. elones e.*); cod. Amplonianus[2] p. 386, 41 (*v. holeres e.*).

38. Non raro exquisita vocabula latere videntur, ubi nihil nisi corruptelae sunt. Sic cod. Vaticanus 3321 f. 93[v]

---

[1]) Exemplis tralaticiis adde codicis Ampleniani[2] ined. p. 386, 50/51 glossam *urna* : *unde ducuntur* (*dicuntur* cod.) *sortes, quasi quartarium aereum.*

= Mai VI p. 532 b quod exhibet *macius*: *citius, velocius* diu me vexavit, cum cascam aliquam formam suspicarer. Nunc vero scio pervetustam membranam multo recentiorum codicum ope corrigendam esse. Quis enim dubitet quin integra ea glossa tradita sit in cod. Amploniano[2] ined. p. 352, 4/5 *maturius*: *citius, velocius*? Adde Hildebrandi p. 206, 82 *maturius* : *citius, velocius, celerius.*

39. Notis vocabulis *au-spices, exti-spices, haru-spices* adice novum *hosti-spices.* Exstat enim glossa:

hostispices : *haruspices*

ubi *h* litteram solae 'affatim' glossae servarunt, velut cod. Leidensis 67 F[1] f. 29[v]a (*hostispicit haruspicit*) et cod. Bernensis 224 f. 213[r]c (*hostispicis haruspicis*). Reliqui fontes omnes *aruspices* exhibent, velut Mai VI p. 526 b; cod. Vaticanus 3321 f. 72[r]; cod. Amplonianus[2] p. 337, 34; cod. Parisinus 7641 Hildebrandi p. 163 b; eiusdem glossar. Paris. 'antiquissimum' p. 163, 97 (*auruspices* Parisinus, non Leidensis); cod. Vossianus Fol. 82 (*auruspices*). Eandem autem glossam cum alia contaminatam exhibet cod. Vossianus Fol. 82:

histispices : *ligna vel fustes auruspices vel divini*

in qua, ni fallor, praeter *hostispices* : *aruspices* etiam *histipites* : *ligna vel fustes* latet; *stipes* enim vulgariter sonabat *istipes*, et *h* littera perperam addita *histipes.* Ceterum corruptela illa *histispites* sat antiqua esse videtur: item enim Vaticanus 3321 f. 70[v] *histispidem*: *aruspices*, qui codex litteris uncialibus quae vocantur scriptus est. Quod autem ad formam vocis attinet, *hostīspites*, non *hostĭspices* procul dubio pronuntiandum est, cum *hostispices* ex *hostiispices* contractum sit haud aliter atque *tibīcines* ex *tibiicines.*

40. In libro glossarum et alibi traditum est *carimpit*: *male dividit vel detrahit.* Nescio qui emendem, si improbaveris hanc medelam: *carinat*: *male dicit vel detrahit.* Cf. supra p. 14.

41. In codicis Ambrosiani C 243 inf., quo undique derivata colluvies confluxit, marginibus omnibusque fere vacuis membranae partibus variae manus varia scripserunt, quo in numero etiam glossulas. Velut in paginae 46 b margine

superiore repperi *arilli ·i· grana vel semina uvarum*, ubi lemma in *acilli* corrige. *Acillus* enim *acinus* vocabuli deminutivum est.

42. Libri glossarum cod. Ambrosianus B 36 inf. inter *alius*- et *alma* haec exhibet: *aliutea*: *aliud, amplius.* Lemma glossae *aliuta* scribendum esse censeo, unde novum exemplum redundat cascae illius vocis, quam ex uno Festi loco scimus 'in legibus Numae' sic usu venisse: *si quis aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto.* Formatum est autem *aliu-ta* eodem modo quo *i-ta.*

INDICES

I. Index locorum.

Accius . . . . . VII. 30. 336. 426
Acro 189
ad Horat. serm. I, 6, 28 . . 50
'Agniti' 223
Alanus 249. 251
Alcuinus 179
Aldhelmus 358
Alexander 156. 251
Ambrosius . . 158. 179. 222. 236
Ammianus 335
XV, 12, 3 283
Ampelius 8
Anacreon frgm. 31 303
Anianus 50
Anonymus 'de dubiis nominibus' p. 586, 7 Keil. . . . 290
Anthologia latina
c. 136 R. 69
Apuleius . 83. 136. 144. 164. 324
floridis I, 3 322
de mag. p. 624 Hild. . . . XIII
metam. VII, 128, 7 XIII
IX, 156, 11 . . . XIII
Apuleius 'de nota aspirationis' scriptor 247
Arnobius II, 23 277
Atta v. 4 370
Audax XII
Augustinus XII. 50. 51. 179. 222. 236
de civ. dei IV, 16 . . 283. 405
epist. 59 XIV
in psalm. 85, 3 XIV
Augustus apud Suetonium . . 58
Aulularia Plauti personati p. 35, 22; 38, 5; 44, 19 Peip. 162
Ausonius 6
p. 60 Bip. 362

Beda 165. 179. 236
Bernhardus medicus 249
Boethius 236
'commentum super Boetium' 236
Brito 249. 251

'Calpurnius Piso' 166
'Caper de orthographia'
p. 2245 P. 65
2246 . 8
Cassiodorius 179
Cato 5. 154. 326. 328
p. 80 ed. Iord. 5
Cato personatus. 179
IV, 42 26
Catullus 39, 11 66
Catullus mimographus 25
Censorinus X, 10. 11. XI, 3 . 403
Charisius 74. 201. 206. 215. 361. 392
p. 24. 32 329
33 215
35 329
excerpt. p. 549. 215
Cicero. . . 73. 162. 164. 215. 236
ad Atticum XVI, 16 . . . 370
pro Caelio XXXIII, 14 . . 62
in Catilinam 98. 215
I, 1. 2 sq. III, 12. IV, 7 186 sq.
in Pisonem 215
Cicero personatus 146. 172. 174. 222. 223
Claudius Q. 326
Claudius Serv. 143. 280
Columella 263
Commodianus 70
'Constantinus Imperator'. . . 51
Corippus Ioann. VI, 253. 484 362

Diocl. edict. IX, 13. 16 . . . XIV
Dioscorides latinus 156

ad Terentium 237
ad Adelph. 666 257
ad Phorm. 190. 34
vit. Vergil. c. 11. . . VIII. 50
art. grammat. 176
explanationes in Donatum . 234
Dositheus. . . . . . 170. 205—209
art. gramm. p. 62, 14 . . 205
64, 19 . . 205

Ennius . . 71. 154. 166. 180. 402
ann. 181 sq. 14
344 sqq. 16
484. 143
Eucherius 170. 222. 233. 236. 272
Eupolis Αἶξί 349
Euripides Phoen. 28 349
Eusebius . . . . . . .XII. 119. 236

Festus et Pauli epitoma 11. 55. 100. 141. 146. 154. 158. 162. 163. 180. 194. 196. 225. 234. 235. 242. 243. 255. 387. 401
p. 1, 17 103
2, 5 . . . . 103. 325
3, 5 399
10 103
12 194
4, 16 377
7 273
7, 10 12
16 100
9, 11. 12. 334
14 12
10, 1 257
3 427
10 143
11, 14 13
12, 1 368
9 390
13 100
14, 7 349
16, 6 13
17, 5 . . . . 323. 324
18, 4 100
24, 4 100
25, 13 425
26, 8 15
27, 14 . . . . 294. 363
30, 12 318
13 312
15 69
31, 1 55
2 292
32, 1 . . . . 250. 313
p. 35, 3 69
40, 6 330
41, 1 328
42 274
42, 1 14
43, 10 392
14 390
44, 1 331
3 304
12 321
45, 4 308
18 311
46, 1 315
11 287
16 280
47, 8 14
48, 4 4
12 322
50, 12 299
56, 13 13
58, 6 326
61, 5 . . . . 399. 408
8 14
62, 6 . . . . XIII. 278
65, 13 402
68, 6 135
71, 9 332
72, 13 346
74, 9 15
75, 15 336
76, 8 284
79, 10 269
80, 13 372
81, 18 270
83, 6 270
88, 8 390
90, 2 321
92, 9 326
96, 11 355
12 354
98, 12 299
100, 1 339
101, 7 412
102 273
102, 8 426
106, 10 242
115, 3 119
6 405
116, 19 275
118, 10 330
120 275
124, 12 100
125, 10 282
140 255
142, 1 314
144, 2 422

p. 146 b 24 403
30 398
147, 1 370
165 285
166 5
173 a 21 17
174 a 32 101
175, 2 309
5 101
177 a 16 16
184, 10 396
190 b 16 370
205 a 2 16
221, 3 287
225, 2 397
4 351
14 362
233 a 25 45
238 a 2 395
31 388
b 17 377
257 b 31 327
270 a 33 367
271, 7 367
277 a 29 263
281 a 15 335
302 b 277
312, 6 8
313 a 6 101
322 b 14 101
328, 6 317
330 b 33 18
331, 4 150
333 a 29 281
b 1 282
340 b 13 392
358, 5 288
359 a 12 317
360 b 18 312
363 264
363 a 20 330
371, 8 119
375 a 18 268
375, 20 328
377, 5 352
Fulgentius . 44. 161. 235. 236. 269

Galenus 222. 236
Gellius . . . XI. 164. 172. 237. 273
III, 3 281
V, 12, 14 365
XI, 7, 9 317
XIII, 23, 7 350
XVI, 7, 4 46
9, 1 337
16, 1 sq. 397

Gellius XVII, 2, 5 326
7 326
XIX, 13 355
XX, 9, 3 290
Gesta Longobardorum 236
Gesta Romanorum 236
Gregorius . . . XII. 179. 222. 236
miracul. II, 27 356

Haimo 236
Halitgarius episcopus 179
Hesiodus theog. 907 sqq. . . 238
op. et di. 1 sq. 238
Hesychius 80
Hieronymus XII. 73. 116. 141. 164. 222. 236
in Iesaiam VI, 13 416
Hilarius . . . . XII. 222
Hippocrates latinus . . . 179. 236
Homerus *T* 220 349
Horatius 236. 243. 251
carm. I, 17, 17 50
epod. II, 11 50
XVI, 6 50
45 189
XVII, 64 189
serm. I, 1, 32 189
36 189
2, 98 188
115 188
3, 44 sq. . . . 391
47 389
88 188
6, 28 50
10, 37 189
II, 2, 31 sqq. . . . 320
5, 53 189
7, 57 188
epist. I, 3, 13 189
7, 35 327
10, 7 189
II, 2, 102 189
art. poet. 16 149
commentum Horatii . . . 236
Hugo de sancto victore . . . 249
Hyginus 8. 190

Inscriptiones 379. 421
Iosephus latinus 358
Isidorus . . XII. 99. 156. 158. 162. 163. 164. 167. 179. 222. 223. 236. 243. 249. 251. 255. 387
Origin. I, 19, 2 64
III, 70 120
V, 31, 7 406
IX, 4, 31 64

X, 21 163
29 394
30 82
31 54
83. 89. 92 . . . 32
193 261
XI, 1 248
XII, 3, 2 344
5, 10 289
15 288
7, 25 273
33 272
XIV, 12 120
XVI, 20, 6 272
XVIII, 7, 7 322
XIX, 2, 4 143
11 408
23, 3 289
31, 8 323
XX, 11, 2 60
16, 4 262
Isonis schol. Prudentianum . . 56
Iunilius XII
Iuvenalis . . . . . . X. 158. 243
I, 69 404
V, 104 sqq. 320
143 X
VII, 134 42
XII, 46 63
commentum Iuvenalis . . . 236
Iuvencus 22. 335
Ivo 241

Laberius v. 87 46
legenda s. Germani Paris. . . 156
lex XII tabb. XI. 18. 100. 120. 180
366
'lex Numae' 432
lex Ripuaria 279
lex Salica 279
'liber Antonii' 141
'liber artium' 222
'liber officiorum' 141
'liber rotarum' 141
Livius XXXIX, 9 57
Livius Andronicus . . 10. 154. 370
Lucanus 158
Lucilius VIII sq. 76. 121. 154. 180
205. 250. 267. 304 (?). 332
I, 35 313
II, 19 307
III, 14 337
V, 41 327
VI, 17 316
18 322
28 . . . . 330. 334
VII, 14 331
25 370
VIII, 7 303
IX, 62 333
74 334
XI, 27 317
XIII, 11 330
XVI, 7 332
XVII, 6 328
XVIII, 3 326
XXII, 3 328
XXVI, 35 328
66 320
78 335
XXVII frgm. XXI 315
v. 27 307
38 . . . . 39 333
40 330
XXVIII, 30 324
43 327
XXX, 6 336
30 336
58 325
89 328
104 333
127 . . . . 302. 317
inc. v. 35 327
37 327
108 317
165 335
frgm. XIV 296. 312
XXII 320. 327
XXVI 313
XXVII 302
XXVIII 309
XLVII 331
XLVIII 331
XLIX 311
LIX 304
LXII 314
LXXIX 296
LXXX 298
LXXXI 304
CXV 321
CXLIII 177
Lucretius 336
IV, 1022 290
V, 902 171
VI, 563 373
810 150

Macrobius 48. 237
saturn. II, 12 321
14 292
III, 16, 17 320
V, 19 287

Marbodaeus 48
Martialis 164. 372
Martianus Capella 234. 235. 242. 364
l. V init. 59
commentum Martiani . . 236
Matius ap. Gell. XX, 9, 3 . . 290
Metellus 326
Mythographus Vaticanus II, 176 308

Naevius 154. 180. 405
com. inc. XVIII 191
XXV . . XIII. 278
trag. v. 57 15
Nonius 146. 164. 196. 273. 330. 387. 397. 401
p. 8 285
9, 4 284
13, 12 405
16, 9 378
21, 18 316
22, 18 322
25, 13 . . . . 307. 309
17 392
26, 7 389
27, 1 391
3 377
38, 11 320
43, 22 393
45, 28 258
48, 17 404
59, 17 339
28 393
62, 5 403
74, 10 324
79, 25 . . . . 315. 318
80, 22 . . . . . 75. 172 (?)
84, 6 335
7 281
88, 8 307
16 315
98, 15 332
103, 2 270
120, 13 331
124, 37 336
139, 4 370
144, 25 261
169, 6 281
180, 11 289
198, 4 311
217, 25 352
220, 13 403
457, 2 284
531, 2 422
539, 13 263
545, 20 280
546 sq. 402
p. 547, 13 325
549, 12 359
Novius 326

Opillius 327
Orestis trag. 127 362
243 355
582 362
Origenes 222. 236
Orosius 179. 236
Ovidius . . . 108. 159. 243. 248
amor. II, 16, 50 323
metam. II, 2 272

Pacuvius 336
p. 131 Ribb.[2] 335
trag. 112 328
Paridis epitome 387
Palladius 158
Paulus: v. Festus
Paulus abbas 222
Persius . . 49. 52. 157. 174. 243
Petronius c. 31 94
43 18
44 359
frgm. X 269
Philargyrius 164
in Georg. IV, 39 267
'Pindarus Thebanus' 177
Plato latinus 236
Plautus 76. 154. 164. 180. 195. 196. 243. 304 (?). 326. 346. 366
ex inc. fab. fragm. 143. 255. 257. 274. 282. 287 (?). 289. 328. 403
Amphitr. I, 2, 28 257
II, 2, 97 258
Asinaria 172 258
203 285
377 258
391 258
894 284
Astraba 143. 280
Aulul. I, 1, 2 259
II, 4, 34 259
9, 3 259
III, 2, 32 260
5, 28 260
35 260
51 260
Baccaria 292
Bacchid. 50 256
471 287
657 292
712 264
889 26
929 264

1088 265
Captiv. 1004 261
Casina I, 36 262
Casina II, 3, 30 289
8, 2 283
IV, 3, 6 sq. 262
vers. ult. 284
Cistellaria 386
I, 1, 91 280
Cocistrione 291
Colace 280
Curcul. 82 256
99 284
192 261
401 261
534 262
Epidic. I, 1, 11 289
21 263
II, 2, 46 263
III, 1, 12 282
3, 44 254
V, 2, 5 264
46 337
Frivol. 327
Harpago 292
Medico 281
Menaechm. prol. 7 267
144 256
Mercat. 436 289
696 285
755 271
Milite 254
74 256
94 268
266 269
584 260
632 284
694 286
695 423
1180 269
1254 271
Mostell. 282
261 267
274 267
275 267
825 288
884 267
1049 267
Nervolaria 281
Persa 96 284
244 289
Poenul. I, 2, 27 254
143 . . . 254. 272
II, 1 289
25 255
V, 2, 21 254
152 . . . 273. 298
5, 7 . . . 254. 284
31 273
Pseudul. 139 292
147 290
442 271
653 292
665 292
738 255
852 271
1022 271
1107 275
Rud. 580 274
582 255
885 289
938 256
1014 275
1109 287
1158 255
1170 255
1225 289
1325 255
Sticho 272 sq. 256
276 275
288 275
378 290
608 275
691 276
694 276
Trinummo 239 . . . . 277. 292
252 277
290 407
367, 406, 492 277
537 273
701 277
721 277
743 . . . . 277. 355
823, 826, 885, 1127 277
Trucul. I, 2, 46 284
II, 2, 16 277
22 278
3, 5 278
7, 60 278
IV, 2, 17 81
33 81
49 367
4, 1 279
V, 30 81
58 81
Vidularia frgm. VII 279
Plinius epist. 164

Plinius nat. hist. 81. 162. 164. 178. 179. 259. 387. 397. 417
praef. 5
7, 118 400
11, 253 sq. XV
32, 11 69
34, 6, 31 369
Pomponius v. 195 . . . . 283. 405
Porphyrio 387
p. 202, 24 391
203, 5. 7 389
240, 10 189
Priscianus XII. 156. 164. 177. 236 247. 248. 251. 254. 255. 272. 279. 292. 327. 330. 348. 367. 405
Probi append. p. 198, 22 . . 356
199, 2 . . 423
3 . . 422
Prudentius 50. 56. 158. 160. 177. 234. 235

Quintilianus I, 8, 15 1
VI, 3, 53 399
Quintilianus personatus declam. XIII 78

Radulphus super Leviticum . 240
Ravanus 179
Richardus de sancto victore . 249

Sallustius 215
Servius. . . . 162. 164. 179. 397
ad Georg. I, 256 289
II, 278 344
Aen. VI, 1 321
'Servii commentum in Donatum' 247
Smaragdus 179
Solinus. XV
Statianae Achill. I, 56 scholion 331
Suetonius 58. 164. 372
Neron. c. 1 392
Tiber. c. 1 349
3 398
Sulpicius Rufus 100
Syrus p. 304 Ribb.² 290

Terentius . . . XI. 139. 215. 248
Andr. 232 34
421. 370
Phorm. 190. 34
Tertullianus 426
Theocritus 238
Theodorus abbas 179
Tibullus III, 3, 36 409
Tironiana . 52. 53. 139. 347. 377
Titianus 50
Titinius 143. 191
v. 179. 403

Valerius Maximus 164
Varro 48. 49. 387. 392. 397. 400. 401. 405
de vita pop. Rom. I . 325. 402
ap. Non. p. 93, 17 327
satur. . 75. 289. 340. 352. 359
de l. lat. V, 85 351
123 405
125 46
129 325
139 418
164 74
VI, 5 405
68 316
VII, 31 377
61 292
65 281
66 280
67 291
71 391
77 406
91 274
102 365
103 260
IX, 60 395
Vegetius 335
Venantius Fortunatus 356
Vergilius VIII. 108. 118. 146. 150. 164. 212. 215. 222. 223. 236
Georg. I, 302 188
IV, 212 sqq. 137
Aen. I, 36 171
162 373
201 171
256 97
338 171
655 56
II, 112 99
240 373
381 3
616 118
640 171
III, 57 171
IV, 2 171
43 63
VI, 288 171
639 361
703 50
VII, 214 171
690 188
VIII, 425 421
X, 328 188
818 409

schol. Veron. Bucol. VII, 33 405
commentum Virgilii . . 236
Vitruvius II, 9 288
Vopiscus Aurel. 46 XIV
Vulgata 158. 234. 235
Exod. 26, 1; 28, 17; 39, 10; Levit. 3, 1; 23, 40 123
Ezech. 46, 15 29
Marci 2 150

II. Index vocabulorum.

A = *au* 421.
abante 139.
abaso 142.
? *abilitus* 343.
abreptabat 108.
abrepticius 140.
abrizum 60.
abstrepitus 163.
? *acactum* 304.
acceries acceris 257.
acera 136.
acet 108.
acharna 313.
Acherontides 410.
acisculum 399.
aconae 136.
acrae mentis 97.
adasia IX. 19. 99 sq.
addues 363.
adfatio 304.
adlegurrit 108. 419.
admentum 367 sqq.
adnictans 108.
adoreis 149.
adplosum XIV.
adrastros 419.
adrumauit 12. 163.
adsefacit 92.
adsuissent 149.
ae = *e* adverbiorum 92.
aegeator 286.
aemidus 99 sq.
aenobarbus 392.
aequilocus 177.
aeramen 418.
aerumnus 116. 421.
aestimiae aestimium 15.
aestuosa 287.
aetatula 414.
aeuitas 140. 160.
agea 143. 218.
aginari aginator 427 sq.
? *agis* = *ais* 366.
agrippa 19. 396 sq.
αἰγίλιπος 121. 337 sq.
alapiciosus 424 sq.
alcedo 272.
aliuta 432.
Alliger 31.
allus allux 273 sq.
alluuio 160.
almiuolus 103.
altellus 12.
alterplex 160.
altilis 128. 327.
altissimo otio XIV.
ambagines 420.
ambignae 377.
amentare 370.
amentum 367 sqq.
amm- = *adm-* 369 sq.
ammentum 369.
amnegare 421.
amnuere 92. 421.
amplexat 410.
amplocti 371.
anclare 371 sq.
andruare 334.
anet 271.
? *annet* 108.
antela antelena 163. 262.
antiae 323 sq.
† *antlare* 371 sq.
antlia 372 sq.
antruare 334.
anus ad armillum 324.
apica 425.
apiciosus 424.
apiscitur 277.
appodex 233. 419.
aptra 143. 191.
aquariolus 419.
aquilices aquilici XIV. 378.
aquilinus 271.
aquilius aquilus 273. 296 sqq. 402.
aratiunculas 284.

arcolonus 13.
arculus 13.
arferia 13.
argentifodinas 150.
arillator 142. 285.
armillum 137. 324 sq.
artena 313.
? *artepta* 259.
artire 344.
artopta 259.
arualis 128.
asisua IX.
asseda 108.
asser 142.
assuere 150.
assumentum 150.
atta 389 sq.
aububulcus 116. 348 sq.
audentia 215.
auerruncassint 328.
Auerruncus 365.
auger augeratus 348.
augurium 349.
auigerus 348.
auillus 349.
aurificina 112.
aurifodina 112.
auriscalpium 184.
aurorans 360.
auruginosus 127.
Auruncus 365.
austrare 420.
? *Auxinium* 424.
axitiosae 280.

b = *u* 92.
babiger 53 sq. 65. 160.
baburrus 54. 65.
babylonicum 133. 290.
bacapulus 55.
bacar bacario bacarium bacrio 55. 292.
bacatum 56. 190.
Baccaria 292.
bacchanal 57.
baceolus 58.
bacerus 57 sq.
baionula 60.
balastrum 58.
balbus 394.
ballationibus 411.
balteare 59.
bambis 59.
baratrum 66.
barba sterili 18. 61.
barbarica barbaricarius 61.
barbarostomus 62.
barbatus 61.
barbiton 65.
barbo 65.
Barcaei 63.
bardus 65.
barginae 64.
baria 64.
baro 57. 64. 65. 190.
barritus 150. 419.
barunculus 65.
bascauda 63.
baselus 422.
basilicos 65.
bassus VIII. 66. 398.
bastella 67.
basterna 67.
bataclare bataclatio 67.
batillum 277.
batioca 68. 276 sq.
batiola 276. 280.
batis 69.
battualia 211.
baucalem VIII. 69. 116.
bellicrepa 69.
bellua 73.
belluus 70.
bene linguatus 71.
beryllus 122.
bestiarius 71.
bestius 70.
betere bitere biti 275. 277. 359.
bibitor 72.
bibliothecarius 72.
bidens 72.
bifax 72.
bifidum 75.
biformem 75.
bilbit 191.
bilem passus 116.
bilices 74.
bimaritus 73.
biplex biplicitas 73 sq.
birrum 75.
birrus 74.
bisaccia 94.
Bistones Bistoniae 71.
bisulcis 171.
bitere biti 275. 277. 359.
biuira 75.
blaessus 394.
blandiosus 75.
blasto 76.
blax 133.
blenni 76. 265.
blenones 76. 266.

blitea 76. 279.
boa 312 sq.
bobinator 76. 317 sqq.
boetes VIII. 76 sq. 85.
bolonae 77.
bombicinare -atores 74.
bombus 77 sq.
bombyx 59. 78.
bona caduca 78.
bootes VIII. 76 sq. 85.
bostar 74.
boteonem 78.
botryones 78.
boua 312 sq.
bouinari 318 sqq.
bouinator 315. 317 sqq.
bractea 79.
brandeum 27.
breuigerulus 74.
breuis 414.
britannica 79.
broca 80. 150.
broccus 80. 391.
brochus 391.
bromosus 80.
bromum 80.
brumalis 80 sq.
brumosus 80 sq.
bruscum 81.
? *bruta* 341.
brutus 81. 82.
bubinare 76. 250. 313 sq.
bubinarium 313 sq.
bubino 314.
bubo 421.
buccellatorii 419.
bucco 68. 82. 265 sq.
buceta bucita 74. 82.
bucidae 267.
bucinaria 82.
buda 82 sq.
bufus 421.
bulimus bulimodes 116.
bullae 83.
bumbosum 78.
bumbus 78.
burgos 83.
burrus 75. 394.
bursa 83.
bustantes 84.
busticeta 84.
bustuarius 84.
buteo 78. 398 sq.
butum 85.
buxides 417.
cacula 277.
? *cadax* 309.
caduca bona 78.
caducia 417.
caducifer 133.
caecia 417.
caedere 307.
caia caiare 322.
cala 321 sq.
calare 404.
calce 95.
calcedo 122.
calcendix 280.
calcitro 258.
callicola 300.
calpar 402.
caluaster 424.
caluere calui 101. 366 sq.
camilla camillus 396.
camisia 418.
campae 100. 331 sq.
camphippelephantocamellos 331.
canalicola 311.
candes 7. 377.
canicae 315 sq.
? *canier* 306.
capillamentum 193.
cappa 75.
† *cappas* 331.
capronae 322. 324.
capsit 271.
capso 264.
capulare 278 sq.
caracalla 400.
carbonarius 283 sq.
carinantes 14. 122.
cariosum 46.
carisa 304 sqq.
cartibulum 46.
cartilago 418 sq.
casmare casmatio 412.
cassabundus 4.
cata mane 29.
cataclus 309.
catapsat 359.
cataputia 146.
catax 307 sqq.
catillo 320 sq.
catonium 46.
catulinum 133.
catus 29. 305.
cauanus 416.
caudeae 287.
causula 154. 414.
-ce 420.
cette 111.

chrysolithus 122.
chrysoprasus 122.
cibicida 307.
ciccum 125. 274 sq.
cicur 121. 127.
cicurare 121.
cilo 392.
ciner 330.
cincinnatus 394.
cinna 393 sq.
cinnare 394.
cinnus 393 sq.
cis Padum 41.
clacendix claxendix 279 sq.
clandarius 127.
? *clandicare clandire* 357 sq.
clarimum 94.
claudaster 356 sq.
clingit 13.
cluere 364 sq.
clura 191 sq.
cluuior 364.
coebriosa 34.
cocio 285.
cocistrio 291.
cocles 391.
cocodrillus 156.
coercitio 127.
cognectere 354.
cognitiuncula 414.
cogniuere 354.
collegiati 156.
colomba 203.
columen 355.
columis 277. 355.
colustrum 335.
comedo comedus 326 sq.
comitialis morbus 417.
complexat 410.
conbibola 34.
conbibones 320.
concena 330.
concipilare conciplare concipulare XIII. 278.
conditum 417.
confersa 418.
congerronem 267.
coniuoli 14 sq.
conliquiae 135.
conminicipes 93.
conparietici 419.
conpernis 112. 328.
conplosus XIV.
conpota 177.
conpotrix 34.
consere 342.
conspicillum 280. 281.
Consualia Consus 342.
consuetio 257.
consupplicatrices 280.
conuacare 218.
conuasassem 34.
coquester 291.
Coquitus 377.
corculus 400. 408.
cordatus 71. 134.
cordipugus 312.
coriscus 356.
cornicen 122.
corpusculum 154.
coruscatio coruscus sim. 47. 177. 355 sq.
cossens 342.
cossi 417.
Cossualia Cossus 342.
? *coxilina* 419.
coxo coxosus coxus 309.
cracentes 122.
crea 125.
crefrare 421.
creperus 405 sq.
crepusculum 405.
cubiclu 203.
cubicularius 76.
† *culliola* 299.
cultellarius 133.
cultellum 218.
cuppes 277.
cusire 94.

da 346.
daedala 135.
? *danite* 425.
dapsilitas 380.
dare = *ponere* 203.
daticius 380.
dauit 419.
decapitat 380.
decennouem decennouennalis 119.
decipulum 150.
decurtator 380.
dedecoratius 380.
deditícius 380.
defenerauit 380.
defico 205.
deflammatio 380.
degestio 380.
deicida 380.
deicolae 380.
deleuati 380.
delassatio 133.
deliciantur 381.

delire 352.
delurcor 205.
delutuit 111. 429.
demagis 332.
demanduco 381.
demorator 381.
denidor 381.
denundinat 44. 381.
deoccidendi 381.
depālare 44.
depeculatio 381.
depensaturus 381.
depetigo 328.
deprauator 381.
de quarte, *de quinte* locativi 206.
derimere 361.
descere 92. 343. 362.
desidescere 381.
desipisco 381.
desiuare 346.
despicere XIV.
dextimus 151.
dextralis 382.
di aquili 44. 298.
diabatra 15.
dicassit 336.
dictator 407.
diennium 363.
diescit 382.
diffingit 189.
diffitesco 362. 382.
diffugatum 382.
dilapidator 382.
dilargus 44. 382.
diloris XIV.
diluculescit 382.
diminutiuae 413.
dimittere 422.
dimus 383.
diplomatarius 382.
dirempsi 361.
discerniculum 6 sq. 325 sq.
discifer 382.
discipulati 44. 382.
discordator 383.
disdonat 44. 383.
disfutat 92.
disgrex 383.
disligo 383.
dismiror 383.
dispiculare 383.
displacidus 383.
disseminator 383.
dissensor 383.
disserenat 8.
disserenus 8. 383.
dissicit 111. 177.
? *distonat* 383.
diuidiose 383.
diuinacula 383.
diuinus XV.
diuulgator 383.
doctitat 44. 383.
dolba dolua 418.
dotamen 384.
dracontopes 384.
drusus 298.
ducere = *trahere* 430.
duellio 44. 125. 384. 407.
duellis 125.
duellum 125.
duonitas 125. 363.
duonus 100. 363.
duouiralis 384.
duplex duplus 305.
durare 407.
duribuccius 18. 61.
duunt 180.
dynamidia 213.

† *e* = *ego* 428.
e = *v* 425.
eam = *ibo* 421.
ebitere 275.
econes 377.
edentulae 282.
effafilatus 270.
egones 377.
eluciens 94. 429.
em 423.
eminulis 171.
emissicius 259.
emitari emitatio emitatrix 423.
emussitatus 284.
endo 100.
? *enocilis* XV. 376.
epicroca 284.
ergastulum 147.
erigastula 111.
eruli 419.
erutus 428.
escudit 92.
estreni 344.
euallefeci 352.
ex- = *ualde* 32.
ex asse heres esto 148.
exaedituat 277.
exanclare 256. 371 sq.
† *exantlare* 371 sq.
exaurire 371 sq.
excetra 403.
excidio 262.

excipulum 402.
exesum 277.
exfabillauero 270.
exfafillato 270.
exfretat 419.
exinfulabat 270.
exippitare 412.
exosculauit 280.
expapillato 269 sq.
exsumptuare 425.
extispices extispici 378 sq.

fabellor 384.
? *fabilia* 160.
fabre 105.
fabulo 146. 384.
facit sero 429 sq.
factitetur 106.
factiue 384.
falbus 422.
? *falcire* 106.
falcitat 384.
falcones XV. 390.
fallibilis 385.
? *falsosum* 385.
famigerulus 385.
famulosus 385.
fariolus 10.
fassio 385.
fastigiosus 385.
fatescere 10. 362.
fauonius IX. 147 sq.
fecundia 385.
fellitat 106.
ferascit 106. 362.
feretrius 419.
fertor 160. 385.
festalis 385.
fetialis corona 106.
ficte habet 95.
fidicen 122.
fidifragus 385.
fidus = *foedus* 93.
figlina figulina 136.
filare 409.
fistolarii 410.
fistulo 385.
flebilitas 160.
flemina 264.
flocci pendens 97.
floretum 386.
foederator 410.
fomitat 386.
forasticas 386.
forco 386.
forinseca 429.
formastro 386.
frequentidicus 386.
fresa 106.
frondator 106.
fronducula 386.
frunisci 326.
frunitus 326.
fuat 363.
fuatis 100.
fuet 363.
fulcralia 386.
fulguratores 377.
? *fuma* 106. 426.
functorius 106. 386.
fundamen 106.
fundiculum 386.
funestantes 84.
furare 34.
furnax 360.
furnix 361.
furtuna 111. 361.
fusim 386.
fusicius 386.
fustigari 160.
fusurarius 386.

galenum 404.
galgulus 40.
? *galit galiuit* 351 sq.
galla 418.
gallicae 300.
gallicola gallicula 300.
galliculae 300.
gallina rustica 128.
gello gillo VIII. 69. 117.
geminasium 150.
geneceum 111.
gerrae 215.
gerro 117.
gerulus 136.
gestatiuncula 154. 414.
girare 413.
glebo 117.
glomer 112.
glos 257.
glosa glossa 1 sq.
glubit glubsit 13.
? *glutto* 417.
gn- 354.
gnanus 355.
gnarorem 117.
gnauat 354.
? *golaia* 417.
graecissat 268.
Graeculus 154.
gratiator 410.

gratior 160.
gressutus 118.
gruit 118.
grumare 118.
grundiunt 118.
† *grurzapa* 418.
† *gulliocae* † *gullucae* 299.
gurdus 82.
† *gutulliocae* 299.

hallex hallus hallux 273 sq.
harenae 121.
hariolus XV.
? *harit* 426.
harpagare harpago harpagus 292.
hastula 418.
? *haunii* 426.
helitores 339.
helquisticon 377.
hem 111. 423.
here 206.
hermula 419.
hic pro articulo 119.
hippacare hippitare 412.
hir 328.
hirco XIII. 266.
hiscatis 97.
holo-uerus -sericatus XIV.
horticolae 339.
hospicida 132.
hospitalarius 76.
hosticida 420.
hostimentum hostire 258.
hostispices 431.
humiliatio 76.
humilio 131 sq.

iana 203.
ibus 256.
ignoscere = *non noscere* 409.
immolaticius 132.
imperator 407.
impetrire 344.
incantor XV.
incilare 336 sq.
incippat 23.
incitae 273.
inclamitare 337.
incolor 132.
indede 422.
indupedare 100. 344.
indusiarii 260.
infelicare 289.
infenditor 133.
infens 419.
inforare 261.
infucatis 419.
inglutinatus 132.
inpliciscere 258.
inpugis 133.
inquaesitor -itio 92.
inquassatus 132.
inquinabulum 133.
insecus 190.
insigniarius 132.
insuasum 277 sq.
insupare 362.
int 421
intendere 430.
interpolis 267.
inuenalis 132
iocinora 142.
Iouis nomin. 8.
ir 329.
-is = *-ius* 420.
istipites 431.
istructores 399.
itine 346 sq.

lamberat 330.
lanceola 415.
lapsare 343 sq.
† *lausantes* 343 sq.
lenunculus 284.
lepista 405.
leptis 106. 340.
libantes sauia 97.
libertabus 120.
ligurius 321.
linguatus 71.
linificus 161.
linire 93. 119.
linna 289.
lira 419.
liticen 122. 136.
lituus 121.
liuegare 93.
lixa 403 sq.
lixabundus 275.
lubentia 150. 275.
? *luculum* = *laculum* 135 sq.
lucuna lucunaria 135 sq.
luere 422.
lumfatici 420.
lumpae 427.
lunter 420.
lurcones 106.
lusci[ti]osus 17. 340.
? *lusus* 340.
lutus 420.
luxabundus luxari 275.
lympa lympha 427.

macella 420.
maderatus 353.
maialis 377.
malliolum 399.
malta 333.
mamphulae 315.
manducare 413.
manduco 326.
mansuescere 362.
manticulare 106. 121.
marcerat marcerus 353.
maredus 353.
medius fidius 112. 379.
mellina 263.
Melo 100.
mencla 303.
? *menda* 106.
mensare 420.
mergulatus 410.
mesa 203.
mesopicatum XIV. 374.
messalla 397 sq.
metallum 147.
metellus 398.
? *milimindrum* 417.
mimographus 175.
minari 373 sq.
minator 163.
† *minere* 373 sq.
minicipatum 93.
minificentia 93.
minorator 381.
minuescere 362.
minutus 414.
miriones 426.
mitire 93.
mittere = *ponere* 430.
modicus 414 sqq.
modiolum 417.
modo = *nunc* 407.
? *molleolus* 417.
mollescere 362.
momar 255.
monoloris XIV.
morsit 428.
mostellum Mostellaria 282.
motacilla 193.
muginari muginatio 370.
mulcare 121. 358.
mulcator 121. 358.
Mulcifer 421.
munusculum 154.
murcidus 283. 405 (?).
murcus 105. 121. 283.
? *muricidus* 282 sq.
muscerdas 403.
? *muscinarius* 105. 283.
musculus 345.
? *musia* 420.
musitanter 106. 121.
mussare 370.
mustellum Mustellaria 282.
muto 304.
muttonius muttonium muttunium 302 sqq.
? *mutturci* 283.

? *narici* 341.
nasica 391 sq.
naticae 409.
natinare 5.
nauire 344.
nautea 284 sq.
? *neli* 360.
nenia 93.
nenior 93.
nepticula 155. 414.
nere 409.
nerio 349.
neriosus 349 sq.
nero 349 sq. 398.
neruicosus 350.
nesio 409.
neunt 409.
nex 120.
nicto 16. 121.
nigellus 121. 297.
niniae niniosus 93.
ninnarus 19.
nit 409.
niuarius 427.
niuem mittit, n. ponit 409 sq.
noctere 371.
† *noctiluga* 309.
noctipugam 309 sqq.
nogator 117.
nomenclator 404.
noneolae 19. 100.
norga 80.
nosciosus 17.
noxam sarcito 101.
noxit 296. 312.
nugigerulus 260.
nullationem 426.
numbo 427.
nusci[ti]osus 17. 121. 340.
nusquartus nustertius 206.
nymbossis nymbus 427.

oblutuit 94.
? *obolere* 343.
obperibere 264.

obquiniscebant 20.
obscuriloquium 411.
obsetrix 423.
obstupida 271.
obuallati 419.
obuaricat 218.
? *occelsit* 100.
occulunt 267.
ocres 337.
offendix 16.
offensitans 380.
offibulare 419.
olere 342 sq.
oleri 106. 343.
omm- = *obm-* 369 sq.
opiter 396.
oppetia 366.
oridurius 18.

paetuosus 391.
paetus 390 sq.
pancra 340.
pansa XV. 388.
parasituli 419.
parenticida 407.
paret parret 45.
parricida 407.
patagium 288.
patago patagus 287 sq.
pater patratus 379.
patrissat 271.
pauperescit 362.
peculium 408.
pedo 387. 390.
pennus 408.
penteloris XIV.
perannus 420.
percatapsat 106. 359.
percrebescit 92.
peristromum 290.
persolla 261.
perstromata 347.
Pertunda 411.
pertunsorium 411.
peruli 56.
pileum pileus 403.
pipulo 260.
pistrix pristix pristrix belua VII. 30. 315.
pistrix femina 315.
placitare 261 sq.
plancus XV. 387. 390.
plaustellum 155.
plaustrit 106. 348.
plautus XV. 388.
pleminabantur 100.
plotus 388.
plutei 269.
poderem 135.
popino 233.
? *populare* 317.
portisculo 135.
pos 137.
postela postilena 262.
posticla 136. 415.
postsecus 190.
postumus 394 sq. 396.
praesagator 410.
praesegmina 259.
praetor 407.
prandeum 27 sq.
prauesco 362.
prex 120.
procapis 106. 109. 351.
? *procas* 395.
proconsul 407.
? *proculum* 106.
proculus 397.
profugus 277.
prolectat 177.
propteruos 356.
propudialis 377.
proreta 275.
protulum 376.
prugnus 427.
prunellatum 56.
prurientes auribus 53.
? *pugella* 259.
pulcrescere 362.
punicauit 419.
puppup 160.
purpurissum 267.

quaesitare 316.
quassum 341.
quatrimus 206.
quattur 423.
quĕrītare quērĭtare 316.
querquera 327.
quigneum 376.
quilismata 376 sq.
quinici 376.
quinoglossa 377.
quinoroda 377.
quinquimus 206.
quiritare quiritari 316 sq.
Quiritium fides 316.
quisquilias 20.
quulina quum quur 348.

rabamini 346.
rabitere 346.

radula 263.
ralla rallum rallus 263 sq.
ramentum 407.
randum 346.
ratis 41.
rauit 43.
redinsertauit 106.
reducem 277.
remascellata 43.
remiligines 263.
repedare 335 sq.
retentor 381.
reuectans 419.
reuiminatum 218.
reuiridescit 420.
rosinalis 80 sq.
rosinosus 80 sq.
? *rosinus* 81.
rudens 256.
rumen 136.
ruspantur 419.

saccibuccis 61.
salambo 30.
salutigerulus 260.
sanguibibus 410.
sarcito noxam 101.
sardius 122.
sardonyx 122.
Sarmatae 407.
satim 347 sq.
saturus 410.
sauia libantes 97.
saurex sauris 344 sq.
Sauromatae 407.
scabrosus scabrus 317.
Scaptensulas 150.
scaurus XV. 389.
sciadicus 309.
scitat 353.
scoriscus scoruscare scoruscatio scoruscus 356.
scrabipedae 282.
scrattae 281.
? *scrupipedae* 281.
scrutillus 282.
sculna 147.
scurrula 155.
scutitur 429.
se = *si* 422.
sedecennalis 119.
semo simo simare XIV. 331.
sequius 420.
sescuplus sesquiplus 403.
senecis 345.
senicem XIV.
si parret 45.
sifilus 422.
silo silus 392.
siluula 415.
simo simare XIV. 331.
sincer 410.
sinus 256.
situla 417.
smaragdus 122.
soc 350.
sodes 424.
solerare 353.
? *solidus* = *stolidus* 81.
solisequa 411.
sorex 344 sq.
† *soue* 345 sq.
spatarius 418.
spatulas 123.
spirillum 18.
sposcit 429.
spospondit 428.
spurcificus 277.
spurius 395.
squarrosus 317.
stec 346 sq.
sterili barba 18. 61.
sterillum stirillum 18. 121.
stibadium 347.
stic stinc 346.
stirpetum 410.
stlatta 8.
sto = *isto* 346.
stolo 399.
storea 83.
strabo strabus 391.
strambo strambus 391.
suasum 277 sq.
suatim 424.
subaquilus 298. 419.
subinsanus 218.
? *sublestia* 264.
sublestus 264.
sucerdas 403.
sultus 81.
summula 155.
suouetaurilia 379.
supare 362.
suppetebant 366.
suppetium 366.
suprema 120.
surex suris 345.
suspectiuncula 155.
suspito 366.
sutela 262.
symbolones 418.

tagax 317.
tanti tantūs 345.
tarmes tarmus XIII. 288.
taxatiuncula 155.
tecta 67.
tegularia 378.
teredones 417.
termentum 264.
termes 288.
textrinum 111.
thelo-diues -humilis -sapiens XIV.
tippula 289.
titiensis clangor 351.
tolleno 146.
tongiliatim 53. 334 sq.
tonsilia tappetia 290 sq.
topazios 123.
torarius 286 sq.
† *tos* 345.
tragula 418.
? *trepidabili* 410.
tricosus 320.
trochus 333.
troia 71.
trublium tryblium 276.
tubicen 122.
tuburcinati 420.
turbido 411.
? *tutuli* 377.

u = *b* 92.
uagurrit 19. 96 sq.
ualgis 268 sq.
uallescit 352.
ualus 388.
uaram uibia 6.
uaro 65.
uarus XV. 388 sq.
uatia XV.
uatinius XV.
uerago 134.
? *ueranum* VIII. 76.
ueri uero sim. = *ui-* 75. 134.
uerriculum 417.
? *uerum* VIII. 76.
uesperugo 147.
uessanus 134.
uestiplica 277.
uiere 402.
uigrin- = *uirgin-* 422.
uiscantes 410.
uiscillarii 410.
uiscum 256.
uitiligant 5.
uitiligo 146.
uituligines 160.
Ulcanus 421.
uncula 421.
unedo 417.
unitor 410.
? *uolis* 360.
uopiscus XV.
? *uorri* 430.
upupa 261.
ut pote 111.
? *utrum uolis* 360.

? *zizuga* 418.
zonatim 334.
zopyriatim 334.